Digitized by Google

REGIA BIBLIOTECA DELL' UNIVERSITÀ DI TORINO
G. IX, 6.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS BVRCHARDI MENCKENII

ORATIONES ACADEMICAE,

MAXIMAM PARTEM LITERARIAE.

EDIDIT, ET PRAEFATVS EST,

FRIDERICVS OTTO MENCKENIVS,

IO. BVRCH. FIL.

LIPSIAE,
APVD IO. CHRISTIANVM MARTINI.
ANNO CIƆIƆCCXXXIV.

BIBLIOTECA NAZIONALE

Digitized by Google

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO HENRICO DE BRVEHL,

DYNASTAE GROCHWIZII, GANGLOFFSOMMERAE, CET.

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS, ATQVE ELECTORIS SAXONIAE, SECRETIORIS CONSVLTATIONVM CONCLAUIS MINISTRO, CONSILIARIO INTIMO, CAMERAE PRAESIDI, UECTIGALIVM PVBLICORVM EX CONSVMTIS GENERALI DIRECTORI, REDITVVM EX TRIBVTIS UICE-DIRECTORI, ORDINVM AQVILAE ALBAE ET NIGRAE EQVITI,

HEROI IN TOGA MAXIMO, DOMINO AC MAECENATI INDVLGENTISSIMO,

CVM RELIGIOSISSIMA UOTORVM PRO PERPETVA ILLVSTRISSIMAE BRVEHLIANAE GENTIS INCOLVMITATE NVNCVPATIONE,

EXIGVAS HAS MANIVM PATERNORVM RELIQVIAS DICAT ET CONSECRAT

SVBMISSISSIMVS CLIENS,

FRIDERICVS OTTO MENCKENIVS.

Digitized by Google

Ante Tuos ſupplex, o noſtri maxima Pindi
Gloria, Muſa pedes Menckeniana uenit.
SequeTibi iubet eſſe ſacram, Tibi mancipat vni,
Sisque deinde ſibi mitis Apollo, rogat.
Et, modo Tu raucae non ſpernas ruſtica uatis
Barbita, Te Numen diceret vna ſuum.
Ipſa, procul BRVEHLIAS quum cernit ſurgere lauros,
Ignibus inſolitis ima per oſſa calet.
Sponte Tuae ueniunt tunc longa in carmina laudes,
Nec, Tibi ſi placeat, diſplicet ipſa ſibi.
Hoc precor, o miſerae ſub tantae tegmine lauri
Aetatem liceat uiuere poſſe ſuam!

LECTORI
SALVTEM ET OFFICIA!

QVod ad edendas IOANNIS BVRCHARDI MENCKENII, optimi Parentis mei, Orationes Academicas animum conuerti, id factum pium diceres, amice Lector, ſi uel, quod placeret, in his nihil eſſet. Ferri me aliquo erga cineres paternos amore, et, quem uitae partim, partim fortunae meae omnis ac felicitatis, vnicum auctorem ueneror, eius me non ſolum famam a turpiſſimis, ſi qui ſunt, obtrectatoribus

uindicatam, ſed propagatam etiam ad ſeros poſteros memoriam, cupere, ego quidem, cur diſſimulem, non habeo. Neque enim iſte mihi vni proprius, et quaſi peculiaris, pietatis ſenſus eſt, ſed ita nos natura omnes ac ſingulos formauit, ita quadam uelut neceſſitate conſtrinxit, vt nulla nobis tam cara ſit, quam parentum, recordatio, et, quicquid paternae eſt laudis, ad nos ipſos pertinere partem magnam, arbitremur. Et, ſi alia omnia nauſeamus, ſi nihil eſt tam pulchrum et eximium, cui non, praeconiorum neſcii, ſuas ſtatim maculas exprobremus, ſi nec cognati ſemper, et qui nobis ſunt amiciſſimi, plauſus ferunt et acclamationes noſtras, denique ſi et nobis ipſis (vt non deſunt moroſiſſima ingenia) diſplicemus interdum, et rigidiſſimi ſumus operum noſtrorum iudices, tamen, quae paterna

ſunt,

ſunt, amamus, nec amamus tantum, ſed admiramur etiam, et ad laudanda haec quadam uelut interna ui impellimur. Qui ſi communis eſt omnium, et prorſus nobis ingeneratus, amor, quis eſt, qui uituperandum dicere, aut omnino iniuſtum, auſit? Etſi enim is fallit interdum, et parum facere ad gloriam paternam commendatio noſtra, quippe domeſtica, uidetur, habet tamen haec magnam pietatis laudem, opinionemque uirtutis, dudum bonorum omnium exemplis confirmatae. Quo maiorem ea vtique habere uim putanda eſt, vbi praeconiis iungitur eorum, qui nulla ad laudandum religione, aut neceſſitate ſanguinis, inuitantur, et deliberato magis conſilio ſuſcepta, quam aeſtu quodam pietatis, dicitur. Ita enim fit, vt, quae fuerant priuata antea, iam eſſe publica incipiant, et, (vt nihil eſt praecla-

rum, quod non et fructuoſum aliis,) ad communem vtilitatem omnium redundent. Quis fuerit MENCKENIVS ille, cuius hic Orationes legis, non ignoras, Lector. Eum ſi laudauero multis uerbis, feciſſe forſan, quod meum eſt, addo, quod bonorum omnium, putabor. Vt uiuentis maior, quam ferre inuidi potuere, nomine non vno fama fuit, ita nec nunc eorum, quod certo ſcio, pauci ſunt, qui iacturam eius partim ipſi moleſtiſſime ferunt, partim Muſis noſtris, et vniuerſae eruditorum ciuitati, luctuoſiſſimam arbitrantur. Atque ipſe ego, quod inimicum rebus meis uix quemquam, aut, ſi quis eſt, haud eum profecto capitalem, noui, id non tam mihi, quam meritis Parentis, tribuo. Ob id ueneror beatos manes illos, et fata mea praedico, quae illo naſci me parente uoluere. Fatendum eſt enim, quod

absque

absque impietatis nota taceri neutiquam poteſt. Praeſentes *Orationes* quod attinet, de his nihil dicam magnifice, cum multa poſſim. Neque enim is ego ſum, cuius iudicium penes Te habeat pondus et momentum aliquod, nec uerendum eſt mihi, ne illae, non laudatae, perdant decus ſuum. MENCKENIANA quisquis reliqua inſpexit, inter multos olim ciuium noſtrorum plauſus edita, is bona de his omnia ſperat ſponte ſua, et, cum propius ad has legendas acceſſerit, tum ei laudator MENCKENIVS ipſe ſuus erit. Nunquam hae prodiiſſent cura mea, niſi, ineſſe in his aliquid, vnde nouus accedere nomini MENCKENIANO ſplendor poſſet, perſuaſum mihi certiſſime fuiſſet. Nec omnino debuiſſent haec a filio proferri, quae paterni materiam opprobrii haberent. Eas omnes, recitatas

olim coram concione illuſtriſſima, cupidiſſime audiuit Lipſia noſtra, nec vnquam cathedra deſcendit iucundiſſimus Orator noſter, niſi uotiuis Auditorum acclamationibus dimiſſus. Id meminiſſe Te probe puto, cuius factum eſt rogatu olim, vt harum partem non exiguam ipſe foras prodire Parens iuſſerit. Nam, quas loco hic omnium primo collocatas uides, alteram Auguſtiſſimo Regi noſtro, FRIDERICO AVGVSTO, Saxoniae tutelari Deo, alteram ANNAE, Britannorum Reginae, conſecratam, has ante annos complures, ſingulas ſigillatim, editas, forſan inter nos pauci ignorant. Et, quae ſequitur illas, *de Odio Campani in Germaniam* Oratio, diu ,, cum *Epiſtolis* et *Carminibus* CAMPANI, priſtinae ſuae luci a Parente redditis, per terras late omnes uolitauit

uit

uit. (*) Similiter, qua ciuium ſuorum, doctrina illuſtrium, delectum egit Parens, Orationem, diu eſt, quod in manus tuas traditam, probas, Lector, et cum uoluptate legis.(**) Sed praeter ceteras commendatiſſima dudum fuit, et vltra Gangem nota, *Eruditorum Charletaneria*, bipartito recitata ex ſuggeſtu

---

(*) Quid enim morer inconſideratum P. NICERONII iudicium, qui, quum parum feliciter compoſitos a Parente praeſentis Seculi Germanos cum uetuſtioribus illis pronuntiat in *Commentar. literar. T. X p. 95*, nec legiſſe hanc Orationem uidetur, nec omnino effugere ludibrium ac riſus noſtros poteſt. Quaſi uero, quae exprobrauerat Germanis CAMPANVS ille, et quorum patrocinium ſuſceperat MENCKENIVS noſter, ad Germanorum vnice mores et uiuendi rationem redirent, nec ſitus regionis, aeris tempeſtas, et his ſimilia permulta, quae natura nobis conceſſit, communia eſſent praeſenti aetati cum uetuſtiſſimis; aut, ſi de moribus hic quaeſitum ſaltem, quaſi uero a genio noſtro intra Secula bina, quae noſtram aetatem ab illa CAMPANI diſtinguunt, degeneraſſe adeo longe putandi ſimus.

(**) Prodiit haec A. 1717, 4.

geſtu publico, non patriis tantum, ſed Batauorum etiam,nec non Gallorum,Italorumque,prelis ſaepiſſime excuſa, et ornata eruditiſſimorum uirorum Annotationibus ſelectis, (*) quin ſucceſſu temporis in uernaculum Gallicumque ſermonem translatae, transferendae etiam in Hiſpanicum, ſi quid ualerent in illa gente elegantiora ſtudia, et dicendi ſcribendique libertas. (**) Reliquae omnes, numero duodenae,

(*) Non illas transferendas in hanc *Orationum* MENCKENIANARVM ſarcinam putauimus, partim quod illae dudum eſſent uulgatiſſimae, partim quod praeter *Orationes* hic nobis conſtitutiim eſſet nihil dare, uerendumque uideretur,ne in maiorem inſtituto noſtro liber molem excreſceret.

(**) Tentauit id operis GREGORIVS MAIANSIVS, Iureconſultus in Ualentinis ſine controuerſia eruditiſſimus,et praeter ingenium gentis ſuae politus, ex cuius ad ſe literis cognouit olim Parens meus, conſtitutum ipſi ante annos complures fuiſſe, ciuibus ſuis ſermone patrio legendam dare hanc *Orationum* MENCKENIANARVM bigam, et exemplis eam locupletare nouis, quorum feraciſſi-

nae, lucem nunc primum uident, ſed ea dudum digniſſimae, et, vt ea laudandi formula vtar, qua vti multi ſolent, MENCKENIANAE. Quas ediſiſſe me nunquam poenitebit, modo Lectoribus eandem, quam auditoribus olim, afferant uoluptatem. Omnem hic Orator noſter uim ingenii et eloquentiae expertus eſt, et, quam callide ſciuerit, quae ſunt vtilia, miſcere dulcibus, oſtendit, puto. Addo, quae praecipua Oratoris uirtus eſt, eam hic ſermonis caſtitatem, dictionem tam elimatam et concinnam, tamque molle uerborum flumen, animaduerti, vt mihi, legenti haec, multum illa Criticorum noſtri temporis grauitas cothurnata ſordeat. Noſti,

ciſſimam dicit Hiſpaniam ſuam. Sed, fuiſſe ſibi uerendum, ſcribit, ne odium inuidiamque incurreret ciuium ſuorum, penes quos uulgo contemtum iaceret ſtudium Critices, ne uis inferretur libertati ſcriptitandi ſomnia. Ipſe legas, ſi placet, has literas *Lib. VI Epiſtolarum* MAIANSII *Ep. 3 p. 312.*

Noſti, Lector, quam ſit ferax Oratorum aetas noſtra, et perſtrepentes quotidie inutili clamore cathedras ſentis, cum magno aurium dolore. Sed nullum in his TVLLIVM, aut FABIVM, oſtendis; et a ueteri illa Romanae maieſtate facundiae tantum nos defecimus, vt nec, qui eloquentiae praecepta tradunt, inter barbaros profiteri nomen ſuum, turpe putent, ſed artis ſuae ſpecimina nobis obtrudant, certiſſimo ludibrio futura poſteris. Superaſſe igitur induſtriam ſeculi ſui, et praeſtitiſſe aliquid non uulgare, uideatur MENCKENIVS, etſi inter Oratores omnium maximos numerandus, et aequaſſe prorſus gloriam ueterum putandus non ſit. Ipſa dicendi argumenta ſi ſpectes, nihil his exquiſitius, et ad mores aeui noſtri accommodatius. Nihil hic ieiunum aut ſordidum, nihil moleſtum audientibus, aut legentibus odioſum, ſed iucunda hic omnia,

omnia, nec uitae tantum praeceptis, ſed exemplis etiam, condita, ex omni memoria temporum repetitis. Habent inprimis, quae ſibi dicta putent, eruditi noſtri, qui, ſi recte iisdem et ex uoto Oratoris vterentur, deſinerent tandem ſordes ſuas amare, et ex ſtultitia gloriam captare. Et, ſi qui fuerunt olim, qui ferre non potuerunt optimum magiſtrum ſuum, cauere ipſos iubentem a turpiſſima *Charlataneriae* macula, hi indulgentiorem habeant in illa de *grauitate eruditorum* Oratione, et, MENCKENIO tractati mollius, ſibilos in poſterum orbis ſapientioris ferant. Sed eſt nouum etiam, et, vt nulli tactum vnquam, ita eleganter explicatum, *Hiſtrioniae politicae* argumentum, periculoſum, ſi rem ipſam ſpectes, ac temerarium quodammodo, ſed caute a MENCKENIO et circumſpecte pertractatum. Sancta eſt et inuiolabilis Principum Maie-

ſtas,

ſtas, ſed quam minime dixeris humanae labis nihil habere, aut modeſtas admonitiones prudentum ſpernere. Et habet id boni praeteritorum commemoratio, vt ex his iudicare ſecum de praeſentibus nemo non impune poſſit. Multa mihi dicenda ſupereſſent, ſi, quicquid reliquarum eſt *Orationum*, copioſius laudando perſequi, et, quae ſunt in his egregia, exponere ante oculos omnium, iuuaret. Sed patent hae omnibus, et ſua ſe ipſae dignitate, ſuo nitore, commendant. Has ſi legas diligenter, ſatis, quo ſint aeſtimandae pretio, ipſe uides. Nouas igitur has ingenii et induſtriae MENCKENIANAE teſtes accipe, quas ſi minime abiiciendas putas, mihi de opera hic praeſtita, etſi leui, nec tamen inutili, gratiam aliquam habe, aut, ſi gratiam non habes, ſaltem faue.

ORATIONVM
INDEX.

I.

In Nuptias auſpicatiſſimas Sereniſſimi Principis ac Domini, Domini FRIDERICI AVGVSTI, Ducis Saxoniae, Iuliae, Cliuiae, Montium, cet. cum Sereniſſima Principe ac Domina, Domina MARIA IOSEPHA, Archiduce Auſtriae, cet.

II.

De Feliciſſima Angliae et Scotiae vnione ſub Imperio ANNAE, Magnae

)：(Britan-

Digitized by Google

Britanniae Reginae, feliciſſime peracta.

III.

De IOANNIS ANTONII CAMPANI, Epiſcopi Aprutini, odio in Germanos.

IV.

De contemptis uulgo elegantiorum literarum, Hiſtoriarum maxime, ſtudiis, et contemptus huius damnis.

V.

De Naeuis politicis CAROLI V, Caeſaris.

VI.

De Uiris eruditis, qui Lipſiam ſcriptis atque doctrina illuſtrem reddiderunt.

VII.

Digitized by Google

ORATIONVM INDEX.

VII.

Quae eſt prima de Charlataneria eruditorum.

VIII.

Quae eſt ſecunda de Charlataneria eruditorum.

IX.

De Grauitate eruditorum.

X.

De uariis eximiisque commodis, e bonarum literarum inſtauratione in puriorem Euangelii doctrinam deriuatis.

XI.

Quae eſt prima de eo, quod ridiculum eſt in Republica, ſiue de Hiſtrionia politica.

XII.

Quae eſt ſecunda de eo, quod ridiculum eſt in Republica, ſiue de Hiſtrionia politica.

XIII.

XIII.
De praecipuis rei literariae hoc tempore impedimentis.

XIV.
De Origine et cauſis bellorum inter eruditos.

XV.
De Societatis Regiae Anglicanae origine, incrementis, priuilegiis, legibus, et Sociis.

XVI.
Sub Auſpicia Regiminis Academici publice recitata.

XVII.
Simili occaſione recitata.

XVIII.
De Legum in Republica neceſſitate, et libertate Academica.

ORA-

ORATIO I.

IN NVPTIAS AVSPICATISSIMAS
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
FRIDERICI AVGVSTI,
DVCIS SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, etc.
CVM
SERENISSIMA PRINCIPE AC DOMINA,
DOMINA
MARIA IOSEPHA,
ARCHI-DVCE AVSTRIAE, etc.(*)

Excellentiſſimi ac maxime Strenui,
Gubernator Vrbis,
Arciſque Pliſſiacae Praefecte,
Conſules Ampliſſimi,
Vtriusque Reipublicae Patres grauiſſimi,
Ceterique omnium ordinum atque dignitatum Auditores honoratiſſimi.

ETſi nunquam me fatear, Patres conſcripti, quoties Ueſtro nutu et conſilio uerba mihi publice facienda fuerint, ſine multa uerecundia ac trepidatione cathedram adſcendiſſe, quod imbe-

(*) Hanc Academiae nomine publice recitauit Anno 1719.

imbecillitatis meae probe conſcius, ſucceſſus parum proſperos plauſumque omnino nullum promittere mihi poſſem; neſcio tamen, quo pacto hoc potiſſimum die, uelut fulmine quodam percitus, toto corpore cohorreſcam, ingentemque imis medullis ſentiam formidinem ac tremorem, quo fit, vt ab omni fere dicendi cogitandique ui deiectus, qua ratione uoluntati Ueſtrae reſpondeam, prorſus conſtituere apud animum meum nequeam. Et quis non ſtupeſcat homo mortalis, quoties Saxonum Spem, FRIDERICVM AVGVSTVM, et Decus Auſtriae, MARIAM IOSEPHAM, quanta Numina! cogitat, quorum ſacros ignes tangere, ac profano ore celebrare, eccui non nefas ac temerarium uideatur? Auguſta hic omnia, excelſa ac plane diuina, quae nec mens profundiſſima aſſequi, nec aureum os DEMOSTHENIS alicuius aut TVLLII complecti ſatis aut emetiri ualeat. Nam, cum ΘΕΙΟΝ quoddam habeat omnis amor, quod nec illi ſatis comprehendunt, qui ſentiunt, multo maiorem diuinitatis uim ineſſe par eſt ſummorum Principum amoribus, quos eo impenſius ſolicitat ac fouet Deus Opt. Max.

quo

quo firmius illis ſplendidiſſimarum familiarum, quibus ſceptra ſua, ſua fulgura, credidit, robur gentiumque maximarum ſalus ſuperſtruitur. Quod ſi vero taedas Saxonicas contemplamur, bone Deus, quantum in iis vbique diuini ſe prodit, quantum ab omni parte beati! Quid optabilius SAXONIAE amicitia CAESARIS, cuius fortitudinem, temperantiam, iuſtitiam, et uirtutes reliquas innumeras, iam pridem eminus ſuſpicit atque admiratur? Quid Auſtriae conuenientius et magis decorum, quam vt auguſtam ſanguinis propaginem diffunderet in Saxones, qui fidem illi et obſequium toties ſuo ſanguine aſſeruerunt? Iam, ſi ingentia vtriusque domus decora, tot auos atauosque bello paceque inclytos, ſi magnorum Parentum, IOSEPHI, et AVGVSTI, pro Imperio, pro patria, ſtrenue atque ſapienter geſta, atque amicam vtriusque animorum conſenſionem ac beneficia mutua, ſi pientiſſimarum Matrum curas et ſuſpiria, ſi tot vtrimque hominum uotiuas acclamationes, plauſusque, et gaudia, conſideremus; uah quantus nobis differendi praedicandique campus aperitur! Quid ipſum memorem Par Auguſtiſſimum, quod

non minus iuuenili aetatis flore, quam formae praeſtantia, ac uirtutis ſplendore, ita coruſcat, vt, vter alterum in tanta vbertate uincat, in incerto eſſe videatur? Quae dum cuncta animo meo obuerſantur, adeo omnem infoecundi ingenii mei aciem percellunt, atque ita me ipſa multitudine obruunt ac obtundunt, vt, ſi meo rem agere arbitrio liceret, profundo potius ſilentio tacitisque uotis me inuoluere, quam incondita ac tumultuaria oratione in ſanctuaria haec irrumpere, praeoptem. Sed obtemperandum Uobis ſentio, Proceres, qui, dum me Rectorem Ueſtrum dixiſtis, ſimul hoc impoſuiſtis, vt pro lege habendum mihi ſit, quicquid uobis uiſum fuerit oportunum, tantum abeſt, vt a ſententia iudicioue Ueſtro diſcedere uel latum vnguem mihi liceat. Fama peruulgatum eſt, eam ineſſe uim oſculis Principum Auſtriacorum, vt eloquentes reddant ac diſertos. Quidni ego quoque fauſtum capiam orationis meae augurium, cum de oſculis, de amoribus, inquam, MARIAE IOSEPHAE AVSTRIACAE diſſerere iuſſus ſum, quippe quae in vno FRIDERICO AVGVSTO Saxones omnes ſuauiſſime

uiſſime deoſculatur. Haec mihi ſideris inſtar erit auſpicatiſſimi, cuius diuino influxu id me conſecuturum ſpero, vt in maxima raucitate et inopia mea haud prorſus tamen infacundus aut elinguis uidear Orator. Nec nullum in Uobis praeſidium quaero, Patres conſcripti, quos ſpero iucundiſſima affectus et beneuolentiae aura mihi adſpiraturos, probe quippe memores, me non tam meo, quam Ueſtro omnium, ore loqui, eoque, ſi quid minus ad res coeleſtes, quarum plenum eſt hoc argumentum, apte et accomodate dixero, id benigniori de me iudicio Ueſtro vnice adſcribetis. Reliquos vero omnium ordinum atque dignitatum Auditores decenter rogo quaeſoque, vt non uires, quae mihi ſunt ad dicendum perexiguae, uerum animum ac uoluntatem meam, conſiderent, et, quoties haeſitare me et a maieſtate orationis deſciſcere cognouerint, illud cogitent ſecum, quod eſt in prouerbio: in magnis uel uoluiſſe ſat eſt.

Qui ſummorum Principum ac Regum connubia, eorumque rationes diuerſas, humano modulo metiuntur, eaque cum priuatorum hominum nuptiis diligenter componunt, id ſibi uidentur inueniſſe diſcriminis,

quod in illis fortunae praecipue fatorumque neceſſitas et publica Regnorum Imperiorumque commoda ſpectentur, in his uero plus ualeat animorum conſpiratio, ignisque purus et ingenuus. Nam, cum illorum plerumque amor fidem ſequatur pictorum, fallacem nimis ac lubricam, qui, dum omnia ſibi licere credunt, foeminis inprimis illuſtribus turpiſſime blandiuntur, naeuisque omnibus ac rugis e tabula longe praeſcriptis, ad ſummum artis ſuae faſtigium perueniſſe ſe exiſtimant, cum non tam ad naturae genium, quam deluſoriae phantaſiae libidinem, Uenerem quandam belliſſimam effinxerint. Nec aetatis hic vlla ratio; cum in ipſis ſaepe cunis (quae CAROLI V artes,) Regnorum foedera ſanciantur, et modo, firmandae Hiſpanos inter Gallosque amicitiae cauſa, tenerrima virgo MARIA FOXIA in thorum adducatur FERDINANDI ſenis decrepiti, modo PHILIPPVS iuuenilibus annis, ſpe Angliae lucrandae, MARIAM ambiat iam ſeneſcentem ac deformem, aut STEPHANVS BATORIVS, vt Polonia potiatur, in frigidiſſimos ANNAE rugoſae amplexus rapiatur. Quid alios memorem, qui, cum in haec uincula ſcripti eſſent, non de ſua,

ſed

ſed populi, felicitate ſoliciti, quamcunque ſors obtulerit, forma ſeu uirtute degenerem, vltro adſciuere uitae ſociam, ſcilicet quod perſuaſum ſibi haberent, non alia ratione internecina diſſidia et aeterna familiarum odia exſtingui poſſe vel ſopiri. Quid enim FERDINANDVM Catholicum mouebat, vt primis ſibi nuptiis deſtinaret ISABELLAM, quid HENRICVM VII, vt, inuita et repugnante quamuis natura, ELISABETHAM peteret vxorem? Nimirum, vt ille Caſtellae et Aragoniae Regna, iam pridem aemula, hic Eboracenſium et Lancaſtrenſium Familias, tot tamque nefandis hactenus in ſe inuicem caedibus graſſantes, vniret tandem ac commiſceret? At Te felicem fortunatumque, FRIDERICE AVGVSTE, qui, propriae uirtutis conſcientia fretus, ac Diuini Numinis in eligenda Coniuge auguſta nutum ac uoluntatem vnice ſecutus, non tabulam, ſed oculos in amore duces, fortunam comitem, habuiſti! Beatum Te ter et amplius, qui non ſorte aliqua aut coeca fatorum neceſſitate, ſed arcana quadam ui, et prudenti conſilio, in tenerrimos MARIAE IOSEPHAE amores pertractus es; tanto quidem omnium plauſu, vt, nec Te coniugem magis

optabilem, nec illam maritum digniorem, inuenire potuiſſe, nemini dubium uideatur. Neque uero multum aberrauero, ſi Te natum vtique dixerim educatumque ad has nuptias. Quemadmodum enim ipſa natiuitas Tua Regii diadematis acceſſionem, quae poſt paucos menſes ſecuta, Saxoniae praeſagire uiſa eſt; ita Tibi quoque, Principum optime, nihil non magnum et auguſtum inde ab ipſis faſciis portendebatur. Et, cum non infima in Principe felicitatis pars habeatur, iis ortum eſſe parentibus, qui non minus uirtutum, quam dignitatis, ſplendore alios antecellant, et non ciuibus modo, ſed et aequalibus, ſint exemplo, quanto maiorem putes in Te ſpem nobis collocatam, qui, quicquid in tanto Patre tantaque Matre praecipuum eſt et excellens, in Te vno colligis, prorſusque exprimis et reddis. Nec ſatis erat tot praeſtantia naturae bona fuiſſe in Te perquam liberaliter collata, niſi eadem, inſtituta per ſeptennium profectione, nobiliſſimarum gentium conſuetudine perpolires quodammodo, et ad publicos vſus attemperares. Uidiſti omnem in vrbe Francofurtana Germaniam, congregatos Proceres, electum Caeſarem coronatumque,

que,

que, non uano iam tum multorum augurio, Diuum IOSEPHVM, vt imperium CAROLO, ita Tibi Filiam reliquiſſe MARIAM IOSEPHAM, Teque Patris loco deinceps habiturum, quem tunc Imperatorem, nouumque gentis noſtrae decus ac praeſidium, profundiſſime uenerabare. Neque Germaniae finibus contineri poterat inſatiabilis illa animi Tui curioſitas et ardor; nec Te tot pericula, inſidiaeue, uiarum taedia, latrocinia, aer infeſtus, morabantur, nec dulces Penates et iucundiſſima Patriae, quam miro affectu complecteris, recordatio, reuocabant. Itaque, ſuperatis Alpibus, Italiam ingreſſus, regionum omnium amoeniſſimam, ſanctae rudera uetuſtatis, et priſcae gloriae imaginem, non ſine ſacro quodam horrore adſpectabas: ſed et in Te omnium oculi conuertebantur, quod Germanicae iuuentutis florem, Heroum ſobolem, magnique Parentis ſpem vnicam, in Te intuerentur et ſuſpicerent, adeo, vt ambigi fere poſſit, vtrum maiori tum Italia Tibi, an Tu illi admirationi fueris. Certabant inde in Te colendo cum Italis Galli, Uiri inprimis Foeminaeque in aula principes, SAXONVMque PRINCIPEM continuo in ore,

in oculis, in animo, gerebant, beatam iam tum praedicantes, cui Tuum olim expugnare amorem, Tuoque lateri perpetim adhaerere datum fuerit. Et ipſum illud Galliae miraculum, LVDOVICVS XIV, qui cunctos adhuc Principes, ſtrenue feliciterque geſtorum fama ad ſe accitos, alto ſupercilio deſpicere conſueuerat, in Te primum agnouit et miratus eſt excelſas naturae dotes, et, ueluti iuuentutis ſuae in Tua indole recordatus, nunquam laetior uiſus eſt, quam praeſente FRIDERICO AVGVSTO. Quid plura? Nulla fuit gens, nulla natio, quae Te non aegerrime abs ſe dimitteret, legesque ac iuſſa Tua ſubire parata, libertatem omnem, ſi Tuo ſub imperio uiuere liceret, inſuper haberet ac contemneret. Ita magni delatus ad regiam CAESARIS, quid mirum, ſi non CAROLVM modo, optimum quippe iuſtiſſimumque uirtutis atque meritorum aeſtimatorem ac iudicem, uerum aulam etiam vniuerſam, totamque illam Regiarum Foeminarum ac Uirginum coronam, in Te vnum conuertiſti? Uix Te conſpexerat Sereniſſima MARIA IOSEPHA, uix Tu illam prima, quod aiunt, linea ſalutaueras, cum ambo occultos ſenſiſtis amoris igni-

igniculos, ambo in eadem uota ſponte atque vltro deueniſtis. Quod vt ſine diuino quodam impetu minime factum fuiſſe, omnes perſpiciunt, ita parum abeſt, quin tum primum Te hominem faſſum dicamus, cum in maxima, qua polles, rerum humanarum ſcientia, uix nomen adhuc amoris audiuiſſes. Etenim quis credat, Principem, cunctis, quibus uoluptas paſcitur, fortunae bonis exornatum, nullius ſubiectum imperiis, in aetate florentiſſima, et ad libidines et licentiam prona, inter tot denique uaferrimas incantantium puellarum artes atque illecebras, uelut inter Sirenum cantus, non tam obduratis auribus, quam obfirmato pectore, ab inconſulto amore et praecocibus cupidinum telis cohiberi innata virtute potuiſſe? Sed ita decebat FRIDERICVM AVGVSTVM, vt ad ceteras omnes frigens, in ea Principe, quae tantum inter reliquas Europae Foeminas Principes, quantum inter ſtellas Luna minores, emicat, ſubito flammas conciperet, atque exardeſceret. Par erat vtique, in mutuos amores trahi, et arctiſſimis inuicem amplexibus colligari, quorum Patres Auguſtiſſimos, cum quondam admodum iuuenes congreſſi eſſent

Uien-

Uiennae, fraternis inter ſe animis ad inuidiam vſque conſpiraſſe, et perpetuo quodam affectus atque officiorum certamine ſuauiſſime contendiſſe, publice conſtat. O vtinam Diuo IOSEPHO adſpicere licuiſſet coniugales has IOSEPHAE ſuae taedas, quam infantulam ſua manu traxerat ad lectum emortualem benedicentis Aui, LEOPOLDI, cui ſoli (neque enim licebat Sorori, uariolas nondum expertae,) moribundus ipſe, aeternumque uale dicens, langueſcentem imponebat dextram! Uerum CAROLVM, magnum, fortem, felicem, ad quem a Patre Fratreque vnico, vt cetera, ita amor quoque in Saxones haereditario quodam iure deriuatus uidebatur, ſeruatum his fatis agnoſcimus, nimirum vt, cum omnia eſſent ſub eius imperio mira atque ſingularia, non ſine Numine, nec ſine tanti Caeſaris nutu, haec coaluiſſe connubia, ſeri intelligant nepotes. Neque uero noua haec ſunt aut inaudita, quamuis per ſecula intermiſſa, Auſtriacorum et Saxonum connubia. Nam, ſi paulo altius adſcendamus, quid magis uel gentem Habſpurgico-Auſtriacam, uel Aſcanio-Saxonicam, et firmauit, et mutuis officiis conſtrinxit, quam feliciſſimum

mum

mum ALBERTI II cum AGNETE, RVDOLPHI Habſpurgici, Imperatoris, filia, coniugium? Quo vt Habſpurgicae Domui, e ſorte haud lauta ad ſumma nuper imperia euectae, ingens apud Germanos conciliata erat auctoritas, ita non minus bene conſultum uidebatur Saxoniae, quae mox Comitatum Brenenſium et UUettinenſium cum Palatinatu, et poſtea ſub RVDOLPHO I, Electore, Burggrauiatum Magdeburgicum Caeſaris fauore obtinuit, vt uix adeo diiudicari poſſit, vtrum plus Auſtria tum Saxoniae, an Saxonia Auſtriae, debuerit. Quin et, ſtirpe Aſcania in ALBERTO III demum exſtincta, Miſniae Marchionibus nullum firmius uiſum eſt familiae ſuae robur, quam ſi Auſtriacorum affinitates modis omnibus ambirent et expeterent. Hinc FRIDERICVS PLACIDVS, quantum in eo momenti ſitum eſſet, Patris, Electoratu liberaliter donati, exemplo edoctus, non ſibi modo Sororem FRIDERICI III Imperatoris, MARGARETHAM, ſed et Fratri UUILHELMO ANNAM, ALBERTI II, Imperatoris, filiam, vtramque Auſtriacam, felici ſidere deſponſabat. Quae cuncta matrimonia dum apud animum meum recolo, tametſi nullum reperio ſterile

le aut degeneri prole notatum, inſignis tamen prae ceteris FRIDERICO PLACIDO obtigiſſe uidetur felicitas, qui e MARGARETHA Auſtriaca, uelut communi Saxoniae Principum Matre, ſplendidiſſimarum gentium Satores auguſtiſſimos, ERNESTVM, et ALBERTVM, ſuſcepit. Quae cum poſtrema fuerit vtriusque ſanguinis coniunctio, quidni tanto maiora nobis de nouis PRINCIPIS noſtri nuptiis commoda promittamus, quanto illuſtriora hoc tempore tum Auſtriae, tum Saxoniae, decora contemplamur? Enimuero nec ignotum eſt, quantum omni aeuo amore atque beneuolentia vtraque gens per uices quaſi inter ſe certauerit. Magna ſunt Auſtriacorum in Saxones beneficia: Electoratus a SIGISMVNDO in Marchiones Miſniae, a CAROLO V in ſtirpem Albertinam, liberaliter translatus; praefectura Belgii cum torque aurei uelleris, tum ius in terras Iuliacenſes et imperium in Friſiam eiusdem ſtirpis autori a MAXIMILIANO traditum; Locumtenentis Imperii generalis et Gubernatoris munus FRIDERICO SAPIENTI haud inani titulo ab eodem conceſſum; inueſtitura ſolennis prouinciarum Cliuenſium a RVDOLPHO II,

ſpes

ſpes ſucceſſionis in Aſcanienſes ditiones a FERDINANDO I, et in Brunſuicenſium portionem a FERDINANDO II, publicis decretis, Saxonibus, uix ſperantibus, facta; atque ipſa Luſatia cum omni iure transſcripta; aliaque longe plura, in quibus enarrandis tempus me citius, quam dicendi argumenta, defecerit. Sed nec minora ſunt, uerum tot atque tanta noſtrorum Principum in Auſtriacos merita, vt uel integris nuper uoluminibus ſcribendis materiam praebuerint, nondum quidem ita prorſus exhauſtam, quin poſt amplam meſſem largiſſima adhuc relicta ſpicilegia uideantur. Et quis neſciat, quoties Saxoniae Principes uel conſilio promouerint res Auſtriacas, uel armis fuerint ac ciuium ſuorum ſanguine tutati, non de ſua quippe, ſed communi Germaniae, ſeu potius Auſtriae, felicitate vnice ſoliciti, ſuaque commoda Auſtriacis longe poſthabentes. Dici non poteſt, quot clades, quantum damni illatum fuerit Saxoniae noſtrae, ex quo non modo FRIDERICVS BELLICOSVS, ſed et filii eius, FRIDERICVS PLACIDVS, et VUILHELMVS, Caeſarum, SIGISMVNDI, et ALBERTI II, aduerſus Huſſitas egere cauſam; quandoquidem

quidem gens ferox, uictoriisque adſueta, et uindictae cupida, in ipſa uiſcera noſtra ſaeuiebat, vrbesque et agros late depopulabatur, nulla re noſtris, praeterquam fidei in Auſtriacos gloria, relicta. ALBERTVS porro ANIMOSVS in gratiam FRIDERICI III et MAXIMILIANI I in Hungaria, in Belgio, et Friſia, ſua uirtute, ſuo milite, ſuis denique ſtipendiis, non ſibi, non Germaniae, ſed Auſtriae, militabat. Nec quisquam ignorat, quantum MAXIMILIANVS ſapientiſſimis FRIDERICI SAPIENTIS conſiliis deberet, quantumque res eius adiuuaret in Pannonia inferiori, poſt in Italia Tranſpadana, IOANNES CONSTANS, conſtans quippe diſcriminum contemptor, ita, vt in obſidione Albae Regalis inter primos moenia rapidiſſime fortiſſimeque conſcendens, coronam muralem a Caeſare iure meritoque deportauerit. Ipſe MAVRITIVS, militiae tirociniis in Hungaria poſitis, CAROLI V in Belgio caſtra ſequitur, rebelles Bohemos FERDINANDO conciliat, IOANNEM FRIDERICVM, Patruum, in Caeſarem armatum, ditionibus multat, PHILIPPO MAGNANIMO, Socero, vt arma exueret, perſuadet, Magdeburgum iuſſu Caeſaris

expu-

expugnat, a foedere Smalcaldico, ne fidem ſoluere uideretur, abhorret: nec vnquam ſane ſoluiſſet, niſi neceſſitatem quodammodo impoſuiſſent Religio ac Libertas, Imperiorum ac Rerumpublicarum duo fulcra et praeſidia. Et quis credat, Principem, communi Germaniae vtilitati intentum, vsque adeo diſſimulare non potuiſſe Auſtriae amorem, vt milites in Oenipontis direptione ſtudio parcere iuberet iis omnibus, quae ad FERDINANDVM pertinerent? Quis credat, illum in medio uictricium armorum curſu, cum prima iuſtae pacis ſpes eſſet propoſita, ſubito ſe continere, et, quae polliceri ſecundi rerum ſucceſſus uidebantur, omittere commoda potuiſſe? Quis credat, eum, uix ab aliquot menſibus reconciliatum Auſtriacis, eodem certe anno, vt fidem illis denuo probaret, SOLYMANNI copiis in Hungaria occurriſſe, iisque fuſis et fugatis, Danubii inſulas muniuiſſe, cunctaque in tuto collocaſſe, immo mox anno ſequenti cum ALBERTO Brandenburgico ſecundo Marte pugnantem, animam denique pro Caeſare poſuiſſe? Nec ſegnior in colenda Auſtria fuit AVGVSTVS, Frater, *cordis, oculi*, et *dextrae Imperii* elogio quondam celebra-

tus, qui, cum adoleſcens Pragae MAXIMILIANO II adſueuiſſet, nihil non poſtea in ipſius gratiam peregit, aditumque fecit ad Imperium, non illi modo, ſed et filio, RVDOLPHO II, a quo Patris, vt a MAXIMILIANO Fratris, loco fuit habitus, militemque auxilio miſit aduerſus Turcas, ac Grumbachianas turbas, Auſtriacis tantopere ſuſpectas, haudquaquam tergiuerſatus, compreſſit. Nihil dicam de CHRISTIANO II, qui, tormentis ac ſuppetiis Caeſari contra Turcas transmiſſis, tanta fuit apud RVDOLPHVM et MATTHIAM autoritate, vt lites, inter Sereniſſimos Fratres coortae, non niſi eius praeſentia et arbitrio dirimi feliciter poſſe uiderentur. Sed, quae illi fere ſurripuit mors inopina et praepropera, ea pulcre penſauit diuturnum IOANNIS GEORGII I regimen, qui, ſi nihil aliud egiſſet e re Auſtriacorum, quam quod ab vnione Euangelica et abſtinuit ipſe, et alios auocauit, ac Paci Pragenſi ſubſcripſit, eoque, ipſius FERDINANDI, Imperatoris, iudicio, honeſta moderatione iram temperans, non modo ſe amicum Caeſaris, ſed Patrem Domus Auguſtae, exhibuit, immortaliter vtique de Auſtria meritus dici poterat. Iam, ſi ea perpendamus,

mus, quae in perdomanda non Bohemia modo, ſed et Sileſia et Luſatia, patrauerit, quantas ob foedera Auſtriaca a Suecis perpeſſus fuerit calamitates, quanto animo ſua commoda, quae iuſtam tot damnorum compenſationem Pace UUeſtphalica fieri poſtulabant, tranquillitati Caeſaris ſacrauerit, uix quemquam reperias inter Germaniae Principes, qui maioribus ac illuſtrioribus Auſtriam officiis obſtrinxerit. Nec LEOPOLDO vnquam defuit IOANNES GEORGIVS II, qui et praeſentia et autoritate plurimum momenti ad eius electionem attulit, et mox deinde ad Comitia Ratisponenſia aduolans, de Turcis Hungaria depellendis conſilia contulit, primusque cum Caeſare de fraenando Gallorum in Belgio impetu pactus, ceteris Germaniae Proceribus admirabili fuit exemplo. Idem animus erat filio eius, IOANNI GEORGIO III, Heroi fortiſſimo, qui, uiuo Patre, ad Mummenheimium, iterumque in UUetterauia, rurſus ad Didenhofium, poſtremo ad Rhenum, cum Gallis dimicans, vbique uictor diſceſſit. Nec pluribus impar, firmato cum Auſtriacis Funſteruualdae foedere, cum, Turcas praeter omnium exſpectationem

Uiennam aggreſſos, comperiſſet, exercitum per ſummam feſtinationem colligit, in hoſtes ducit, adoritur, profligat, atque in vna Uiennae liberatione tum Auſtriam, tum Germaniam vniuerſam, ingenti metu atque trepidatione liberat. Quod dum memoro, ne quisquam me amoris in patriam affectu temere abreptum arguat, malo, Uos, Auditores, Saxonum laudes ex Oratore Florentino, (*) quam ex me ipſo, cognoſcere. *Non detrectauere*, inquit ille, *pugnam barbari, quorum ardorem ac primum belli impetum fortiſſimi Saxones excepere, qui, tanquam pro modo virtutis fortunae gradus deberetur, prima in acie conſtituti, illatis vltro acceptisque uulneribus, in ueſtigio quisque ſuo, famaeque ſuperſtites cecidere, haud indigni illius imperio Principis, a quo glorioſiſſime ducebantur.* Non repetam, quae poſtea integro quadriennio ad Rhenum geſſerit, non infeliciter profecto, niſi poſtremus annus Principem optimum fatali morbo abſtuliſſet. Neque in

IOAN-

(*) ANTONIVS MALAGONNELLIVS Flor. in *Orat.* IOANNI III, *Pol. Regi, ob Uiennam ab obſidione liberatam, habita Romae, p. 122.*

IOANNE GEORGIO IV pietatis in Auſtriam documenta deſideres, cui non tam uoluntas, quod Rhenana expeditione patuit, quam oportunitas, ob breue imperium, defuiſſe uidetur; ex quo facile, non ſine diuini Numinis prouidentia factum fuiſſe, auguramur, vt, quae ille prudenter animo praeceperat, Potentiſſimus FRIDERICVS AVGVSTVS, ad magna quaeque natus, demum perficeret feliciter et exſequeretur. Vt enim taceam, quae iuuenis ipſe ſub ſignis paternis ad Rhenum geſſit, quid non Hungaria illi, quid non Transſyluania atque Auſtria debent, poſtquam ipſum Turcarum Imperatorem, cum numeroſiſſimo exercitu ingruentem, ad ſua reiecit, et incredibili conſtantia et ardore pertinaces barbarorum animos fregit: quam victoriam, etſi non incruentam, inſtrumentum fuiſſe ſequentis, ad Zentham uirtute Saxonum luculenter partae, nemo ignorat. Atque iſtud inprimis obſeruatu dignum eſt,quod, cum nunquam hactenus permoueri potuerint Principes Saxoniae, vt oblata liberaliter Regna et Imperia ſuſciperent, ne Auſtriae vtilitati obeſſe vtcunque viderentur,

vnus FRIDERICVS AVGVSTVS Poloniae Regnum non alia quidem de cauſa capeſſiuerit, quam vt illam, amoto CONTIO, modis omnibus procuraret. Iam olim VVILHELMVS poſt ALBERTI II, Soceri, rurſusque poſt VLADISLAI, Affinis, obitum, ac ſuperiori demum Seculo IOANNES GEORGIVS I, vterque amore Auſtriae, oblata Bohemiae ſceptra conſtanter detrectabant. Nec minor FRIDERICI SAPIENTIS moderatio fuit, qui, communibus ſuffragiis electus Imperator, tantum abeſt, vt Electoribus, integro triduo Imperium obtrudentibus, cederet, vt illis potius autor eſſet ac ſuaſor, vt, CAROLO in locum ſuum ſurrogato, Auſtriae priſtinum Imperii decus aſſererent ac conſeruarent. Et ſunt, qui, AVGVSTVM quoque Imperii habenas conſequi haud difficulter potuiſſe, exiſtimant, niſi RVDOLPHVM potius Statibus commendare, et, vt uerbis vtamur prudentiſſimi Gallorum Hiſtorici, (*) Caeſarum amicus neceſſarius, quam Caeſar, qui ceteris Principibus indigeret in Imperio, eſſe maluiſſet. Magna certe haec ſunt et praeclara Principum Saxoniae in Auſtriam merita, quippe qui in eius gratiam nec ambiuere vnquam

(*) THVANVS *Lib.* 48.

quam Regna, nec oblata acceperunt. Aſt aliam de ea bene merendi uiam reperit REX noſter Potentiſſimus, qui minime faſtidiuit Poloniae ſceptra, ſed, vt ſe periculis, quibus vndique a Gallo, a Bauaro, a RAGOZIO, petebatur Auſtria, alacrius obiicere, eamque, deleta in Polonia factione Gallica, uel diſpendio ſuo confirmare poſſet, lubentiſſime huius Regni habenas ſupremumque imperium ſuſcepit. Iam pridem ergo debebat hoc nobis Auſtria, vt MARIAM IOSEPHAM, ſuas delicias,quibus nihil aut elegantius habet aut pretioſius, in pignus uelut amicitiae ac amoris, nobis concederet. Neque enim vel exſpectare maius pro tot laboribus praemium Saxones,vel reddere Auſtriaci poterant,praeter eamPrincipem,quae cunctas Ueneres,Cupidinesque, riſusque,et iocos,ſecum vehens, largam nobis fortunarum ſegetem pollicetur. Salue itaque, MATER PATRIAE exoptatiſſima; ſalue cum FRIDERICO AVGVSTO Tuo, optimo Principe. Salue, Par incomparabile, in quo, quicquid vterque ſexus habet praecipuum, uis diuinior felici foedere ita ſociauit ac permiſcuit, vt, qui FRIDERICVM AVGVSTVM intuetur, ſimul MARIAE IOSEPHAE manſuetudinem, ac teneros mores,

oriſque decus omne, et artus quoque teretes ac rotundos, et, qui ad MARIAM IOSEPHAM conuertitur, fortem FRIDERICI AVGVSTI animum, ac iuſtitiae ſcientiarumque humanarum ac diuinarum acre ſtudium, facile agnoſcat. Adſpiciat iucunda has taedas Saxonia, coelumque impleat plauſibus ac laetitia, dum in vno foedere bona innumera, uitam, ſalutem, tranquillitatem, poſteris feliciter partam, non tam proſpicit longe, quam praeſens contuetur. Gaudeat REX Potentiſſimus cum Auguſtiſſima CONIVGE, ac diutiſſime fruatur uotis, pro Filio vnico, ſpe magna Domus atque Patriae, ſapienter ſuſceptis. Laetetur optata thalami foecunditate, uideatque ſubinde nepotes et abnepotes ſuauiter ſibi adludentes, atque exemplo Patris Auique in regna et imperia ſurgentes. At uos concordes Numen immortale ſeruet, FRIDERICE AVGVSTE, MARIA IOSEPHA, ſeruet, inquam, et pericula quaeuis, damnorumque et morborum omne genus, longiſſime a Uobis auerruncet, nec vnquam extingui caſtos amores Ueſtros patiatur. Uiuite felices, ac ſtirpi Saxonicae de perpetua Heroum ſucceſſione proſpicientes, ſpes atque uota noſtra feliciſſime ſuperate.

ORATIO

ORATIO II.

DE FELICISSIMA ANGLIAE ET SCOTIAE VNIONE, SVB IMPERIO ANNAE, MAGNAE BRITANNIAE REGINAE, FELICISSIME PERACTA. (*)

Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi Legati,
Rector Academiae Magnifice,
Vtriusque Reipublicae Proceres Ampliſſimi,
Tuque circumfuſa Studioſorum concio.

Rem arduam, et longe ſuperiorem uiribus meis, aggredior, de Potentiſſima MAGNAE BRITANNIAE REGINA, ANNA, eiusque prudentiſſimis conſiliis, et ſucceſſu auſpicatiſſimo, coram tot primi ordi-

 nis

(*) Hanc Academiae nomine publice A. 1707, die XXVI Iulii, recitauit, editamque poſtea, ipſi Reginae, ANNAE, inſcripſit graui Dedicatione, quam hic, quod loco oportuniore non liceret, exhibemus integram:

SERENISSIMA AC POTENTISSIMA
REGINA,
DOMINA LONGE CLEMENTISSIMA,

Ad MAIESTATIS TVAE *pedes*, REGINA AVGVSTISSIMA, *prouolutam reſpice Academiam, nec ſperne ſacra, quae immortali Nomini* TVO, *diui-*

[library stamp]

nis uiris, hoc ipſo die, quo tantae REGINAE Nominalia Sacra multiplici plauſu laetitiaque incredibili celebrant Britanni, publice uerba facturus. Nunquam enim illuſtriorem Academia noſtra Panegyrin inſtituit, nec

diuinae gloriae TVAE *incredibili admiratione excitati, caſtiſſima religione cultuque deuotiſſimo offerre conamur. Eſt enim Nomen* TVVM, POTENTISSIMA PRINCEPS, *tam ob neceſſitudinem cum* REGE NOSTRO CLEMENTISSIMO, *quam infinitas alias ob cauſas, Muſis noſtris, e calamitatum mole uix quidem reſpirantibus, ſacroſanctum;* TE *coelo ueluti demiſſam, cuius auſpiciis pax orbi terrarum atque tranquillitas tandem aliquando reddatur, omnes intuemur pariter atque ueneramur. Quot et quanta ſummae uirtutis iam documenta dediſti, cum rerum, nutu* TVO *geſtarum, ea magnitudo ſit, vt uel ipſius Caeſaris atque Auguſti, ac omnium, quotquot priſca Secula tulere, Heroum res, praeclariſſime geſtae,* TVARVM, INVICTISSIMA ANNA, *ſplendore quodammodo obſcurari uideantur? Teſtis eſt Danubius, qui, magnis oppreſſus hoſtium copiis, eorum ſanguine redundauit, quoque adeo uictricibus* TVIS *armis ab intentata Gallorum ui liberato, patria noſtra ab internecione uindicata, et in priſtinum ſtatum priſtinamque libertatem eſt reſtituta. Neque uero Germania ſolum, ſed etiam Italia, Hiſpania, Flandria, Brabantia, ipſaque maria, uictoriis* TVIS *illuſtrata ſunt, bellicasque incompara-*

nec facile quiſquam hoc in loco tanto omnium hominum concurſu locutus eſt, denique uix vnquam (quod citra iactantiam dictum eſto) uel maior in oratore uoluntas, uel in auditoribus expectatio, fuit. Res ipſa uero,

---

parabilis HEROINAE SVAE *laudes celebrant tropaea ac monimenta, per regiones paſſim conſtituta, quae nulla vnquam conficiet conſumetque uetuſtas, poſterique cernentes obſtupeſcent. Et haec quidem magna ſunt, ſed tamen longe maior eſt illa potentiſſimorum Angliae atque Scotiae Regnorum conſociatio, tantum certe negotium, quod ſucceſſurum, cum ſuſciperes, uix ſperari poterat; nihilominus pro ſumma, qua polles, ſapientia, ipſo diuino Numine uota* TVA *proſperante, ex animi ſententia haud ita pridem confeciſti. Haec certe res eſt vnius propria* ANNAE, *cum ceterae, conſilio* TVO *et auctoritate geſtae, magnae illae quidem, ſed ita tamen comparatae ſint, vt in gloriae ſocietatem foederatos, duces, militesque, admittere uidearis. Poſtquam igitur praeclariſſima illa uox in noſtras etiam terras penetrauit, qua, Foederis huius auſpicatiſſimum diem maximis ſtupendisque uictoriis iure* TE *anteponere, ſapientiſſime pronuntiaſti; nos, gloriae tam rarae admiratores attoniti, et, ob patriae ſalutem nobis conſeruatam, Auguſto Nomini* TVO *aeterna obſequii lege obſtricti, religionem noſtram ſubmiſſa congratulatione publice auſi ſumus declarare. Adſpice igitur*, REGINA CLEMENTISSIMA, *pietatem,*

uero, de qua, hoc cumprimis tempore, dicere ſuſcepimus, ita comparata eſt, vt nihil humile, nihil mediocre, uerum excelſa, ſublimia, immenſa omnia poſtulet. Et quis ſperandus orationis meae finis eſſet, vbi ſingularum, quae SERENISSIMAE REGINAE inſunt, uirtutum ornamenta et facta eius pulcerrima atque aeternitate digniſſima adumbrare, nedum graui et ponderoſa oratione eloqui et exprimere cupiam? Nam, cum ceteris Britanniae Regibus, ſanctiſſimis atque prudentiſſimis Principibus, nunquam inuidia ita pepercerit, quin quaſdam illis macu-

tem, TVA *autem iſta tam excellenti uirtute gaude, Regnoque* TVO *ad DEI nutum iam conſtituto, mox etiam, quae omnium curarum* TIBI *antiquiſſima eſt, vniuerſae Europae pacem concordiamque redintegra atque confirma, atque, rebus adeo compoſitis, ſummo fruere otio et tranquillitate. Ita DEVS Immortalis* TE, AVGVSTISSIMA PRINCEPS, ORBIS AMOR AC DELICIVM, SERENISSIMVMQVE ET CELSISSIMVM CONIVGEM, *publico ſolatio diutiſſime ſeruet, uotaque exaudiat, quae pro perenni felicitate* UESTRA *ſanctiſſime nuncupat*

SACRATISSIMAE MAIESTATI TVAE

deuotiſſima

ACADEMIA LIPSIENSIS.

maculas adſpergere tentauerit, ſola ANNA, uirtutibus, quae hominem formant, ornatiſſima, humanae ſortis terminos in eo fere uidetur transgreſſa, quod ne comminiſci quidem quisquam audeat, quo aut ſincerae pietatis, aut ſummae prudentiae, gloriam dubiam ipſi reddat. Illa, illa eſt, quae, inter difficillimas fluctuum procellas plus quam uirili alacritate conſcendens nauem Reipublicae, tanta et ſapientia, et felicitate, eam regit et gubernat, vt, ſublatis domi tot feralibus diſcordiis, omne diſcrimen omnemque metum longiſſime auerterit. Illa, inquam, eſt, quae inuidendam ac vniuerſae Europae prope exitialem hoſtium potentiam concuſſit ac fregit, vt non daturi poſthac, quod minati ſunt, ſed accepturi, leges uideantur. Quae dum memoro, bone Deus, quam latum ſpatioſumque ingredior diſſerendi campum! Magnus ſane erat UUILHELMUS, qui fortiſſimas Britonum phalanges in Hyberniam, in Belgium, traduxit, et acerrimos hoſtes cum acie ſuperauit, tum maxime fraenauit et inhibuit: maior ANNA, quae, vt pacato domi imperio fruitur, ita ingentes exercitus in Belgium, Germaniam, Luſitaniam, Hiſpaniam, et Catalauniam, trans mare mittit,

mittit; vt taceam, eius etiam auſpiciis Haſſos, Boruſſos, Sabaudos ad Eridanum et Uarum, Danos ad Danubium, ad Rhenum Saxones, militare. Illud uero prorſus etiam exemplo caret, eoque laude et praedicatione dignum cumprimis eſt, quod, cum plures Principes nihil aeque curare conſueuerint, quam vt paulatim augerent Regios reditus, ingentesque auri aceruos, quibus uel pabulum libidinibus ſuis, uel auctoritati firmamentum quaerunt, uariis artibus congererent, ANNA, ſola ſibi ſufficiens, nec expetit vsquam pecunias in priuatos vſus, et e proprio aerario largiſſime quotannis in publicam rem effundit, eam demum tutam credens et uere firmam potentiam, quae non minus vtilitate, quam libertate ciuium, ſuffulcitur. Quae pulcrior vnquam aut laudabilior Principem inter et ſubiectos aemulatio fuit? Hi facultates ſuas opesque omnes, vbi e re fuerit, ſponte et vltro magna animorum alacritate promunt, tradunt, conſecrant: illa, nulla in parte gente ſua tardior aut remiſſior, ipſa neceſſitati ſuae tanto plus in dies detrahit et, prope dixerim, abradit, quanto longius ſua commoda ſaluti Reipublicae poſtponit. Iam prudentiae in hac

Regina

Regina nullum eſt luculentius indicium, quam quod illorum conſiliis vtitur, qui, niſi ad miniſterium tantae Principis adlecti eſſent, digni ſane forent ante alios, qui adlegerentur. Quae res ſola, ſi nihil eſſet aliud in Auguſtisſima Regina magnopere praedicandum, vt ſunt infinita, eam reddere uidetur immortalem. Neque enim ignorat quisquam, quantum interſit Reipublicae, eos eſſe Regiorum conſiliorum adminiſtros, quos prudentiae, honeſtatis, et humanitatis, opinio tuetur. Et ſunt haec quidem magna, immo maxima, neque tamen omnia. Nam, cum multo plura breuitatis cauſa praetermittenda mihi fuerint, ad iſtud nunc uenio, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi, cuius cauſa ego hanc cathedram, et Uos, quae uideo, ſubſellia, occupauiſtis. Rem enim miraculo ſimilem, ac ſupra ſpem omnem atque expectationem poſitam, nuperrime perfecit Potentiſſima Britonum Regina, vbi Anglos Scotosque, animis, legibus, vtilitate, uita denique ipſa, et moribus, alieniſſimos, aeterno foedere ſociauit. Quantum ex hac re emolumenti ipſa Magna Britannia, Reges, Populi, tum uero Europa prope vniuerſa, immo ipſa religio, promittere

re ſibi ualeat, uident prudentiores omnes. Neque etiam non uidet alma haec noſtra Academia, quae hanc illuſtrem ſubmisſisſimi, quo tantam Reginam eminus proſequitur, amoris cultusque declarandi occaſionem e manibus dimittere noluit. Vtinam uero me diſertiorem tantaeque rei parem elegiſſet Oratorem! Etenim facile quidem patior, plures de me ſic ſentire, quaſi quouis modo Gentem hanc uirtutesque et famam tantae Reginae ad coelum vsque laudibus extollere cupiam; nec ignorant, quibuscum qualiscunque mihi intercedit amicitia, quantam capere uoluptatem ſoleam, quoties de Anglis ſermo incidit, qui me hoſpitem innumeris beneficiis affecerunt, et immerentem ad illuſtrem et uere Regiam Societatem aliquot abhinc annis admiſerunt. Uerum et debilior ingenii mei acies ad altiora haec minus pertingit, quippe quae alii, quibus e meliori luto finxit praecordia Titan, multo accuratius perſpiciunt, et oratio mea ſerpens ac humilis ad exornandum, vt par eſt, tam eximium argumentum parum idonea eſt. Ne tamen uel ueneratione erga incomparabilem ANNAM, in quam, nondum Reginam, nunquam

quam ſine ſubiectisſima animi demisſione oculos conuertebam, quod, neſcio quid magnum de illa iam tum mens mihi mea praeſagiret, uel obſequio erga almam matrem, Academiam, cui repugnare nefas, defeciſſe uidear, non inuitus, quam mandatam mihi uideo, prouinciam in me ſuſcipio. Quod ſi uero etiam Uos, ILLVSTRISSIMI LEGATI, et Auditores reliqui, quorum praeſentia animum mihi addit, et tantum non inſpirat, beneuolentia et affectu breuem orationem meam proſequi uelitis, id quod ſubmiſſe et decenter contendo, non plane vmbraticus mihi uidebor aut indiſertus.

Quandoquidem inde a prima rerum omnium creatione, Auditores honoratisſimi, Angliam Scotiamque vnam Inſulam fecit, nulloque limite diſtinxit ſupremus rerum arbiter et ſtator DEVS, nihil magis conueniebat, quam vt Regna iſta perpetuo foedere coniuncta eſſent, atque vni Regi ac Domino, vnis legibus, parerent. Enimuero aliter uiſum his populis, qui, vt ſunt homines plerumque ad inimicitias multo magis ſcisſioneſque et ſimultates, quam ad vnionem et concordiam, natura procliues,

res a ſe inuicem ſeparatas habere a multis ſeculis maluerunt, et, finibus ſubinde caede et ſanguine pollutis, alter alterius commodis, facultatibus, uitae, perpetuo fere inſidiati ſunt. Equidem et olim EDVARDVS I, Rex Angliae, eo totis uiribus allaborabat, vt Scotiam, armis ſubactam, Angliae demum vniret, et beata ſibi uiſa eſt haec regio, poſtquam non tantum ſub HENRICO VII roſae, uerum, quod fruſtra hactenus tanto bellorum apparatu fuerat quaeſitum, uicina Regna potentisſima ſub IACOBO I fuiſſent pacato imperio coniuncta, quod, vt illic inteſtina, ita hic externa odia, crederentur penitus ſopita. Nec omiſit quidquam IACOBVS, quod ad firmandam ſtabiliendamque vnionem pertineret. Neque enim antea cum domo Regia vrbem Londinum ſolenni pompa ingreſſus eſt, quam uetuſtum et a longo tempore inauditum MAGNAE BRITANNIAE nomen eſſet quaſi poſtliminio reductum. Hinc publice etiam uoti ſui indicium fecit Rex, inſertis numiſmati uerbis: FACIAM EOS IN GENTEM VNAM; et praeterea in ipſis Regni Comitiis operoſa et perelegante oratione demonſtrauit, quan-

quantum intereſſet, cum vnum caput Anglis Scotisque praeſit, eosdem vno pariter Reipublicae corpore contineri; Regem mariti loco eſſe, quem haud deceat plures ſibi connubio iungere vxores. At non deerant, qui, Regem publica minus, quam ſua, commoda, et ſupremum quendam, nullisque finibus circumſcriptum, dominatum in vnione iſta quaerere, exiſtimabant, cui rei, ſi quidquam augurari licet, inuidioſa IMPERATORIS M. BRITANNIAE, et CAESARIS CAESARVM, nomina, in publica moneta conſpicua, fidem faciebant. Itaque, nihil magnopere vrgere hanc vnionem, nullumque ex ea emolumentum oſtendi, aſſeuerabant, Regna uel uictoriarum curſu, uel connubiis, coniungi, noui Regni inſtitutione alterius antiquioris memoriam exſtingui, magnas ea re perturbationes in negotiis, in Comitiis conuocandis, in ſigillis, munerum publicorum diſtinctione, legibus ac conſtitutionibus ſanciendis, libertatibus, priuilegiis, curiis, actis publicis, priuatorum contractibus, conſecuturas: indignum eſſe, mutari nomen Anglicum, eo tempore percelebre, cum Britannico, nimis obſoleto, tot-

que uictorias, ab Anglis terra marique partas, vna cum nomine obſcurari: idem nomen Scotico ſemper olim ſine controuerſia praeiuiſſe, nunc, Britannico aſſumpto, ſi non priorem, parem certe, Scotis locum concedi: id Anglis minime placiturum, qui antiquo nomine gaudeant, et ominoſum ducant, abolita priſci temporis memoria, per nouas agnominationes praepoſtera ambitione maiorum gloriam obfuſcari. Alii, non eadem, quae noua, periculoſa omnia, Regique in re tantilli momenti haud eſſe pertinacius repugnandum, contendebant: vno nomine mutato, tolli infinitas rixas atque inimicitias: neque ipſi rerum naturae aduerſari id generis mutationes. Nam et riuulos, cum fluminibus, et flumina, cum Oceano illabuntur miſcenturque, abiicere nomina ſua, uel mutare. Poſt multa acrius diſputata, ad extremum peruicit auctoritas, vt MAGNAE BRITANNIAE uox reciperetur, eoque arctiori, ſi fieri poſſet, Regnorum coniunctioni ueluti praeluderetur, crucibus etiam Sanctorum, Georgii, et Andreae, in uexillis nauium intermixtis et nummis aureis argenteisque in uulgus ſparſis, quibus, QVAE

DEVS

DEVS CONIVNXIT, NEMO SEPARET: HENRICVS ROSAS, REGNA IACOBVS: TVEATVR VNITA DEVS! et ſimiles ſententiae inſcriptae legebantur. Enimuero inane nomen vnionis erat, cum re ipſa inueterata et grauiſſima odia exerceret interea vtraque natio. Quamobrem triennio poſt eadem res in publicis regni Anglicani Comitiis a Rege denuo propoſita, magnaque animorum contentione a Proceribus agitata fuit. Negotioſam inprimis ac moleſtam prouinciam FRANCISCVS BACO ſuſcipiebat, uir in tantum laudandus, in quantum patet ciuilis prudentiae et uariae eruditionis ampliſſima commendatio, qui, cum in inferiori Regni Senatu primo gauderet ſuffragio, Regis cauſam tuendam pro uirili ſuſcepit, uiam ſibi ad ſplendidiſſimum, quod poſtea nactus eſt, Cancellariatus munus aperturus. Quamobrem omne ingenium, uirtutem, eloquentiam, quam totam poſſidebat, eo contulit, vt ciuibus ſuis, e re eſſe, perſuaderet, vniuerſae Britanniae, non minus Scotos Anglica, quam Anglos Scotica, ciuitate donari. Uerum fruſtra haec omnia fuere. Alii enim, ipſa ſaepius foedera atque vnio-

nes uel ingentium bellorum, uel multorum certe diſſidiorum, cauſas extitiſſe, affirmabant, exempla Abrahami et Loti vrgentes, qui, cum familias omnemque rem domeſticam vniuiſſent, in altercationes inciderunt, his inuicem uerbis ſibi ualedicentes: VADE TV AD DEXTRAM, ET EGO AD SINISTRAM. Alii, male actum cum Anglis, contendebant, ſi, cum ſoli bonis ſuis frui poſſint, alienigenas fouere, et ad partem eorum, quae ipſis ſolis natura indulſiſſet, admittere ſponte atque vltro uelint. Quemadmodum enim arbor, vbi e ſterili in pinguem agrum transfertur, mox tollitur in altum, lateque ſuas explicat frondes, uicinisque plantis clam neruum omnem ſubducit, ita Scotos, aiebant, indigentiores Anglorum opes et diuitias paulatim abſorpturos, ipſisque eorum paſtos medullis, pulcre fruituros aliena deſidia. Etſi uero ad haec prudentiores reſponderent, ſtipitem truncumue inertem ne quidem in optimo ſolo efflorescere, ſic Scotos, niſi ſapientiam et uirtutem opesque ſecum afferant, lucraturos omnino nihil: uiciſſim autem et ex Anglia multos, quibus anguſtior uideatur patria,

in

in Scotiam emigraturos, cultumque et ſplendorem allaturos locis deſertis: communem poſtremo omnium vtilitatem, communem fructum futurum; tanta tamen erat animorum aemulatio, tantum diuortium, vt, quo quis plura, quo potentiora ad perſuadendam vnionem argumenta afferebat, hoc peius crederetur animatus in Rempublicam. Obſtinatum enim Scotis, dignitatem Imperii ſui, a tot Seculis ſartam tectamque ſeruatam, vsque tueri, ſuis Regibus, ſuis etiam inſtitutis ac legibus, vti: Angli autem eos, quorum nulla erga ſe beneuolentiae, odii contra et inuidiae longe plurima, extarent documenta, penes ſe iure ciuitatis, priuilegiis, omni denique felicitate, libere frui, ſuperuacaneum non tantum, uerum et noxium, eſſe affirmabant. Ne tamen nihil prorſus egiſſe uiderentur, qui ad eam rem componendam delecti eſſent, demum vnionis formulam, certis legibus conceptam, deſcripſerunt, quas inter praecipuam hanc Auctores memorant: NE GENTIBVS IRARVM AC DISSIDIORVM CAVSSAE SVPPETANT, VTRINQVE HOSTILES LEGES OMNES SVBLATAE ATQVE ABROGA-

TAE SVNTO. * Et erant ſane etiam illo tempore uultures rapaces, qui, transgreſſi ſubinde Scotiae fines, rapinam exercebant, et, ne depoſuiſſe uetera odia uiderentur, impune in uicinos Anglos graſſabantur. Quam rem an non aptam iudicatis, Auditores, quae cuncta IACOBI, Regis, conſilia euerteret, imo proſterneret peſſundaretque? Ex eo tempore ſi potentiſſimi Angliae Reges non nimis fuere de vnione procuranda ſoliciti, non uoluntatem, ſed uires, ſed fortunam, defuiſſe, publice conſtat. Quanquam incertum uideatur, vtrum hoc gentium diſſidium ſequentibus temporibus maiori damno CAROLO I, an vtilitati CAROLO II, Regibus, fuerit. Neque enim ille in tantas calamitates pertractus, neque hic in Angliam vnquam fuiſſet reuerſus, ſi, vtramque gentem arctiori uinculo contineri, fata uoluiſſent. VUILHELMVS III uero, optimus Princeps, Angliae imminente ſeruitute depulſa, patrio cultu ſtabilito et confirmato, hoſtibus fugatis, perduellibus punitis, commerciis inſtauratis, nihil deeſſe ad felicitatis ſuae cumulum, cenſebat, quam firmiſſimam Angliae Scotiaeque coniunctionem, totusque

eo

eo allaborabat, vt ea Regna mature coaleſcerent. Proinde, ne alterius gentis erga ſe odia prouocaret, vtramque pari affectu proſecutus eſt, ſuis vtramque legibus moribusque uiuere paſſus, atque ſic omnes mire ſibi deuinxit. Et ſucceſſiſſet vtique, quod in uotis erat, UUILHELMO, niſi monſtraſſet terris hunc tantum Numen, in medio quippe rerum maximarum conatu mortalibus ereptum; quanquam nec ereptus prius eſt, ſi famae credimus, quam ANNAE Auguſtiſſimae, cui ſoli hanc gloriam ſeruatam uoluit DEVS immortalis, vnionem Regnorum vltima quodammodo uoluntate demandaſſet. Etenim non ſine ſingulari diuini Numinis prouidentia factum eſſe reor, vt rem, toties nequidquam a maioribus tentatam, quin tot tantisque difficultatibus inuolutam, vt de felici ſucceſſu ipſi etiam uiri prudentiores dubitauerint, in ipſo bellorum grauiſſimorum ſtrepitu, pacate et ex uoto perficeret felicisſima REGINA. Scilicet non ſatis erat, ſub eius imperio res praeclaras, et fidem propemodum ſuperantes, terra marique ab iſtis belli fulminibus, ORMONDIO et MARLEPYRGIO, geſtas; non ſatis

erat, ſublata penitus eorum inueterata et fatalia nomina, qui, vtilitatem Regis a ſalute Reipublicae ſeparari poſſe, cenſuerunt; nec ſatis erat denique, (quis enim laudes omnes enumerare auſit?) haeredem dictum fuiſſe, publicaque tabula confirmatum, qua in re ANNA, quae rara eſt Principum cura, etiam, vt poſteris bene eſſet, prudenter proſpexit. Hoc vnum ad gloriam decusque et famam optimae REGINAE reſtabat, vt Anglos Scotosque inter ſe non tam componeret, quam iungeret penitus, et uelut Chymicorum in morem commiſceret. Qua in re promouenda nullum fuit efficacius praeſtantiusque argumentum, quam quod perſuaſiſſimum eſſet omnibus, non poſſe quidquam moliri ANNAM, quod uel prudentiae legibus, uel ſaluti Reipublicae, aduerſaretur. Nec poterat illa profecto luculentiorem nanciſci monſtrandae uirtutis occaſionem, cumque tanto plus laudis uictori tribuendum ſit, quanto pertinaciorem habuit aduerſarium, magnas vtique laudes, imo maximas, debemus huic REGINAE, quae tot obſtacula, tot technas, feliciſſime ſuperauit. Erant, qui vnioni totis uiribus obſtreperent, vt num-

nunquam deſunt, qui, rem ſuam publicae anteponentes, optima quaeque conſilia peruertunt, vt in turbido piſcari queant. Et nihil forte omiſit plurium diſcordiarum auctor et fautor, Gallus, quod ad eam impediendam faceret. Neque tamen inficior, in illis, qui contrariam ſententiam tuebantur, fuiſſe plures, qui, etſi a REGINA et Republica nequaquam eſſent alieni, tamen, neſcio quid periculi metuebant. Quem uanum fuiſſe metum, mox apparuit, cum iidem, qui paulo ante coram REGINA et Senatu Regni vnionem modis omnibus oppugnauerant, ea demum facta, conceptisſimas REGINAE gratias decernerent. Ita MAGNAE BRITANNIAE populis idem nunc eſt Regnum, idem Ius, idem Uexillum, idem Commercium, idem Senatus, idem Sigillum, idem denique monetae, menſurae, atque ponderis, vſus. O rem dignam praedicatione, dignam plauſu et multo tripudio! Id quod, praeter vnam ANNAM, ſperabat nemo, deſperabant tantum non omnes, euenit poſtremo diuini Numinis gratia, REGINAE prudentisſimae ope, conſilio, uirtute, vt hinc liceat haud difficulter ominari, nihil eam poſthac

ſuſce-

ſuſcepturam, quod idem non ſit feliciſſime ſucceſſurum. Equidem fateor, in legibus adhuc aliquid diſcriminis ſupereſſe, cum exiguo hoc temporis interuallo haudquaquam condi potuerit nouum quoddam Iuris Corpus, quod Anglis Scotisque commune eſſet, quorum, ſi minus leges ſcriptae, conſuetudines certe, haud parum inter ſe diſcrepant. Nam, quantum ad iura Scotorum attinet, eas certe leges, quae ad praediorum poſſeſſiones ſpectant, IACOBVS I, Rex Scotiae, qui in Anglia altus atque educatus fuit, prudenter ſanxit, quas adeo, ecquid mirum, ab Anglicis ſolis ſaepe formulis differre? Ius uero ciuile, cuius vſum IACOBVS V, e Gallia redux, in Scotiam inuexit, vt illic, ita in Anglia, tum demum obtinere nouimus, vbi ceſſauerit Municipale. Atque huic quoque, quod Municipale uocamus, vtriusque gentis genio attemperando, ſpes eſt, operam haud uanam collocaturos olim Iuris Anglici ac Scotici peritos, vbi familiarius inter vtramque gentem commercium fuerit ſtabilitum. Quanquam quid opus eſt, iisdem legibus vti, qui aliis in rebus omnibus prorſus et omnino conſentiunt? Annon et Inſularum,

rum, Normannico littori adiacentium, Caeſariae nimirum, Sarniae, atque Euboniae, incolae Normannico iure vtuntur, ſpretis Anglorum legibus, quorum nihilo minus in ciuitatem admiſſi pridem ſunt? Ceterum uero iura omnia, quae ad Regem et Rempublicam in vniuerſum pertinent, ita coaequata ſunt, vt eadem nunc Anglorum Scotorumque conditio, eadem forma regiminis, idem denique dignitatis et exiſtimationis gradus ſit, vt taceam, has gentes, quantum ad exactiones et onera, quae tamen pro tanta animorum erga REGINAM propenſione uix onera appellaueris, pari lege uiuere. Sed operae pretium eſt, vt vnionis, de qua hactenus dictum fuit, emolumenta, quae uel Angli, uel Scoti, promittere inde ſibi poſſint, paucis exponamus. Si hiſtoriam euoluamus praeteriti temporis, magna ſaepe et cruenta bella, inueniemus, inter ſocios populos fuiſſe mota, antequam communi ciuitatis iure ſibi inuicem obſtringerentur. Quid ex vnione Romanorum atque Latinorum? Nonne bellum illud ſociale acerrimum atque pernicioſiſſimum coortum eſt, quo etſi Romani Latinos demum ſuperauerint, eos tamen ciui-

tate

tate donandos atque ita aeterno quodam uinculo deuinciendos cenſuerunt? Idem fere de Spartanorum et incolarum Peloponneſi, de Caſtellanorum et Aragonum, Florentinorum item, et Piſanorum, foederibus dicendum eſt, quae tam diu fallacia fuere et incerta, quam diu iura ciuitatis haud acceſſerunt. Ecquid uero hodie tot Regna, Legionem, Caſtiliam, Ualentiam, Aſturiam, Andaluſiam, Granadam, aliaque, tam firmiter inter ſe continet? Nimirum et eodem Hiſpaniae nomine comprehenduntur, et eodem etiam fruuntur iure ciuitatis. Iam, vt ad Angliam Scotiamque deueniamus, quis ignorat, quantum uirium accreuerit Angliae vnica Cambriae acceſſione? Quanto autem ſiue Anglia, ſiue Scotia, quam Cambria, maior ampliorque, tanto maiora nemo non expectat commoda, poſtquam Scotia cum Anglia ita coaluit, vt nulla temporum iniquitate, nulla arte doloue, diuelli olim a ſe inuicem Regna haec poſſe credantur. Potentiſſima ſane Anglia eſt, patentiſſima, opulentiſſima, quae ſola antehac Scotis Gallisque, perpetuo fere foedere vnitis, non tam par fuit, quam ſuperior. Scoti, bellis, labori-

bus

bus aſſueti, etſi inferiores opibus eſſent Anglis, libertatem tamen amiſerunt nunquam, nunquam prorſus debellati aut ſubacti ſunt. Nunc, vbi haec tanta Regna in vnum coniuncta ſunt, quae uaſto pelago, uelut munimento quodam fortiſſimo, circumdata, internos hoſtes nullos, nedum externos, metuunt, creſcet in immenſum vtriusque gentis potentia, creſcet felicitas, vt inter uere fortunatas Inſulas primum habitura locum Britannia uideatur. Et, ſi nihil aliud, hoc certe ex vnione iſta lucratur inprimis Anglia, quod ab omni metu belli Scotici liberata eſt, quod procul dubio Anglis imminebat, ſi ANNAM, quae vtinam aeternum uiueret! ad Superos abire contigiſſet, nullo a Scotis conſtituto ſucceſſore. Proh DEVM immortalem! quantam rerum omnium conuerſionem futuram fuiſſe creditis, Auditores, niſi mature his rebus proſpexiſſet REGINA? Nam, ſi haereditaria Scotiae Regum ſtirps, e qua inde a FERGVSIO (quae rara eſt Principum felicitas) non interrupto ordine Reges hactenus et Reginae centum ſupra tredecim prodiere, in Anglia defeciſſet, periculum non uanum erat, Scotos ea occaſio-

ne

ne ab Anglis iterum ſeceſſuros, et Gallorum, quibus Scotiae Reges haereditario quondam foedere ſociati fuere, amicitia nixos, ſuos Reges habituros. Hinc iurgia, hinc bella caedesque, metuebantur; quem quidem metum iuſtiſſimum, prouidentia Numinis, et ſtudium optimae REGINAE, longiſſime ab Anglis propulſauit. Neque tamen putandum eſt, minora, aut pauciora, commoda ad Scotos redundare. Nam, vt plura alia praetermittam, quae priuatae ſortis homines lucrantur, ingens certe ex vnione iſta incrementum capiunt commercia Scotorum. Quod enim nunquam antehac licuit huic Genti, libere nunc Anglorum in India Orientali et Occidentali colonias frequentat, nauesque non minus importandis, quam exportandis, mercibus exſtruit, et rebus, alieno ſanguine partis, vtitur vt ſuis. In Angliam uero, quotiescunque lubet, non profeſſas merces inferre et efferre, cunctis iam ſublatis uectigalibus, Scoti poſſunt. Qua in re nouum licet et praeclarum munificentiae in Auguſtiſſima REGINA exemplum animaduertere, quae, excelſo animo propria ſpernens commoda, Regium aerarium pulcerri-

cerrima acceſſione priuauit, vt ciuibus ſuis, quibus ſe vnice conſecrauit, quam optime conſuleret. Nec his ſolum, uerum et Europae tantum non vniuerſae, bene conſultum eſt. Ecquis enim non uidet, quam ſint praeualidae hoſtium uires, quanta ambitio, quippe qui ceteras gentes longe deſpicientes, vniuerſae Europae ſe breui gloriantur dominaturos. At hi eo maxime res ſuas promouent, quod iaciendis diſcordiarum ſeminibus, reſcindendisque foederibus, mire apti ſunt, quandoquidem Machiauellicum illud: DIUIDE ET IMPERA, non tam animo etiam atque etiam perpendunt, quam re ipſa obſeruant. Atque auſim ego affirmare, tot luculentiſſimis uictoriis, quas de Gallis in Germania, Italia, Hiſpania, Catalaunia, Gallia denique ipſa, deportarunt Foederati, nequaquam tantum damni illatum Franciae fuiſſe, quantum hac vna Angliae Scotiaeque coniunctione, qua demum conſummata, fruſtra audent, quicquid audent, Galli. Plura dicturus eram, niſi praeſentia Illuſtriſſimorum et Grauiſſimorum Uirorum, quos ſubmiſſa animi deuotione ueneror, breuita-

tem ſuaderet, et ſilentium mihi quodammodo imperaret. Quamobrem non morabor Uos diutius, Auditores honoratiſſimi, qui multo rectiora animo concipitis ipſi, quam ego, tantarum rerum expers, uerbis ſatis aptis pronuntiare ualeam. Hoc addo, quod nemo noſtrum animo non repetit ac iterat: *Uiuat incomparabilis ANNA, fruaturque bonis, quae ſibi ipſa peperit, et nunquam poſthac experiatur fortunae mobilitatem? Uiuat Sereniſſimus et Celſiſſimus Daniae Princeps, GEORGIVS, non tacendum Saxonibus nomen, gaudeat diu ſanctiſſimo magnae Coniugis amore, quaeque eius auſpiciis terra marique geruntur, ſecunda omnia eueniant! Denique floreat MAGNA BRITANNIA, ac nunquam cedat externis hoſtibus, nunquam a ſe ipſa diſſideat!*

(o)

ORATIO

ORATIO III.

DE

IO. ANTONII CAMPANI,

EPISCOPI APRVTINI,

ODIO IN GERMANOS. (*)

Illi ſapere mea ſententia parum uidentur, Auditores optimi, quibus Graecas diuitias et ueteris delicias Latii ab orco quaſi et tenebris reuocaſſe in lucem vnus BVDAEVS, uel ERASMVS, creditur. Uerisſime enim arbitrantur, qui decimo quinto potiſſimum poſt natum Chriſtum Seculo renatum bonarum literarum ſtudium aſſerunt. Sed ea fuit temporum illorum calamitas, vt, qui ſuo exemplo in poſterum literis egregie uoluerunt proſpectum, illorum famae a maioribus noſtris conſultum ſit peſſime. Nam, vt FRANC. PHILELPHVM, HERMOLAVM BARBARVM, ANGELVM POLITIANVM, THEODORVM GAZAM, GREGORIVM TIFERNATEM,

(*) Recitata eſt publice in ſolenni renuntiatione 19 Baccalaureorum Anno 1701 d. 30 Aprilis.

LAVRENTIVM UALLAM, POGGIVM, Florentinum, et centum alios, taceam, quorum partim ne nomina quidem ad nos peruenerunt, quotusquisque eſt ueſtrum, Auditores, qui de IOANNE ANTONIO CAMPANO, Pontifice Aprutino, quidquam hactenus uel fando acceperit? At quanto uiro? Quam Latino homine? Quocum quis noſtro aeuo de ſermonis elegantia contendere auſit? Neque profecto uana eius uox eſt, vbi, de bonis literis coram IACOBO ANTIQVARIO differens, *haec ſtudia*, ait, *ſunt, quam Oceanus, latiora; non multis littoribus adnauigaſſe me ſentio. Proinde, quanquam a multis rerum promptitudine ſuperatum me fateor eſſe, tamen, ſi ſpatium detur, eadem uidebor ſcire, quae alii, ſcribendi autem uarietate cedam interea nemini.* Uerum haec ambitioſius paullo, quam uerius, dicta uideri poſſent, vtpote ab ipſo CAMPANO profecta, niſi luculento MICHAELIS FERNI iudicio probarentur. *Vnus hic*, inquit, *non tam mihi, quam eruditiſſimo cuique, et aequaſſe omnes re quaque uidetur, et ſuperaſſe. Oratione amplior nemo, Hiſtoria illuſtrior, in Philoſophia*

phia et diſputationibus vberior, diſtrictior, expreſſior, in epiſtolis concinnior, ſuauior, in carmine ſonantior heroico, elegia gracilior, epigrammate ſcommoſior, feſtiuior, argutior nemo: vbique promptus et facilis, vt neque ſudet vſpiam oratio horridior, neque uerborum licentia ſubſultet, aut puerilibus laſciuiat ſententiolis, per ſingula, vt quaeque depoſcit res, vber et magnificus, grauis et uenuſtus, pleno fluens alueo, non tenui excurrens riuo. Nam, vt ANTIQVARIVM quoque audiamus, *fluit potius, quam ambulat, nec niſi pleno ſemper alueo, ac ſubinde aliquantum progreſſus, ſe in gyrum uertit, certaminis et ſpiculorum plenus, nec vnquam quidquan praetermittit, quod ad delectationis aucupium pertinere ſentiat, uarius et niteſcens vbique; qualem natura protuliſſe videatur, ne Romana ac ueteri illa dicendi maieſtate caruiſſe doleremus.* Quid uero pulcrius, quid magnificentius ad laudem CAMPANI dici poteſt? Et felicem te, CAMPANE, ter et amplius, ſi in felici Campania tua haeſiſſes! O te notum ſatis et celebrem, niſi Germanis quoque olim innotuiſſes! Nam, come ipſe, iuſſu ſummi

mi Pontificis, PAVLI II, ibat Piccolomineo, ad Comitia Ratiſponenſia Legato, vt FRIDERICO II, Imperatori, Principibusque Germaniae, bellum Turcicum perſuaderet. At quam feſtiue Germanos increpat paſſim! Quanto odio habet! Quam ipſi dulce protinus in Italia mori, modo inter Germanos, quos non ſemel barbaros uocat, uiuendum ei amplius non ſit! Quamobrem acerrimas CAMPANI querelas in ſolenni hac Panegyri in medium proferre ea ratione propoſitum mihi eſt, vt, quo iure quaue iniuria illae afferantur, et quae ſit praeſertim CAMPANI elegantia, vbique pateat. Uos uero, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi, faciles mihi praebeatis aures, et, quoties Germanorum improbos in ea aetate mores fatebimini haud iniuria reprehenſos, temporis huius, in quo nati eſtis, felicitatem praedicetis, eoque, quod defuturum eſt orationi meae, quam uolo eſſe quam breuiſſimam, tacita meditatione ſuppleatis.

Cura, vt reuocer. Conſeneſcere inter barbaros tam Latinum hominem, nec tibi pulcrum eſt, nec eſſe Numen noſtrum patietur.

tietur. Cura, vt reuocer. I, adi, circumi, ambi, uexa, infeſta, disiice omnia. Cura, vt reuocer.

Italiam poſthac ſi linquere forte uidebis,
Iratos in me dixeris eſſe Deos.

Ita CAMPANVS ad COSMAM DE VRSINIS, cum in Germania uiueret. Sed quid dixi, uiueret, quandoquidem ipſe alicubi ad LEONELLVM: CAMPANVS *ueſter adhuc ſpirat. Nam, uiuere inter barbaros, aliquanto minus eſt, quam uita: et coelum haurio, ſenſum humanitatis amiſi;* iterumque ad Cardinalem PAPIENSEM: *Malim perire, quam ſic diutius agere. Uiuimus, ſi modo uita eſt aliqua, eſſe cum barbaris;* et ad eundem rurſus: *Ego miſere crucior, exſpecto, vt tu aut eripias me hinc, aut eripiendum ab alio cures. Non poſſum amplius eſſe Germanus: nolo diutius uiuens inter mortuos uerſari, aſpiciant coeli rem noſtram!* Nimirum Italia eſt, quam vnam credit Muſarum deliciarumque ſedem, vnam cogitat, vnam amat. Quare ad PAPIENSEM ita eleganter ſcribit: *Cupimus ambo, et tu ſcire, et ego ſignificare, quid in Germania faciam; dicam;*

meditor, facio nihil, dico parum, meditor vnum:

Italia, Italia eſt; reſonat mihi dulcis in ore

Italia, Italia fixa mihi eſt animo.

Cupio, ardeo, exanhelo, excandeſco, incendor, aeſtuo, et te, et Italiam, reuiſere.

Italia, et dulces Latii (Diuum omnia) campi,

Quando erit illa dies? quando erit illa dies?

O uos felices, quibus eſt pia moenia Romae

Aſpicere, et media uiuere in Italia!

O ſolis, o coeli, o Deorum domicilium, Italia! Quid autem, mi CAMPANE, nonne mox dicis: *Minime poenitet, nos abfuiſſe ab Italia. Labimur, nec clam labimur, vndique res corruit, èt ad eam licentiam uentum eſt, vt iam peccare non pudeat.* Iſta ſunt ſcilicet, quae tantopere in Italis tuis commendas et collaudas. Quid eſt igitur, quod barbaris ereptus, atque Italiae tuae, quaſi poſtliminio, reſtitutus, horrendum, exclamas: *O fecem temporum! O amurcam! O merdam!* Iſta uero Solis, coeli, et Deorum, domus eſt. Sed iam

iam uideamus, quae ſint illa in Germania noſtra, quae nauſeam CAMPANO mouere potuerunt? Primum ait: *Haec terra, crede mihi, rerum omnium, quas terra pariat, inopia damnata eſt, coelo aſpera, ſolo ſterilis, agreſtis cultu, infecta latrociniis, uncta, foeda, ſpurca, tam eſt a nobis naturâ diuerſa, quam uerbis. Sed ad nomen quoque*, dicit alio in loco, *Germaniae ſubnauſeo. Nihil hic, quod oculos, nihil quod manus, nihil, quod ſenſum aliquem humanitatis delectet. Nam coelum illud patens et agri latiſſima facies iam autumno primo inhorruerunt; et tolerari per aeſtatem potuerunt, ferri iam homini tam delicato non poſſunt.* Adeone igitur calidiſſimos Solis radios amas, delicatule, vt ſub vmbra habitare tibi graue ſit, quaeque iucunda omnibus eſt, temporum uiciſſitudo tibi vni faſtidiatur. Ex uoto ſane accidit, quod, quoniam amas calorem, ſummi Pontificis decreto ad Garamantas et Indos, ob literas duriuſcule ſcriptas, relegatus es. Ego, ſi ſententiam dicere meam deberem, nequaquam hoc coelum, quod nec frigidum, nec calidum nimis, cum Italico permutarem. At dicis: *Serum eſt in*

Germania florere ; poma ſero matureſcunt, quaedam nunquam : medio nunc Iunio frigemus, quid futurum ad Decembrem exiſtimas, et an reſiſtere uiros poſſe in Italia natos? Quod ſi aeſtas nos Germana tam uexet, quid facturam hyemem, quid recta nos impetentem Aquilonem exiſtimemus? Aut gelari frigore oportebit, aut foetore intra aeſtuaria mori. Uerum non omnis nobis hyems continuatur ad Iunium, uel, ni prorſus fallor, CAMPANVS hyeme Gallica frigidior fuit. Et ſcio equidem, quam ſit pomorum et omnis generis fructuum foecunda Italia ; uerum quid de Porſtorffiis pomis dicendum eſt, quae in pretio Italis habentur longe profecto maiori, quam noſtris in oris Citria uel Sinica? Quid de fructibus aliis? quos taceo lubens, ne Tantali epulis illuſiſſe uobis, Auditores, uidear. Enimuero *pane ueſcimur, ſiligine confecto, atque ideo atro, inſulſo, putrido. Interdictum eſt nobis pane frumentario, ficubus, faba, ozimo, lauro, pomis aureis, rebus mille, quibus tunc carere nos intelligimus, cum poſtulamus, nec inueniuntur, et nec intelliguntur quidem, et miraculi loco habentur, ſi fuerint importatae.*

tatae. Niſi admodum fallor, apud ruſticum, Iro pauperiorem, hoſpitabare, cum iſta ſcriberes, CAMPANE, uel prorſus nunc alia ſunt tempora, aliud ſolum, uictus quoque alius. Nam quis atrum panem hodie apponat menſae, et num tibi fabae, quibus nihil nunc apud nos tritius, tanti uidentur, vt illis non ſine ſumma moleſtia careas? Scilicet Platonicus es, non Pythagoreus. Platoni enim haec erant bellaria, ficus, cicer, faba, myrti baccae, et ex fago glans prunis toſta. Contra Pythagoreorum praeceptum erat: *A fabis abſtinete;* nempe, animas migrare in fabas, ſibi habebant perſuaſum. *Nec vnam cibariorum*, pergit Noſter, *cenſeas eſſe moleſtiam. Adde ſitim atque oculos lacrymantes inter acerba pocula. Nam, ad cyathum quam bibo, tam lacrymor.* Iterumque: *Vt intelligas, quid hic mali aeſtas habeat; ſi nihil aliud, duriſſimum illud eſt, non poſſe ſine lacrymis bibere. Nam, aquam quoque ſi bibas, uentris tormenta patiere; proinde miſerere mei.* Memini, dum haec lego, aliquando Italo cuidam, bibacitatem Germanis obiicienti, reſpondiſſe Germanum:

Lex poſita eſt Ueneri Iulia, nulla mero;

quibus

quibus uerbis et improbos amores Italorum taxabat, et, Germanos, ſignificabat, quo minus bibant, lege nulla prohiberi. Aſt ego aliter tecum agam, mi CAMPANE, et omnino uerbis tuis te confundam. Modo enim nobis acerba uina obiicis, modo *madentes* uocas *Germanos*, et ludis Epigrammate:

Arce ſedet Bacchus, ceſſit neglectus Apollo,
Nil hic eſt aliud uiuere, quam bibere.

Anne tam ſtupidos nos bardosue credis, vt in ipſis lacrymis gaudeamus, et letale merum hauriamus auidi? Et tute traheris uini uoluptate incredibili, vt tot amores tuos iam non attingam. Quam pulcre ad Gentilem:

Quando erit illa dies, quando tua rura uidebo,
Quando, quae dederit ruſtica dextra, bibam?
Dum memini, ſitio, uideor mihi plena uidere
Pocula, Vindelica candidiora niue.

Vt Phangia tibi placet?

Phangia tunc nobis celebrabere, Phangia, dicam,
Digna tui es uatis, carmine digna meo.

Eſt

Eſt quoque illud graue, vno prandio per fercula in coenam decurrere,

Et ſolem Lunae longa coniungere menſa,
Et nocti ad coenam continuare diem.

Uerum, conſiderate, quaeſo, Auditores, temporum noſtrorum felicitatem. Cum omnis generis uino hodie abundemus, bibaces neutiquam ſumus, ſed moderati, ſed frugales, cum copiae quoddam cornu manibus quaſi teneamus, haud amplius ad ſeram noctem trahimus conuiuia, et, ſi qui ſint Germanae frugalitatis tam parum memores patresfamilias, eos profecto prudens et ſpectatus laudabit nemo. Sed quid de aedibus noſtris CAMPANVS? *Aedificia*, inquit, *foris ornatiora, quam intus, tabulatis magna pars tegitur, et ad excludendam hyemem, et ad pulchritudinem.* Vtinam uero Lipſiam, vtinam hoc tempore, uideres? Non hic foris minus, quam intus, ornantur aedificia. Omnia hic ad mundum, ad decus, ad ornatum, compoſita. Neque Gallis concedimus, illis omnis uenuſtatis artificibus ſcientiſſimis, nedum uobis, in Italia natis. Sed ais: *Nihil tam foetidum, quam Germania, aſpectu ſunt omnia iniucunda, ta-*

ctu refuga, olfactu grauiora. Cum ad te rediero, mi More, niſi quater, quinquies, ſepties, iuſſeris me lauari, narem eriges. Plenus ſum faſtidii, nauſeae, foetoris. Senties ophytim, ſi tabellas olfeceris. Tum uero ſe ipſum feſtiue ſolatur CAMPANVS, cum ad PAPIENSEM ſcribit: *Anceps fortuna mea eſt. Quanta calamitas naſo, tanta auribus felicitas, ineſt. Dum omnes ſentio, intelligo neminem.* Oportet, vt inter agoſones ſis et ſtabularios uerſatus. Nobiscum ſi uiuere te fata ferrent, optares cum FABVLLO apud Poetam,

Totum te fieri, Campane, naſum.

Inprimis autem ſermo noſter barbarus atque inficetus offendit, cuius elegantiam equidem quid mirum CAMPANVM aſſequi non potuiſſe, cum *eo eſſet in loco*, prout ipſe fatetur, *vt neque intelligeret quemquam, neque intelligeretur.* Quam ob rem alibi rurſus, *nihil hic deliciarum*, ait, *nihil vrbani, et, ſi quid ſit, diuerſa lingua, ne percipiam, facit.* Quid? quod ipſe alicubi Germanica uerba *magnifica* uocat *et praepotentia*, et, *habet*, addit, *haec natio grande neſcio quid et ſonorum, cum loquuntur.* Iſtudne eſt barbarum, quod magni-

magnificum? Uehementer equidem falleris, et, dum horres uernaculam noſtram, re uera maieſtatem eius miraris. Et ſcio tamen, parum magnifice de lingua Germanica cenſuiſſe quondam CAROLVM V, Imperatorem Auguſtiſſimum, quippe qui, ſi optio daretur, Deum lingua Hiſpanica, uiros Gallica, Italica foeminas, Germanica uero lingua equum ſuum, alloquebatur. Nolo autem in eum campum, qui eſt latiſſimus, exſpatiari; conſtabit enim linguae noſtrae ſuus honos, quoad, Poeſi illam nihilo ſecius, quam alias, conuenientiſſimam eſſe, omnes confitebuntur. Iam de moribus Germanorum quid ait Noſter? *Taedia Germanica infinita ſunt. Nam, vt vno dicam uerbo, patentiſſima eſt Germania, potentiſſima, nobiliſſima, ſed ea tota vnum latrocinium eſt, et ille inter nobiles glorioſior, qui rapacior.* At illi ſunt nobiles, quos *praecipuos mortalium omnium trahi cupiditate laudis et gloriae* in ſolenni ad Caeſarem Oratione fatetur, *pro qua maiores,*ita pergit,*obiicere uitam periculis, et, relicta patria, quaerere externa Regna Imperiaque remotiſſima, non dubitauerunt. Fecerunt id, quod nobilitas tanta poſtulabat.*

bat. Quae enim nobilitas, aut quae potius uita ſine gloria eſt? A gloria enim orta eſt atque aucta nobilitas, nulla re alia poteſt contineri et conſeruari, quam gloria. Sed quae gloria inter mortales maior, quam imperii et famae, pro quibus rebus nobiliſſimi quique omnes ſubire labores, et pericula, et mortes, non recuſauerunt. Breuiſſimum eſt ſpatium, quod poſſumus uiuere, longiſſimum, quod nominari, et tantum quis aſſequi uidetur aetatis, quantum eſt eius apud poſteros fama duratura. Sic illi domi concordes, foris ſtrenui, et acquiſiere Imperium, et tantam illuſtrium uirorum multitudinem pepererunt, vt per reliquum orbem, ueluti coloniis nobilitatis vſquequaque deductis, familias nobiliſſimas et Regias propagauerint, nec vlla ſit familia in Galliis, ne Regia quidem, nulla in Hiſpania, aut in Italia, paullo illuſtrior, quae, ſi antiquitatem repetat ſuam, non ſtatim, e Germania eſſe ſe, praedicet, et, ueluti e ſeminario quodam uerae nobilitatis ueniſſe, glorietur. Nam, quis, obſecro, familiam Gallorum Regum, tam celebrem, tam laudatam, protulit? Germania, Pipino, Germano, auctore. Quis Hiſpaniae domum, tam inſignem,

inſignem, quae nunc Regnum obtinet, et prope ad Lybiam vſque protenditur? Germania, Richardo, Uiſigotho, Germano, auctore. Quis tot nobiliſſimas familias per vniuerſam Italiam, tanquam excuſſo gremio nobilitatis, fudit, ſparſit, ſeminauit? Germania, Henrico, Germano, auctore, qui Ordelaphos, Uaranos, Malateſtas, Manfredos, Galaſſos, Feretranos, Vicecomites, Gonzagas, aliosque innumerabiles et inſtituit nobiles, et locupletauit; vt uere dici poſſit, fontem nobilitatis uiuum et perennem fuiſſe Germaniam, an mare potius, quod omnes prouincias Europae ſuo ſplendore, uelut aeſtu quodam nobilitatis, inundauit. Sed haec hactenus CAMPANVS. Nam, ſi plura ex ea Panegyri colligere Germanorum elogia et laudes uellem, facerem rem, et mihi minus decoram, et uobis parum iucundam. Uerum, quo animo tantis laudibus efferat nobiles CAMPANVS, quibus alio in loco ob latrocinia dicam ſcripſerat, procliue eſt ex eo iudicare, quod ne Caeſari quidem ipſi pepercit. Quoties de eius cunctatione ad PAPIENSEM? *Res Chriſtiana eo in ſtatu eſt, vt, cum uelociſſime currendum ſit, a cochlea te-*

 ſtudi-

ſtudineque curratur. In maximis negotiis fit nihil: aegre, lente, ſegniter, procedunt omnia. Scribit Caeſar, heu! heu! quam non Caeſar! ad triduum ſe uenturum, ſed hoc triduum iam centiduum eſt. Tum accuſat deſidiam: *Caeſar clauſis oculis optimo eſt propoſito, nihil tam ſonorum, tam ſtrepens, quo illi excitentur, nihil tam magnum atque arduum, quod is ſe facturum non praedicet; ſi tam bene olim pugnabit, quam nunc ſtertit, uicimus. Facile quidem eſt Caeſari decernere, exſequi Friderico difficile. Pacem Germaniae omnibus pronuntiauit, nemini dedit, iudicia vbique conſtituit, nusquam peragit; denique, in maximis et pulcerrimis negotiis omnia cum faciat, facit mea ſententia nihil.* At enimuero iterum parum ſibi conſtat CAMPANVS, quandoquidem mox ad BESSARIONEM, Cardinalem: *Caeſaris quantum oderam negligentiam, tantum nunc diligentiam laudo. Mirum eſt, quo tenore conſultationibus perſtet.* Proinde, poſtquam ſcripſiſſet alii, *Caeſarem, quae ad rem faciant, omnia eximie pinxiſſe, ſculpſiſſe nulla*, addit denique: *Nec tamen eius uoluntatem accuſo, deſidero ope-*

operam, quam fortaſſe minus illius animus, quam temporum difficultas, eripit nobis. Ita, cum ad Card. RAUENNATEM luſiſſet: *Caeſarem conamur accendere; ſed neſcio, an vnquam accendi poſſit is, qui nunquam incaleſcit*, paullo poſt de eodem Caeſare, poenas acerrimas a latrone quodam ſumente, ad PAPIENSEM, *Caeſar*, ſcribit, *tam mitis Princeps, aliquando incaluit. Nam, incanduiſſe tam iuſta cauſa, non dixerim.* Atque eſſet hic quidem, vnde poſſem in FRIDERICI III laudes quam latiſſime euagari, niſi me, ad alia vt properarem, praeſtituti temporis breuitas admoneret. *Incredibilis*, CAMPANVS inquit, *eſt hic ingeniorum barbaries, cum rariſſimi norunt literas, nulli elegantiam. Nec putes, habitare hic Muſarum aliquam.*

Nec faciles hederas, nec opacas frigida lauros
Terra gerit: Muſis credis an eſſe locum?
Accitus quamuis precibusque rogatus Apollo,
Inuertit nares, olfaciensque fugit.

Porro, poſtquam Italorum alicubi eruditionem ad coelum laudibus extuliſſet, *de Germanis,*

manis, addit, *omnino idem non poſſum.* Adleuit hic in margine exemplari meo Germana quaedam manus, ſed peruetuſta et proximae, quantum ex literarum ductu hariolari licet, aetatis: *Nec quidem ipſi poſſumus, bone CAMPANE; apud te emendicare uelle putes?* Ita fateri ſane oportet, exiguum fuiſſe in illa aetate literarum in Germania ſtudium, fautores rariſſimos, et propemodum nullos. Quam ob rem, *comparo me*, ſcribit Noſter, *in aduentum Caeſaris, habiturus orationem, qualem Italia legat, Germania non capiat.* Neque uero, prorſus adeo tum exulaſſe a Germania Muſas, quisquam dixerit, quin, in ipſis Cimmeriis tenebris effulſiſſe praeclariſſima quaedam lumina, ecquis eſt, qui eat inficias? Nam celebrantur hodieque HENRICI BEBELII et CONRADI CELTIS nomina, quorum hic primus omnium e Germanis Poetis lauream ab ipſo nactus eſt Imperatore, FRIDERICO III. Nihil de NICOLAO DE CVSA dicam, excellentiſſimo Seculi illius Theologo, nihil de MELCHIORE UOLMARO, cuius BEZA et CALUINVS fuere diſcipuli, nihil de HERMANNO BVSCHIO, illo Academiae UUitte-

UUittebergicae auſpice et ſtatore primo, uiro longe doctiſſimo, nihil denique de MARTINO POLLICHIO, qui *lux Mundi* plerisque per ea tempora audiebat. Sed inſtar omnium nobis eſt IOANNES REGIOMONTANVS, quem Lipſia noſtra amauit, Uienna aluit, Norimberga coluit, mirata eſt vniuerſa Italia, uita equidem omni, quam morte, felicior; quippe, a TRAPEZVNTII, cuius ſcripta quaedam ſugillauerat, filiis propinatum ipſi uenenum fuiſſe, ſunt, qui ſcribant. Nam, quanti Graeca eius ſtudia delicati Itali fecerint, uel ex eo apparet, quod eius Commentarium in Almageſtum Ptolemaei vna tota prouincia BESSARIO aeſtimauerit. Uerum ego in re literaria eius temporis cum Italia nequaquam contendam, Germaniae autem noſtrae, hoc potiſſimum Seculo, eo gratulor impenſius, quo magis illa ex ipſa barbarie paullatim ſeſe eripuit, eoque hodie loco eſt, vt Muſae Italiam ipſam reliquiſſe, et ad nos migraſſe, quodammodo uideantur. Nauſeaueris nunc profecto, CAMPANE, tuam patriam, ſi redieris, Latiumque in ipſo Latio quaeſiueris fruſtra. Neque enim, quemadmodum Peruſiae quondam, futu-

rum nunc exiſtimo, vt omnes, cum doceas, concurrant, admirentur, muneribus donent, cumque per tres horas oraueris, triduo poſt omnium ſermonum occaſio ſit oratio tua. Ecquem inuenias hodie in Italia, quem cum laude aliqua uincas? Quemadmodum faſſum olim fuiſſe LAVRENTIVM UALLAM accepimus, praeceptorem tuum, quod inter tot hominum millia, quibuscum de eruditione ipſi fuerit contentio, praeter vnum CAMPANVM, cedat omnino nemini. Sed manum de tabula. etc.

Cetera, cum ad CAMPANVM non faciant, omittimus.

ORATIO IV.

DE CONTEMTIS UVLGO ELEGANTIORVM LITERARVM, HISTORIARVM MAXIME, STVDIIS, ET CONTEMTVS HVIVS DAMNIS. (*)

Diu multumque cogitaui, lectiſſimi Iuuenes, pectora generoſa, et ad laudem ac decus

(*) Hanc, cum Praelectiones in Hiſtoriam Germanicam A. 1704 d. 19 Maii auſpicaretur, coram iuuentute Academica publice recitauit.

decus nata, nobiliſſimi propago generis, ſpes poſterorum, flos et ſoboles ingenuae iuuentutis, diu, inquam, multumque cogitaui, quae non tam morum, quam doctrinae corruptae apud nos cauſa et origo ſit. Quoties enim parentum aetatem cum noſtra, praeterita cum praeſentibus, compono, Horatianum illud animo meo continuo obuerſatur:

Noſtra aetas, peior auis,
Mox datura progeniem
Uitioſiorem.

Fuit tempus, cum illi demum eruditi uocarentur, qui bonas literas, quae ab humanitate nomen habent, exacte cognitas habebant et perſpectas. Fuit tempus, cum neminem inter doctos uerſari deceret, niſi qui diu uerſatus in Hiſtoria, rerumque diuinarum atque humanarum cognitione, fuisſet. Nunc Graeciam aut Latium uix a limine ſalutat quisquam, in Hiſtoriis ita plerique palpitant, vt tenebris plus quam Cimmeriis obruti uideantur. Et parum abeſt ſane, quin de noſtri aeui hominibus idem dicamus, quod CVSPINIANVS iis temporibus, quibus paulatim e barbarie reſurrexerunt bonae literae, palam profeſſus eſt, nimirum uix deprehendi e Principibus

uiris, qui nomen aui ſui, aut proaui, nedum qui geſta, nouerint. Dici non poteſt, quam inepte ſaepius in examinibus publicis reſpondeant de rebus hiſtoricis rogati. Quaerebam, quod eſſet hodierni Hiſpaniarum Regis nomen, reſpondebat quidam haud obeſae naris, CAROLVS V, eumque errorem quaſi emendaturus, PHILIPPVM III nominabat. Rogati alii, quis fuerit olim CAROLVS V, quis PHILIPPVS III, magis muti erant, quam piſcis.

Pudet, haec opprobria nobis
Et dici potuiſſe, et non potuiſſe refelli.

Sed quaerenda turpis ignorantiae cauſa eſt. Liceat hic vti uerbis Arbitri mei: *Ego adoleſcentulos exiſtimo in ſcholis ſtultiſſimos fieri, quia nihil ex iis, quae in vſu habemus, aut audiunt, aut uident.* Latinas elegantias, quas tanto labore maiores noſtri inſtaurarunt, et ueluti ex orco reuocarunt, adeo, qui ſcholis praeſunt, aſpernantur et fugiunt, vt eos demum ſapere adſeuerent, qui longiſſime abſint a Latio. Vna omnium cura et ſolicitudo eſt, vt Germanice et loqui diſcipuli, et ſcribere, expedite ualeant. Exulant hodie NEPOS, CICERO, LIVIVS, aliaque priſci ſermonis decora; contra

regnant

regnant in ſcholis, neſcio quae, falſae eloquentiae compendia, quae ſi quis ad vnguem edidicerit, is demum, ſe ſupremum omnis eruditionis ac felicitatis apicem conſecutum eſſe, opinatur. Itaque hanc porro ſequitur in Academiis rationem, vt eos, qui, ſecundum optima Principum praecepta, Latine quamcunque artem tradunt atque profitentur, cane peius et angue fugiat, et vmbraticos quosdam doctores, a quibus egregie fallatur, ſibi eligat. Non placet audire lectiones publicas; id enim nimis longum ac taedioſum, et ſinguli fere Profeſſores habent, quae huic delicatulo non adblandiuntur. Diſputationes audit nullas, ne canis in balneo eſſe uideatur. Obambulat interdum in area, ſuisque cum ſodalibus nugatus, interdum foribus auditorii aſſiſtit, non vt quidquam rei neceſſariae diſcat, ſed vt quasdam ſententiolas, quas poſtmodum ſuos inter ſodales, quibuscum ſolet eſſe de ſymbolis, Publicorum Profeſſorum et uoces referens, et geſtus exprimens, nouus hiſtrio repraeſentare poſſit. Et Logicam forte vnus atque alter, aut Phyſicam, morumque doctrinam, inter oſcitationes aut riſus, audit; Hiſtorias prorſus nemo.

Inauſpicatum eſt Hiſtoriarum uocabulum, foedum, contagioſum, deteſtabile, quo ſimul audito diffugiunt elegantiſſimi, ſi Diis placet, et doctiſſimi iuuenes. Et, ſi quis tamen eſt, qui ſingulari quodam naturae melioris motu cognoſcere uelit ea, quae geſta ſunt antea, quo rectius de praeſentibus poſſit iudicare, is ab his ipſis reuocatur, et quaſi ui quadam abſtrahitur, qui generoſum ſpiritum fortius impellere debebant et incitare. Non multum immorabor illis, qui Theologiae fortunas ſuas et ſtudia omnia conſecrarunt. Notum paſſim et peruulgatum eſt, plerosque plus quam praecipitato curſu ad cathedram Eccleſiaſticam euolare, nec Philoſophiam morari, aut Theologiae, quam uocant, Exegeticae loculos excutere, uel Hebraicae Graecaeque linguae operam nauare; quarum linguarum vſu quicunque caret, is Theologiae uerae atque infucatae ignariſſimus eſt. Vnam, vnam omnes clamant Homileticam, vnam curant, vnam amplectuntur, et fouent. Hanc, ſatis ſe eruditos credunt, qui didicerint, hanc qui didicerint, omnia didiciſſe, et quaſi deuoraſſe, cenſendi ſunt. O miſeros primitiuae Eccleſiae Patres, quibus igno-

ignota fuere Collegia homiletica; attamen Homilias ſcribere auſi ſunt. Quis iſtas legat, uel imitetur? Pace ueſtra liceat dixiſſe, optimi iuuenes, primi omnium Theologiam perdidiſtis. Neque tamen, exiſtimare uos, uelim, me artem concionandi contemnere; abſit, vt eam artem uilipendam, quam niſi ex academiis reportaſſent, nihil reportaſſent plerique. Aſt illud non poſſum non grauiter dolere, paucos de fidei fundamentis recte intelligendis, de refutandis aduerſariis, de interpretatione Scripturae Sacrae eſſe ſolicitos, pauciſſimos humaniores literas, Philoſophiam, Hiſtorias, quae ad illa uiam quaſi ſternunt, attingere. Sed dudum quaeritis, Auditores, quem vſum haec praeſtent Theologiae ſtudioſis. Mittam cetera, dicam de Hiſtoria. Num quis ignorare Eccleſiae fata poteſt, qui in Eccleſia publice profitendi munus nactus eſt? Num quis ſectarum origines et incrementa, cui cum ſectarum patronis perpetua pugna eſſe debet? Num inſtauratae per LVTHERVM eccleſiae faciem, qui LVTHERI cathedram adſcendit? Uidi ego in ceteris diſciplinis non leuiter uerſatos, qui ne nominis quidem Proteſtantium cauſam indicare

dicare potuere; quid enim mirum? Hoſpites erant in Hiſtoria. Neque uero Eccleſiaſtica ſine rerum in Republica geſtarum cognitione intelligi poſſunt, eoque Theologus perfectus dici nequaquam poteſt, qui Hiſtorias ignorat. Sunt tamen, qui dicunt: diſcant haec, qui in celebritate, in Principum aulis, aut amplis ciuitatibus, uerſantur, mihi ſatis erit, in obſcuro pago inter ruſticos quadratos et ſtupidos conſeneſcere. O uiles animas! Abiectae profecto mentis militem eſſe oportet, qui ad ſupremi Ducis prouinciam aliquando non adſpiret. Sit tamen ita; an ergo inutilem uobis Hiſtoriarum lectionem putatis? Habetis patronum uirum nobilem, apud quem prandere et coenari quotidie poteſtis, ſi Hiſtoriarum condimenta uobiscum adfertis; quae ſi nulla habetis, ſoli relinquemini in tuguriis ueſtris. Vt taceam, apud plebeios homines multum proficere eas conciones, quae admixtas habent hiſtorias uarias; qua in re ſummam laudem conſecutus eſt SCRIUERIVS. Uerum ad eos feſtino, qui iuri dicundo ſtudium ſuum operamque addixere. Bone Deus, quam parum hi curant Hiſtorias, qui ſine earum cognitione in Iure prorſus ui-

dent

dent nihil. Nulla mihi res eſt cum rabulis, qui tendiculas tantum et aucupia uerborum ſectantur. Improbum eſt genus hominum, quod non crumenis tantum, uerum et doctrinae, inſidiatur, et Hiſtoriam impune lacerat et conſpurcat. Illud magis dolendum, BALDOS etiam et BARTOLOS auctores aduentantibus Studioſis noſtris eſſe quandoque, vt, haud ſalutatis iis ſtudiis, quae ad commendationem et ornamentum faciunt, ſtatim ad Inſtitutiones et Digeſta ſe conuertant, nec Hiſtoriarum, aut humaniorum literarum, dulcedine a ſeuerioribus ſtudiis auelli ſe patiantur. Atqui ne quidem vnica in uaſto illo Iuris corpore lex eſt, quae ſine Hiſtoriae Romanae cognitione intelligi aut explicari poſſit. Ius publicum uero, quod tantopere hodie extollunt, quid aliud eſt, quam perpetua quaedam Germanicae noſtrae Hiſtoria, quae in uim legis coaluit? Iam, ſi quis collocatae in Academiis operae praemia et mercedem expetit, et patronis commendat ſua ſtudia, fruſtra ſane commendat, niſi, ſe haud mediocriter in Hiſtoriis uerſatum eſſe, probauerit. Nulla enim paratior eſt explorandis profectibus et aptior materia, quam quae

a pu-

a publico rerum ſtatu petitur, cum praeſentia cum praeteritis componimus, et ex antea geſtis fortunae exitium diiudicamus. Hinc illi ſermones Mecaenatum, quibus explorant, quos ad ſumma munia euehere cupiunt. Ecquid, aiunt, noui ex Hiſpania? Nunquam de vniuerſa Hiſpania duo Reges tanto ardore certarunt. Nec potuere antea, quam Aragoniae Caſtiliaeque Regna ſub Ferdinando Catholico coniuncta fuere; ex eo autem tempore quieta fuere omnia. Ecquid ex Anglia noui? Nunquam feliciores Angli ac beatiores ſunt, quam vbi Regina tenet ſceptrum; neque enim Regum quisquam uel Eliſabetha, uel Anna, pulcrius regnauit. Ecquid ex Polonia? Eadem nunc, quae regnante Ioanne Caſimiro, ſcena luditur. Non diſſimimilis patri filius eſt Radziouskius, Poloniae hoc tempore Primas; vterque enim Suecos e Liuonia in Poloniam traxit: vterque regiam Maieſtatem ſpreuit et peſſumdedit. Haec atque alia ſi quis tacitus audiat, et quaſi ad peregrina nomina obſtupeſcat; is parum gratioſus futurus eſt, ſperatisque bonis prorſus et omnino excidet. Credite mihi, Nobiliſſimi Iuuenes, dulciſſima

ſima pectora, nihil eſt, quod expeditiorem ad ſummos honores graſſantibus uiam aperiat, nihil, quod magis euehat et commendet, quam Hiſtoria, quam ipſe TVLLIVS *animam memoriae*, *lucem ueritatis*, *magiſtram uitae*, appellat. Neque eſt hoc ſtudium moroſum, ſpiniſque aut ſepibus obſeptum. Quid enim iucundius, quam rerum humanarum conuerſiones, imperiorum praecipites caſus, Principum artes, uulgi naturam et ſtudia, eaque omnia, quibus uita humana conſtat, ex Hiſtoricorum monumentis cognoſcere. Hic ſuaue erit, ſine periculo aliena diſcrimina intueri, eosque ſcopulos noſcere, circa quos aliorum uita infeliciter obhaeſit. Inter alias tamen Hiſtorias nulla eſt iucundior, nulla, quae maiorem praebeat vſum, quam Germanica, quam, poſtquam nuper Polonicam finiuimus, a primis initiis nunc auſpicari animus eſt. Quod ne longum uobis aut taedioſum uideri poſſit, do fidem publice, me intra anni ad minimum ſpatium, ſi Deus animi corporisque uires conceſſerit, Hiſtoriam hanc Germanicam ad noſtra vſque tempora publicis lectionibus deducturum. Quam in rem breues proponam et ſuccinctas

ctas theſes, quae, ſi computentur, uix duarum uel trium plagularum ſpatium complebunt; cetera explicabo per ſermonem, neque praetermittam idoneos Auctores, e quibus plura, uelut e fonte, hauriri queant. Iucundum hic erit, cognoſcere Theologiae ſtrenuos cultores, quibus modis ſub Carolo M. Chriſtiana in Germania religio fuerit propagata, quibus gradibus Pontificum creuerit potentia in Eccleſia et Republica, quae fuerint repurgatae per Lutherum Eccleſiae initia, qui ſucceſſus. Nec minus iucundum erit legum ſtudioſae iuuentuti, de repertis a Lothario Digeſtis, de inſtituto in Imperio Iudiciorum publicorum ordine, de promulgata a CAROLO IV Aurea Bulla, de Pace Religioſa, Oſnabrugenſi item, et Monaſterienſi, quae uim legis obtinent, cognoſcere. Quo magis uero conſulatur iis, qui publicas has lectiones noſtras quaſi in ſuccum atque ſanguinem conuertere cupiunt, conſtitui vniuerſam ſimul Hiſtoriam Germanicam duodecim ferme Diſputationibus publicis excutere, ſi quidem cogi tot ſtudioſi Hiſtoriarum poſſint, qui Reſpondentium in ſe uices ſuſcipiant. Nec ſumtus magni futuri ſunt, quandoquidem

dem duas plagulas Diſputationibus ſingulis deſtinauimus, quarum imprimendarum pretium ingens eſſe non poteſt, praeterea, Praeſidii praemiolum ſiue dare quis uelit, ſiue nolit, id mihi futurum perinde. Certe in Lectionibus publicis pergam ſtrenue atque diligenter, neque in ipſis feriis canicularibus ferias admittam, ne qua tribui nobis poſſit intercapedo deſidiae. Adeſte itaque, dilectiſſimi Auditores, et, quae ſit Hiſtoriarum uoluptas, quis vſus, quae neceſſitas, mecum aduertite. Quod ſi tamen omnino in amoeniſſimos Hiſtoriarum campos exſpatiari taedet, legam equidem uel tribus praeſentibus, uel nullis, et, ſi non alios, hos tamen ſummos uiros, MOSEM, PLATONEM, ARISTOTELEM, et recentiores Philoſophos et Polyhiſtores, THOMASIVM, FRANCKENSTEINIVM, et ſummum CAMERARIVM, uoluntatis meae teſtes habebo, qui, diuini plane uiri, etſi fama ſuper aethera noti ſunt, ſaepius tamen ſoli ſunt in hoc ipſo Auditorio ſpatiati, donec vnus forte aut alter auditor aduentaret.

ORATIO V.

DE NAEUIS POLITICIS CAROLI V, CAESARIS. (*)

Nullum eſt profecto tam execrabile uitium, *Rector Academiae Magnifice, Proceres Grauiſſimi, lectiſſimique Iuuenes,* dulciſſima pectora, nullum eſt, inquam, uitium, quod adeo omnes fugere atque deteſtari oporteat, quam adulatio, quae blanda oratione et iucundo riſu miſeris mortalibus imponit, eosdemque perdit et corrumpit. Ea uero adulationis uis et natura eſt, vt non tam inertem plebem, quam optimos quosque uiros et ditiſſimos, ipſosque Principes, atque Reges, demulceat. Quamobrem Q. CVRTIVS eam *perpetuum malum* dicit eſſe *Regum, quorum opes ſaepius adulatio, quam hoſtis, euertat,* dumque SENECA adulatorum meminit, eos appellat *artifices ad captandos ſuperiores.* Praeterea PLVTARCHVS aſſentatores *patriae*

(*) Recitata eſt publice d. 31 Ian. A. 1704, in ſolenni Magiſtrorum renuntiatione.

triae ac uirtutis inimicos, PLATO *feras, humano generi peſtilentes*, uocabat, et DIOGENES, *periculoſius eſſe ἐς κόλακας, quam ἐς κόρακας incidere*, putabat: id enim, vt EPICTETVS ait, *inter coruos et adulatores intereſt, quod illi mortuorum oculos rapiunt, hi uiuorum mentes atque animos excoecant.* Hae ſunt nimirum laudes, quas intempeſtiui laudum buccinatores deportare ſolent. At lucrum ſperant, pecuniis inſidiantur, neque adeo, vt recte famae, uerum vt fami ſuae, conſulant, diſpiciunt. Et habent quidem aulae ſuos paraſitos, ſuos ſimulatores, palpones, cerdones, inter quos adulandi certamen quoddam eſt, et vna omnium cura, quis blandiſſime fallat. Vtinam uero haec adſentandi infamis libido non ipſos praeſertim Hiſtoricos corriperet, qui, dum ad uoluntatem loqui amant, ueritatis limites turpiter transſcendunt, et, dum geſta tyrannorum deſcribunt, heroum canunt uirtutes. In vnica certe CAROLI V hiſtoria, quantum eheu fraudum et mendaciorum eſt! Quod ſi enim Hiſpanos ſcriptores euoluamus, bone Deus, quanta diligentia vbique cauent, ne CAROLVM quacunque in re deliquiſſe

appareat, potius autem eius geſta omni laude, praeconio, literis monumentiſque decoranda cenſent, tantumque Imperatorem Diis ipſis parem faciunt, et tantum non ſuperiorem. Quis ferat PRVDENTII SANDOVALLII, CAMPANAE, SANGRO, ALPHONSI ULOAE, IOANNIS ANTONII DE UERA et FIGVEROA, Comitis DE LA ROCA, aliorumque, immodicas laudes? Quid memorem Germanos, MASENIVM, SVRIVM, atque alios, qui zelum religionis Catholicae in CAROLO nunquam ſatis extollunt, et calumnias ad lubitum confingunt, quibus optima quaeque Principum geſta commaculant, et foede corrumpunt? Neque eſt, vt a Gallis meliora exſpectemus, quibus aeque palpo ferire ſolenne eſt. Suis enim et ipſi Regibus, FRANCISCO et HENRICO, vt quisque poteſt maxime, blandiuntur, eoque nihil non in CAROLO carpunt, quem hoc deprimunt maiori niſu, quo magis ſuos Reges attollunt et uenerantur. Noſtis illos adulatores, MAIMBVRGIOS et UARILLASIOS, omnis ueritatis adulteratores, de quibus tacere, quam multa uerba facere, malo. Deliquiſſe tamen in nonnullis CA-

ROLVM V, ſiue quod minus ex iuſtitia, ſiue quod imprudentius ageret, nemo ibit inficias. Nam, quod Comicus ait, *nullum eſt magnum ingenium ſine mixtura dementiae*, id non inepte etiam de tanto Principe dici poſſe crediderim. Quandoquidem itaque ab omni aſſentatione inde a pueritia fui quam alieniſſimus, naeuos quosdam CAROLI V in hac ſolenni Panegyri in ſcenam producere conſtitui. Quod non eo tamen acceptum uelim, quaſi obſcurare famam Auguſtiſſimi Caeſaris conſtitutum mihi foret: ita enim mihi perſuaſum habeo, egregia eius geſta multo futura illuſtriora, ſi, humani aliquid paſſum fuiſſe, non omnino diſſimulemus. Neque uero uitia eius, zelum nempe intempeſtiuum, laſciuiam, dominandi libidinem, hic repraeſentare animus eſt, ſed eorum potiſſimum hic rationem habebimus, quae, ſi minus iniuſte, certe per imprudentiam, ſuſcepiſſe cenſetur CAROLVS. Uos, Rector Magnifice, Uiri Excellentiſſimi, Adoleſcentes optimi, non modo Auditores mihi expeto, uerum et iudices aequos et benignos; et uiciſſim ſpondeo et recipio, me patientia ueſtra moderate vſurum, ne-

que commiſſurum, vt vltra praeſtitum tempus ſicca et marcida transſcendat oratio.

Quotusquisque eſt, Auditores, qui, dum praeſentem Hiſpaniae ſtatum recto oculo conſiderat, inuidendam PHILIPPI V fortunam nequaquam manſuram non auguretur? Cuius rei nullum eſt certius argumentum, quam quod, ſpretis et poſtpoſitis Hiſpanis, gente ſuperba, Gallos ſuos ſummis muneribus praeficit, eosdemdemque et corporis cuſtodes habet et familiares. Quo fit, vt effrenis Gallorum licentiae pertaeſi ſubditi, fidem ſoluant, rebellionesque et iurgia concitent, nouumque iugum excutere mature allaborent. Pendet enim tenui filo Principum uis et poteſtas, et ſaepe *non niſi hora intereſt*, quod Philoſophus ait, *inter ſolium et aliena genua.* Neque eius generis exempla petenda longius, (plena enim ſunt exemplorum cetera Regna,) nobis iſtud primum omnium in CAROLO V reprehenſione dignum uidetur, quod ab Hiſpanis, quorum arbitrio pendebat tanti Regni moles vniuerſa, paullo nimis abhorreret, et Flandros familiariſſimos, (quis enim Gandaui

daui natum neſciat?) homines ſaepe rudes et inexpertos, certe Hiſpanici moris parum gnaros, foueret, ornaret, extolleret. Antea enim, quam praeſens capeſſere Hiſpaniae ſceptra poſſet, ADRIÁNVM, Vltraiecto oriundum, rectorem Hiſpanis et quoddam quaſi caput, ad cuius ſe componerent nutum, imponebat. Inde uix abſoluti erant ſplendidiſſimi coronationis ritus, cum ſuo iure vſus, GVSMANNVM et OSORIVM, ſingulari amore uulgi florentes, ex aula FERDINANDI, fratris, cuius ingenium moresque formabant, exeſſe, et ad ſua reuerti, ſerio iuberet. Contra Archi-Epiſcopatui Toletano, poſt FRANCISCI XIMENII exceſſum, UUILHELMVM DE CROICI, nouum plane hominem et iuuenem praeficiebat, qui, ſi nulla alia re, hac certe, omnium in ſe odia prouocabat, quod Regi carus eſſet prae ceteris et acceptus. Atque eam fere rationem per omnem uitam ſeruauit, quod alio inſuper exemplo patebit luculentius. Inter praecipuos belli Duces, quibus multum debere CAROLVS credebatur, eminebat maxime ANTONIVS LEUA, Hiſpanus, cuius uirtute Caeſarii ad Ticinum de Gallis trium-

phauerant, et ſartus hactenus tectusque manſerat aduerſus hoſtium quoscunque impetus Ducatus Mediolanenſis. At is nulla conſequi fortitudinis ſuae praemia poterat, et uocatus aliquando ad Caeſarem, cum et ſenectute et podagra laboraret, aegre adſidendi ueniam impetrabat. (*) Cumque LEVA, non tam pedibus, quam capiti, male eſſe, feſtiue ſignificaret, et tegendi adeo capitis licentiam poſtulare uideretur: ea enim non niſi magnatibus Hiſpaniae datur, quos inter ſe recenſeri, fortiſſimus LEVA magnopere, nec immerito, cupiebat; CAROLVS ad eos ſermones vtramque obdurabat aurem, nec magna cum beneuolentiae ſignificatione tantum Ducem dimittebat. Quo uix a Caeſare digreſſo, intromittebatur Belga quidam, parum vrbanus, piſtoris quippe filius, et piſtoritiis artibus adſuetus, ſed cuius olim mater vbera praebuerat CAROLO. Huic Caeſar uix conſpecto obuiam ſumma cum alacritate procedit, et indignum iuuenem plus quam familiariter amplexus, tanta beneuolentia cumulat, vt diuerſos in CA-

ROLO

(*) VARILLAS T. III L. 13 p. 345.

ROLO mores praeſens Cardinalis CARACCIOLVS haud leuiter fuerit miratus. Quantum eae res momenti attulerint ad concitandam plebem, facile intelligunt, qui, CAROLO ad auguſtum Imperii decus uocato, immenſas in Hiſpania turbas, auctoribus praeſertim Toletanis, excitatas fuiſſe, haud ignorant. Quin tantum paullatim apud Hiſpanos contemtum, tantum odium, contraxit, vt apud uulgus, Maieſtatis contemtorem, *porcus Flandricus* audiret. Vſque adeo ipſos ſaepe Principes amor patriae a recta iudicandi ratione abducit, plurimumque refert, quo loco, cum quibus, adoleueris. Iam, ſi res Germaniae intueamur, eas feliciſſime moderaturus uidebatur CAROLVS, niſi plus nimio ferocire Hiſpanos pasſus fuiſſet, qui magno ſupercilio, vt gentes reliquas, ita Germanos quoque, deſpiciunt, et, ſe ſolos ſapere atque imperare, inepte putant. Quibus rebus facile apud Germanos in inuidiam adductus Caeſar, parum opis ſibi ab aliis polliceri poterat, alienatis, vt fit, plerorumque animis. Quanquam, nec inficior, res eſt perdifficilis et ardua, plures vna gentes in officio continere; quandoquidem nulla eſt tam barbara et

adſueta ſeruituti natio,quae,exteros ſibi dominari, indigne haud ferat. Ingens nihilo minus et plane ſingularis eſt interdum in Republica exterorum vſus,vt haud imprudentem Ueneti legem ſanxerint, ne quis Uenetorum copiis Dux alius praeficiatur, quam qui extra eorum ditionem natus, nec profeſſioni publicae Profeſſor, quam qui extra vrbem non tantum natus eſſet, uerum et domicilium haberet. Neque exteros a Legati munere PASCHALIVS et KIRCHNERVS, prudentiſſimi uiri, excludunt. Quin olim et Athenienſes, vt AELIANVS, Sophiſta, auctor eſt, conſiliis adhibebant exteros. Quid? Ipſi quoque NERONI SENECA, ex Hiſpania oriundus, erat a conſiliis, et TIBERIVS hominibus extra Italiam natis mirifice delectabatur. Sic recentioribus temporibus Angliam PETRVS DE ROCHES, Epiſcopus Vuenlanus, ſed Gallus natione, ſub HENRICO III, IVLIVS MAZARINVS, Italus, Galliam ſub LVDOVICO XIII, PIPPVS SPANI ſub SIGISMVNDO Hungariam, PONTVS GARDIVS, Gallus, Sueciam, et ALOYSIVS GRITTI, Uenetus, Turcici regni partem haud mediocrem ſub SOLYMANNO, Imperatore, pulcre et feli-

citer

citer rexerunt. Sed haec ſingulorum exempla ſunt, neque adeo vnius ADRIANI, Vltraiectini, imperium et conſilia faſtidierant ſub CAROLO Hiſpani, cuius nutu aliquamdiu et arbitrio res Hiſpanicae gerebantur, uerum, tot Epiſcopatus opimos, tot excelſa munia, tot priuilegia, Hiſpanis negata, Belgis gratis concedi, id quidem indigniſſime ferebant omnes. Vt uero patriae, ita proditorum quoque, erat iuſto amantior CAROLVS, quod Borbonici Ducis exemplo luculentiſſime patuit. Notum paſſim et peruulgatum eſt, quod CAESAR, RHAEMITALCE, Thracum Rege, qui ab ANTONIO deſciuerat, ſua petulantius merita iactante, dixiſſe fertur, *amare ſe proditionem, odiſſe proditores*, et ſapienter ANTIGONVS, προδιδόντας, dixit, μὲν φιλεῖν, προδεδωκότας δὲ μισεῖν, *amare ſe prodentes, odiſſe, qui prodiderint.* Borbonius, nouo et prope inaudito hactenus exemplo, a FRANCISCO, Rege, ad CAROLVM defecerat, et oppugnandae patriae conſilium ceperat nequiſſimum. Cauſam mutatae fidei in Regiae matris, LVDOVICAE, immoderatum amorem referunt, quo CAROLVM hunc Borbonium, adoleſcentem omnium Franciae

ciae procerum formae corporiſque dignitate longe pulcerrimum, irretire, et nuptiis ſibi deuincire, ſtuduerat. Proinde magnis initio honoribus praeficiebatur in aula Regia, quibus mox tamen, cum effoetae ſteriliſque foeminae thalamum faſtidiret, SVSANNA, Borbonii Duce, in thalamum allecta, paullatim excidit. Nihilo minus adeo ad Reginae blanditias, mortua etiam SVSANNA, obfirmabat animum, vt illa, uerſis, vt fit, in odia amoribus, per uim et cuniculos vltionem quaerens, de Borboniorum Ducatu litem CAROLO intenderet, Regiſque, filii, obſequio freta, eo nihil opinantem deiiceret. Altius Borbonii animum ea ignominia atque clades afflixit, nec leni remedio ſanari acerbum uulnus poterat. Itaque a deſperatione conſilium mutuatus, Caeſari totum ſe mancipat, et, deſerta oportune Gallia, caſtra ſequitur Caeſaris, magno quondam terrore vniuerſam Galliam repleturus. Gratiſſima res fuit Caeſari, qui praeclaram a tanto Duce operam ſibi pollicebatur. Quid fit? Creditur Caeſarii exercitus robur Gallo, iuueni, militiae inexperto, qui cum aduerſus patriam inanes iras acuiſſet, quo magis creditis paratum,

ratum, ſi occaſio ferat, ad peſſundandos patriae hoſtes? Qui magnas opes ex leui cauſa deſeruerat, nonne eadem facilitate, uel gratia Regis, uel amicorum hortatu, reuocari ad officium poterat? Num, fidem illi habere Germanos, procliue eſt, qui fidem apud Gallos decoxit? Sed iſtud quidem, meo iudicio, turpiſſimum, quod Borbonio ELEONORA, Caeſaris, CAROLI V, ſoror, EMANVELIS, Luſitaniae Regis, uidua, foemina excellentiſſima, proditori in defectionis praemium proponeretur. Quanto mihi quartus inter Imperatores CAROLVS quinto uidetur ſapientior, quippe qui his, qui PHILIPPVM, Auſtriacum, prodidiſſent, falſam numerari monetam iuſſerat, ac de iniuria conquerentibus reſpondit, falſam fidem falſa mercede compenſari. Vtcunque tamen nimia CAROLVS fiducia peccauerit, exitus certe eius conſilia probauit, pertinaciter CAROLI partes tuente Borbonio, et malitioſae deſertionis probrum fide in Caeſarem et conſtantia penſante. At hoc minus probant plerique, quod uanis Borbonii conſiliis obtemperans Caeſar, in Prouinciam, militaris uulgi foecundiſſimam, tempore nequaquam oportuno immiſerit

miſerit copias. Annus erat ſupra milleſimum quingenteſimum tertius et uigeſimus, cum CAROLVS, Borbonius, Galliam non magis armis, quam beneuolentia, expugnaturus, continuo Caeſari auctor eſſet, ne domi hoſtes praeſtolari, quam peregre quaerere, mallet. Erant, qui, eam expeditionem terroris forte aliquid, at parum hoſtibus damni, illaturam, prudentes iudicabant, quod haud magnae copiae in eam temere ditionem ſe infunderent, in qua, quicquid Galli haberent uirium, facile poſſent cogere. Alii hinc maiorem etiam Italiae, quam Galliae, ominabantur ruinam, quod illa, neceſſariis exuta praeſidiis, parum conſulto hoſtili audaciae ferroque nudaretur. Uerum Borbonii ſpes, omni difficultate ſuperior, trahebat reliquos, quae equidem ex uulgi gratia non minus, quam ex uento claſſis, pendebat, haeſura facile, cum aura deficeret. Prouincia, Galliae pars, experimentum fortunae erat datura. Huc itaque PISCARIVS, et reliqui Caeſarii exercitus ductores, cum mediocri manu contendunt. Petitur imprudenti conſilio Maſſilia, oppugnatur, defenditur: coeunt paſſim Gallorum exercitus, vrbem ab externa

terna ui liberaturi. FRANCISCVS, Rex, egregius periculorum, quae domi imminerent, contemtor, audaci propoſito Italiam inuadit. Borbonius ocyus in Italiam reuolat, tantisque ſumtibus nequidquam impenſis, Maſſiliam non ſine clade relinquit; quo primum tempore didicit, multo felicius eos pugnare, qui in fide perſtant ſui Regis, quam qui perfido auſu eum deſtituunt. Ceterum nec diffiteor, haud parum momenti Borbonium attuliſſe, vt capi FRANCISCVS ad Ticinum, et captiuus deduci Madritum, poſſet, neque eſt omnino dubium, quin pulcram foedae defectionis mercedem fuiſſet conſecutus, niſi in Romana obſidione glande traiectus, uitae et turbarum finem feciſſet. Iam, carcerem FRANCISCI duriſſimum quisquis conſiderat, nae ille, CAROLVM peruerſis vſum fuiſſe conſiliis, vltro fateatur. In Hiſpaniam ſe abduci paſſus fuerat FRANCISCVS, quod, ſe libertatem facilius impetraturum a CAROLO, ſperaret, ſi in amplexus eius et praeſentiam admitteretur; quam ſpem et LAVNOIVS, qui cum Rege in Hiſpaniam traiecerat, et plures alii, paullatim augebant, Regem uariis aduenturi propediem

Cae-

Caeſaris ſuſpicionibus deludentes. Secus enim cuncta euenere, tantumque abfuit, vt gratis e uinculis dimitteret FRANCISCVM Caeſar, vt ne quidem ad colloquium uocaret, quandoquidem, id, ſi absque gratuita libertatis oblatione admitteret, a magnitudine Caeſaris oppido fore alienum, Proceres perſuaſerant. Non deerat exemplum, quod, uelut in illuſtri poſitum, intueri CAROLVS et ſequi potuiſſet, PHILIPPI MARIAE, Ducis Mediolanenſis ex illuſtriſſima Vice-Comitum gente vltimi, qui, cum ALPHONSVM, Aragoniae, Neapolis item, et Siciliae, Regem, et IOANNEM, Regem Nauarrae, CAROLI V proauum, nauali praelio uictos, in poteſtatem accepiſſet, non modo lytrum ab iis exegit nullum, ſed et perbenigne habitos, ac liberaliter donatos, dimiſit, quo, ſi nihil aliud, hoc certe, conſecutus eſt, vt ſibi timendum ex eo tempore ab illis nihil fuerit, gloriamque a poſteris meritus ſit immortalem. At Caeſari longe alia mens erat, qui lucrum capere, quantum poſſet, maximum decreuerat; neque adeo, quod magnificentiae ſuae, quam quod vtilitati, conueniret, ſpectabat. Quantum enim iuris et ditio-

ditionum obtinere ſe poſſe a captiuo Rege ſperauerit, FRANCISCO morbo poſtea haud proletario afflicto, luculenter ſatis patuit. Is captiuitatis impatientia, quod neque conueniendi Caeſaris facultas fieret, neque inter dubias alienae ſeueritatis ac clementiae opiniones expedita ſeſe ratio libertatis oſtenderet, eam animi aegritudinem contraxerat, quae, in corpus transfuſa, inexplicabili remediis malo extremam mortis calamitatem portendere uideretur. Et maiorem forte morbum finxerant Medici, quo magis maturaret medelam Caeſar, quam blando alloquio et iucunda libertatis denuntiatione haut dubiam allaturus uidebatur. Quid enim non poſſunt mendaces Principum Archiatri? Impune fingunt, deferunt, accuſant, occidunt. Caeſar, tanto Regis diſcrimine permotus, et peramica humanitatisque plena ſalutatione, tum ſpe certae libertatis ac clementiae uerbis dubiis iniecta, aegrum pallentemque iam uicina morte adeo, vt loquitur Hiſtoricus non ignobilis, recreauit, vt excitatae uitali calore uenae fuerint, frigidusque natiuo uigore diſcuſſus ſanguis, ac ſupra omnem medicinae uim laetitiae conceptae

ſenſus, morbum expugnauerit. Nihilo minus durae nimium leges proponebantur FRANCISCO, quas eum, ſimul atque in Galliam rediiſſet, reſciſſurum omnes, prudentior quisque facile proſpiciebat. De APPIO, Decemuiro, relatum legimus, eum tanto in Romanos ciues odio flagraſſe, vt exſtructum a ſe carcerem domicilium populi Romani appellauerit, nec abſurde fortaſſis aliquis arcem Madritanam FRANCISCI, Regis, domicilium fuiſſe dixerit, in quo diutius ſcilicet, quam uellet, commoratus eſt. Pertaeſus itaque moleſtae captiuitatis FRANCISCVS, promittit nunquam ſeruanda, reſcindenda ſancit, iurat, et peierat. Lauta erant ſcilicet promiſſa et longe uotis etiam maiora, quibus deludi coruos hiantes in ſinu gaudebat FRANCISCVS, ratus, eſſe Regium factum, multa polliceri, praeſtare pauca. Atqui hoc etiam iuratus promiſerat, ſe confeſtim, niſi omnia impleantur, in carcerem rediturum. Rem uanam et ridiculam! Quis enim cogat, vbi promiſſis ſtare Princeps nolit. Non abs re eſt, quod apud HOELIVM, elegantiſſimum ſcriptorem Anglum, me legiſſe memini; filium CAROLI V,

PHI-

PHILIPPVM II, Hiſpaniarum Regem, cum coniux eius, MARIA, Magnae Britanniae Regina, grauida falſo crederetur, iamque publicae preces pro felici partu recitarentur, poſtulaſſe a Regni Anglici ſenatu, vt, ſi mori MARIAM contingeret, liceret ſibi publici curam regiminis ſuſcipere, donec ad maturam aetatem perueniret, quicunque naſceretur puer, uel puella; promiſſurum etenim diſertis uerbis, ſe a regimine ſponte tum diſceſſurum. Parum aberat, quin res decerneretur a Senatu, cum e nobiliſſima PAGETORVM gente ueнerandus ſenex, e ſella ſe proripiens, pauca uerba iniiceret: Ecquis autem in foro contendat cum PHILIPPO, ecquis lege agat, ſi nolit? Quod Angli pulcrius efferunt: *But who ſhall ſue the Kings bond?* Ita quidem eſt, fruſtra frenum iniicimus ſupremae poteſtati; fruſtra iuramentis firmantur, quae nutu poſſunt diſſolui. Dimiſſo uix FRANCISCO, rumpuntur pacta, perit tantae uictoriae captique Regis fructus, concurritur in nouum foedus, ad conterendas CAROLI uires, quas tota propemodum exhorreſcebat Europa. Scilicet non paritur iſtis artibus ſplendidum

ſupremi Monarchae nomen, alia uia, aliis conſiliis, opus eſt. Quanto rectius ſibi conſulturum fuiſſe Caeſarem exiſtimatis, Auditores, ſi poſt pugnam Ticinenſem in Galliam ipſam, capite ſuo deſtitutam, magnoque perculſam timore, et proſtratam, repente feciſſet impetum, neque arma e manibus, ueluti iam debellatis prorſus Gallis, depoſuiſſet. An non aeternum ſibi creditis deuinxiſſe FRANCISCVM, ſi gratis eum dimiſiſſet, et luculentum dignumque faſtigio ſuo liberalitatis exemplum edidiſſet. Neque uero durus tantummodo in hoſtem fuit, ſed et amicorum plerumque et ſociorum rationem habuit nullam, non honeſtati, non uirtuti, (quae obſcura ſunt apud Principes et uana nomina,) uerum diuitiis et commodis, vnice intentus. Quod tanto magis mirum uideri poteſt, quo magis frater, et ſorores, aliique, quibus qualiscunque cum CAROLO cognatio uel familiaritas erat, ei uitam atque fortunas omnes conſecrabant. Aduertite, quaeſo, Auditores, qualis eius fuerit pietas in parentes, qualis in fratrem, et reliquos. PHILIPPVM, CAROLI patrem, nemo ignorat, accepto ueneno rebus humanis fuiſſe

in ipſo aetatis flore ereptum; neque obſcurus fuit horrendi criminis auctor. At CAROLVS, tantum abeſt, vt vlciſci mortem patris, vt ne quidem quaeſtionem inſtitui contra auctorem uellet, aliosue tanti ſceleris ſocios nequiſſimos. Mater, IOANNA, quae, optimi mariti morte nimium perculſa, quandam animi imbecillitatem contraxerat, non inepta tamen illico Caſtiliae, aliarumque in vtroque orbe prouinciarum, imperio cenſeri debebat, ſed indulgendum erat paulliſper morbo, donec conualeſceret. Contra ea CAROLVS, filius, dominationis cupidiſſimus, rerum ſummam ocyus capeſſit, Regnisque, quorum ius nullum, niſi mortua poſt annos demum duos et quadraginta IOANNA, obtinebat, impune potitur, uix alia re, praeter nominis Diplomatibus vna ſubſcribendi inane ſolatium, ei relicta. Neque haec ſola eius calamitas: concludebatur tremendis Tordeſillae moenibus, a quibus omne decus, ſuauitas omnis, et laetitia, procul exulabat. Inter horrores et luctum, inſtar foeminae miſellae et pauperis, ſola relinquebatur; circumquaque ſolitudo, clades, et triſtitiae inſtrumenta alia, quae uel ipſam

ex ſede ſua ſapientiam deiiciant, et tranquillos quosque uertant in dementiam et furores. Uere dixit, quisquis dixit, nullum nanciſci tam foedum et crudelem hoſtem potuiſſe IOANNAM, qui Regno ſpoliatam ad minimum iucundo praedio non donauerit, comitesque dederit fortunae, qui mitigare dolorem, et expellere paullatim, potuiſſent. Fratrem habebat CAROLVS FERDINANDVM, in Hiſpania educatum, et adſuetum Hiſpanis moribus, cui vltima aui uoluntas Hiſpaniae imperium deſtinabat: uerum et praerepta ei haereditas, et extorta ſolennis abdicationis formula, et, quod vtroque iniquius, nulla quoque Belgicarum prouinciarum portio, qualis iure optimo ad eum ſpectabat, relicta eſt. Et fortasſis Auſtriacis pariter prouinciis excidiſſet FERDINANDVS, niſi vnicam Bohemiae et Hungariae haeredem in matrimonium ducendi pulcra ſeſe obtuliſſet occaſio, quam e manibus dimittere haud ſolent facile Auſtriaci, connubiis quippe, quam belli artibus, feliciores. Neque enim abſurde luſit nonnemo:

Bella

Bella gerens perdis, nubens fers, Auſtria, Regna,
Auſtria nube modo, bella gerant alii.

Quod uero Romani Regis ei conciliaret dignitatem CAROLVS, id nullo fratris amore factum uidetur, uerum quod res ita poſtularet, et nondum tenellus filius PHILIPPVS, (tres enim annos natus erat,) ferendo diademati par eſſe crederetur, cui tamen ceſſurum facile, ſi adoleuerit, FERDINANDVM, inepte ſperabat. Atqui ea in re magnopere mihi deſipere ſemper uiſus eſt CAROLVS, quod mature nimis fratri comparauerit tam ſplendidum decus, comparatumque vt poſt aliquot annos, neſcio quo ignauiae praemio promiſſo, deponeret, prorſus et omnino conaretur perſuadere. Vnica enim de PHILIPPO, filio, cura erat, cuius potentiam et uires quo magis augeret, vxorem ei conciliauerat MARIAM, Angliae Reginam. Qua in re nullam eum habuiſſe uel decori, uel honeſtatis, rationem, e duris matrimonii legibus intelligunt, qui eorum temporum hiſtoriam habent exploratam. Ceterum neque erat tam uili animo FERDINANDVS, vt cum CAROLO, vltro relictis ampliſſimis prouinciis, inna-

tam regnandi cupidinem monaſterio et carcere fraenaret. Et magno quidem ſemper in honore habuit CAROLVM, eumque patris inſtar coluit, et, quicquid ad eius commoda inſeruire poſſe credebat, id omne larga manu contulit, et auctoritatem eius in Germania ſtabiliuit inprimis et ſuffulſit, et, auxiliaribus copiis ſubinde miſſis, Mediolanenſis Ducatus non ſemel ſeruati cauſa fuit praecipua. At fieri non potuit, quin leuis quaedam ſimultas inter fratres naſceretur, cum PHILIPPVS ex Hiſpania traieciſſet in Italiam ſpe obtinendae a FERDINANDO Romani Regis dignitatis. Neque enim quidquam omittebat Caeſar, quod ad inducendum fratrem pertineret, eoque germana ſorore, Hungariae Regina, vtebatur adminiſtra, cui obnoxius non parum credebatur Rex Romanorum. Prolixum foret et longe ingenio meo maius, tot artes, tot inſidias, atque technas, ad fallendum FERDINANDVM excogitatas et procuſas, pro argumenti grauitate recenſere. Eo res deducta fuerat, vt FERDINANDVS ſe paratum ad deponenda ſceptra ſimularet, ſi filium, MAXIMILIANVM, cuius maxime interſit, haberet conſentientem. Erat is

egre-

egregius iuuenis, in quo et ſingularem prudentiam, et totum corporis habitum, inprimis Germania, in qua natus erat, admirabatur, Princeps in ſpem tot regnorum altus atque educatus, quibus, nondum deguſtatis, ſi ſponte et vltro ſe abdicaret, miſeratione magis, quam laude, dignus uidebatur. Itaque non ſatis erat, inquit, tot pulcerrimis ditionibus patrem meum iam olim contra ius et fas fuiſſe priuatum? Non eum ſatis erat ad firmanda fratris imperia tantum robur attuliſſe? Num ea pro tot beneficiis refertur gratia, vt ſupremum in orbe decus, quod tot aliorum uotis fruſtra petitur, iubeatur, ridendo poſteris exemplo, abiicere? Scilicet me quoque CAROLVS dulci connubiorum nomine demulcere, et tanta ſimul ſpe fruſtrari cogitat? Filiam dedit, Regna eripit et patrimonium. Non adeo obtuſa geſtamus pectora. Per Deum immortalem! Tuebimur a Deo datos faſces, ne, dum recuſamus, indigni iis prorſus fuiſſe credamur et immerentes. Non ignorabant tantum inter fratres diſſidium Proteſtantes Principes, idque rebus ſuis oportunum iudicantes, FERDINANDI fauorem multis modis aucupabantur. Quan-

tum enim fiduciae collocarent in FERDINANDO, tum ſignificarunt, cum in lite, quae erat ipſis cum CAROLO, Caeſare, huic ante alios arbitrium deferrent, quod et magna alacritate ſuſcepit, et tanta cura peregit ac fide, vt, difficillimas turbas a ſe feliciter fuiſſe compoſitas, ſaepius poſthac fuerit, nec immerito, laetatus. Quid? Si MAVRITIVS uictoriarum curſum continuaſſet, et, Caeſare per ſummam ignauiam in Uenetorum vſque fines diffugiente, uictricia arma in Auſtriam atque Bohemiam intuliſſet. Quid? Si FERDINANDVS ad MAVRITII, quocum ei ſingularis erat familiaritas, partes deſciuiſſet, arrepta tam fertili uindictae occaſione. Aſt longe ab vltione alienus, pro iniuria gratiam, beneficium pro contumelia, rependit, et inter tot diſcrimina medium ſe interponens, ne probroſa fuga fraudi eſſet Caeſari apud Germanos, mature prouidit. O fidem uere fraternam! O dignam omnium praeconio modeſtiam! Qualis erga fratrem fuerit CAROLVS, modo uidimus; reſtat, vt, qualem ſe ſororibus praebuerit, quantum temporis ratio permittit, diſpiciamus. Cum foedus aduerſus Caeſarem conflarent Pontifex et Ueneti, Gal-

lique,

lique, nondum facta cum FRANCISCO pace, nouum, idque anceps, parantes bellum, deſperatis propemodum ob inopiam Caeſaris rebus, oportune occurrebat ELEONORA, ſoror, Luſitaniae Regina, et ISABELLA, filia, fratri deſponſata, dotem numerabat quadringentorum millium ioachimicorum, quibus pecuniis indigentiſſimus eo tempore Caeſar erat, quod Hiſpani qualescunque in bellum ſumtus praebere nollent. Cui doti accedebat ſpes non uana, Luſitaniam olim ſub Hiſpaniae nomen redigendi, quam quidem felicitatem PHILIPPO II obtigiſſe, quis eſt, quaeſo, qui ignoret? Enimuero Caeſar, tanta tamque promta liberalitate nequaquam contentus, haud explorata ſororis uoluntate, et ne quidem collatis antea conſiliis, eam Borbonio, quo magis eum ſibi deuinciret, promittit vxorem, tametſi foeminam, Regia ſtirpe prognatam, quaeque potentiſſimo Regi nupſerat, a coniugio Principis, bonis omnibus non iniuria ſpoliati, magnopere intelligeret futuram alienam. Nihilo minus, oppreſſis muliebris ambitionis fortiſſimis ſtimulis, morem gerebat fratri ELEONORA, nouisque ſe nuptiis parabat, ſuae parum et

famae,

famae, et vtilitatis, ſtudioſa, dum promoueret alienam. Sed et ludendus erat Borbonius. Mox enim, mutata ſententia, Caeſar ei FRANCISCI, Galliae Regis, quem in uinculis habebat, nuptias repraeſentat, quae, etſi multo illuſtriores, tantaque dignae maieſtate, erant, parum tamen iucunditatis promittebant, quod non tam dari petenti ſponſa, quam obtrudi, uideretur. Habent enim hoc magnorum Principum connubia, vt non vltro et libere ab Imperantibus, uerum e commodis rei publicae, ineantur, eoque infauſta plerumque, uel iniucunda, ſint. Nimirum, vt eleganter Poeta Uenuſinus:

Sic uiſum Ueneri: cui placet impares
Formas atque animos ſub iuga abenea
Saeuo mittere cum ioco.

Non abhorrebat ab iis nuptiis FRANCISCVS, ſiue quod libertatem ea ratione ſibi parari, ſiue quod deludi CAROLVM ſpecioſo affinitatis titulo poſſe ſperaret. Deſpondetur Regi ELEONORA, in matrimonium, dubium, quo tempore, ducenda: et uix in Galliam euaſerat citatis equis FRANCISCVS, cum, inſuper habitis promiſſis, et ſponſaliorum, et pacis, leges ſolueret;

ueret; quae inter diſcrimina ELEONORA illaetabile triennium tranſegit, eam tantum ob cauſam infelix dicenda, quod feliciſſimum germanum haberet CAROLVM. Sed illa, quanquam poſt Cameracenſia demum pacta Regiis innexa uinculis, nondum bene de Caeſare mereri deſtitit, et, mortuo tandem Rege, magna alacritate ad Caeſarem reuolans, conſtanter ei adhaeſit, et poſtremo in Hiſpaniam proficiſcentem diligenter comitata eſt, idem quoque monaſterium ingreſſura, niſi CAROLVS auerſatus ipſe foeminae mores et ingenium fuiſſet. Altera eius ſoror, MARIA, Hungariae Regina, uix leuiter deguſtato matrimonio, orbatur dulciſſimo marito, et longiori uita digniſſimo, LVDOVICO, cui ſi opem promiſſam iuſto tempore adduxiſſet CAROLVS, non fuiſſet illi fortaſſis praematura morte pereundum. Sed nondum nata erat annos uiginti, aderat forma haud uulgaris, atque animus a nouis nuptiis nequaquam alienus: denique eminebat inter Principes foeminas prudentia et uirtute. Uerum, et prudentem, et pulcram, et iuuenem, fuiſſe, nocuit. Solam enim Belgio regendo parem Caeſar arbitrabatur, quae

quae ſi iterum potenti nuberet marito, periculum erat, ne Belgae, iam dudum nutantes, ab Hiſpanis deficerent. Accepit tamen ſingulari laetitia delatum munus MARIA, quoque magis res ſuas probaret fratri, ſupra, quam ſexus pateretur, bellicis etiam artibus dedit operam, et magna cum laude Belgis per trium et uiginti annorum ſpatium praefuit. Reſtat, vt de ISABELLA quoque, infortunatiſſima Regina, quae matertera CAROLI fuit, dicamus. Uix ea matura uiro erat, cum, procurante Caeſare, CHRISTIANO II, Daniae, Sueciaeque, et Noruegiae, Regi, vxor traderetur, uiro ueſano et crudeli, qui monſtro, quam Principi, ſimilior uidebatur. Uixit tamen in eo conſortio annos tredecim, et tot mariti iurgia et iniurias aequo tulit animo, hoc vno felix, quod enixa eſſet optimae ſpei filium, et puellas elegantiſſimas. At, CHRISTIANO, concitata rebellione, in uincula coniecto, et occupatis a FRIDERICO et GVSTAUO ſceptris, ISABELLA ad CAROLVM, fratrem, exul cum liberis migrat, et per fraternos amores, per Deum atque homines, orat, atque obſecrat, vt opem marito, vt filio vnico,

co, in ſpem tot Regnorum educato, vt ſibi ferat, ne omnibus regnis eodem tempore excidant miſeri. Aduoluuntur ad eius genua et filius,(*) et natae moeſtiſſimae, atque inter tot gemitus atque lacrymas nequidquam quaerunt afflictis et proſtratis rebus ſuis ſolatium. Neque uero multo milite opus erat, ipſis quippe ſubditis, ſi alienum, quamuis leue, acceſſiſſet auxilium, ad recipiendum CHRISTIANVM ſatis paratis. At nulla ſpes eſt ſalutis, moritur prae moerore ISABELLA, atque id uiſum turpius, quod cum CHRISTIANO III, FRIDERICI ſucceſſore, foedus iniret CAROLVS, nulla prorſus CHRISTIANI II, qui adhuc in uiuis, erat, eiusque liberorum, ratione habita. Accedebat, quod teſtamento interdiceret filio, PHILIPPO, ne negotium Regi Daniae, ob iniurias CHRISTIANO olim illatas, vllum omnino exhiberet.(**) Sed ea erat CAROLI in propinquos frigiditas et quidam quaſi torpor, vt, eorum ad ſe calami-

(*) Submiſſam hic Princeps ad CAROLVM orationem recitauit, quam uid. apud AGRIPPAM *Or. 9.*

(**) Uid. MEVRS. *Hiſt. Dan.* L. III p. 86.

lamitatem ſpectare, haud exiſtimaret, neque tantam ex miſeratione gloriam, quantam ex inuidia, peteret. Quod tum quoque patuit, cum HENRICVS IIX, Angliae Rex, a CATHARINA, vxore, quam CAROLI, Caeſaris, materteram fuiſſe, uulgo conſtat, feciſſet diuortium, et ſuſceptae ex eo matrimonio filiae, tanquam illegitimae, certam Magnae Britanniae haereditatem eripuiſſet, quae iniuria in ipſum CAROLVM uidebatur inprimis redundare. Parum enim is hac ignominia motus, nihil ex eo tempore quaeſiuit magis, quam vt HENRICVM haberet fautorem, cuius amicitiam nouis foederibus deuinxit atque ſtabiliuit. Hoc fuit in fratrem, in ſorores, in propinquos, ingenio Caeſar. Nil mirum igitur, ſi in Indos Occidentales, toto orbe diuiſos, ſed innocentiſſimos, dirus fuit et crudelis, quorum nempe, regnante CAROLO, occiſa ab Hiſpanis fuiſſe (horrendum dictu!) plus quam centies centena millia, BARTHOLOMAEVS CASA fruſtra iam olim apud ipſum Caeſarem conqueſtus eſt. Proxima crudelitati eſt ſuperbia, quae tanto magis in CAROLO fuit conſpicua, quanto longius ſupra aliorum ſortem elatus, fortunam

nam plerumque habuit pediſſequam. Ita enim cum rebus mortalium comparatum eſt, vt in rebus aduerſis deiiciant mobilem ad omnem auram animum, in ſecundis nimium attollant, atque moderate, vt par eſt, quacunque fortuna vti neſciant. Quantum CAROLVS poſt uictoriam Ticinenſem deſpexerit ceteros Principes, et notum paſſim, et peruulgatum eſt, et noſtrae excedit orationis modum. Praeterea, quo magis proderet ferocem animum, repraeſentari ſe ipſum iuſſerat in tabula, trahentem catenis FRANCISCVM, Regem ſqualidum ex carceris foeditate et horrentem; qua certe pictura excogitari nihil potuit arrogantius. Quod cum exemplum imitati eſſent Hiſpani, (vt nunquam deſunt ad augendum Principum faſtum paratiſſimi,) et probroſam Gallis tabulam publice Romae in aede ſacra ſuſpendiſſent, mox a nonnullis Gallis, qui hortatu BELLAII, Cardinalis, noctu in aedem irrepſerant, in fruſta conciſam, Pontifex Romanus ad Ducis SESSII, Hiſpanici Legati, querelas prudens dedit et ingenioſum reſponſum, ſe non tam, vt deiecta, quam vt illata fuerit in Eccleſiam

H pro-

profana tabula, demirari. Rurſus, poſt factas cum Gallis inducias, nouum in CAROLO patuit arrogantiae exemplum. Cum enim, poſtremo bello tot occubuiſſe fortiſſimos belli Duces, ſignificaſſet, vt non niſi tres ſuperſint, qui inter ceteros prudentia et vſu praeſtent, cuperetque Legatus Gallicus, CASTELLONIVS, tres illos, quos ſummos crederet, indicari Duces, non dubitauit Caeſar ſe ipſum primo loco nominare, Momorantium ſecundo, tertio Albanum Ducem. At quis neſcit, Caeſarem, quibus praeſens interfuit, expeditionibus parum fuiſſe fortunatum, ſi Saxonicam tantum, et Tunetanam, excipias. Et eſſet hic ſane prolixus admodum dicendi campus, niſi me iterum iterumque breuem eſſe moneret propinquus fugacis horae finis. Quae enim haec fuit tam exquiſita Caeſaris prudentia, quod tempore nequaquam oportuno aduerſus Algerios plenam periculis et difficultate expeditionem ſuſciperet? Uergebat ad finem annus ſupra milleſimum quingenteſimum primus et quadrageſimus, iamque adulto autumno imminebant ab Africana expeditione peritiſſimi quique belli duces, atque ipſe reluctabatur

tur ANDREAS DORIA, maritimae rei ſcientisſimus, parabat anceps bellum FRANCISCVS, ob caeſos per idem tempus, CAROLI, vt credebatur, iuſſu, Legatos, RINCONEM, et FREGOSIVM, et uiolata gentium iura; ſed obfirmauerat aduerſus haec pertinacem animum CAROLVS. Inſtruitur per ſummam feſtinationem claſſis, credit ſe uento et fluctibus Caeſar; iamque acceſſerat ſecundis uentis Algeriam vrbem, eamque aliquo tempore obſederat, cum horrida repente tempeſtas, poſt effuſum largiſſime imbrem, terram atque mare omne occuparet, et colliſae inter ſe naues non paucae naufragium facerent, magnoque ſtrepitu caſtra perturbarentur. Vtuntur occaſione barbari, et paſſim Caeſarios, uim obuertere non auſos, trucidant; quas inter moleſtias et clades CAROLVS cum exercitus reliquiis ad naues reuolat, uentisque et procellis diu iactatus, aegre in Hiſpaniam reuertitur, trecentis nauibus cum exercitus parte maxima deſideratis. Quid de Metenſi obſidione dicam, quae, pari ſuſcepta imprudentia, parem quoque exitum, hoc eſt, infeliciſſimum, habuit? Non latebat Caeſarem, eſſe in vrbe lectiſ-

ſimos Duces, et exercitus Gallici robur omne, tantum praeterea commeatus, quantum ad alendum in plures annos militem ſufficeret, vt adeo vrbs, munimentis inſuper inſtructiſſima, facile credi poſſet inexpugnabilis. Diſſuaſerant oppugnationem Duces, irritasque futuras et inanes Caeſaris uires, haud uane praedixerant. At, ſpretis ſalubrioribus conſiliis, decernitur obſidio, cui praeſens intereſſe Caeſar, uelut magnam deportaturus gloriam, cupiebat, quoque plus diſcriminis obiiceretur, eo ardentius indulgebat ſuo genio, uel mori ſub moenibus obſtinatae vrbis, vt ipſe ſubinde imprudens aſſeuerabat, uel tranſilire muros, et omnia diſpellere, rapere, et proſternere, certus. Sed, quam infauſta ea fuerit oppugnatio, uel ex eo intelligitur, quod ſe ipſum ſenſerit ex illo tempore tanto imperio imparem, et, poſitis paullatim Herculeo labori limitibus, publice ſemet ipſum a Caeſaria dignitate abdicauerit. Qua in re vtrum laudandus magis, an reprehendus, fuerit, equidem nunc operoſe haud inquiram, ne ueſtra abuti patientia uelle uidear, Auditores. Reſtarent plura, quae in CAROLO animaduerti, atque atro notari calcu-

calculo, poſſent, ſcilicet quod Haſſiae Landgrafium, PHILIPPVM, callidis uerborum aucupiis deceptum, in uinculis detinuiſſet, et inſolentius ſaepe in Germanos Principes debacchatus, eorumque libertati clam fuerit palamue inſidiatus, tum quod per mediam Galliam, uix firmatis induciis, iter facere non dubitauerit, turbasque, in Germania ex religione ortas, haud ſatis mature, vt opus erat, oppreſſerit, denique quod obtentis ad Ticinum et in Saxonia uictoriis parum fuerit recte vſus, quodque, orta iam de MAVRITIO ſuſpicione, fuerit paullo nimis ſecurus, idque generis alia, quae ſicco pede praetereo. Ad uos itaque nunc mea ſe conuertit oratio, Uiri Iuuenes praeſtantiſſimi, bonarum artium Baccalaurei maxime induſtrii, qui ſupremis ſcholaſticae dignitatis honoribus condecorari modeſte ab Ordine noſtro petiiſtis. Quandoquidem uero hactenus cum in exercitiis publicis priuatisque, tum in examinibus conſuetis, nunquam ſatis laudanda ſtudia ueſtra abunde et reliquis Examinatoribus, et mihi, probaiſtis, tantum abeſt, vt, uiam ad Heliconem occludendam eſſe Uobis, cenſeam, vt

 uelut

uelut manu prehenſos in ſumma deducere cacumina percupiam. Quod igitur bene uertat Deus ter optimus, terque maximus, quodque a Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principe ac Domino, Dn. FRIDERICO AVGVSTO, Rege Poloniarum, Magno Duce Lithuaniae, Ruſſiae, Boruſſiae, etc. Duce Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae, Montium, Angriae et UUeſtphaliae, S. R. Imperii Archimareſchallo et Electore, Domino meo indulgentiſſimo, nomine Sereniſſimi ac Reuerendiſſimi Principis ac Domini, Dn. MAVRITII UUILHELMI, Ducis Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae, Montium, Angriae et UUeſtphaliae, etc. Poſtulati Adminiſtratoris Epiſcopatus Martisburgenſis, et Cancellarii huius Academiae perpetui, Domini mei itidem indulgentiſſimi, in mandatis cum iure ſubſtituendi habuit Parens meus, OTTO MENCKENIVS, S. S. Th. Lic. et Moral. P. P. mihique uigore eius mandati demandauit; ego, IOANNES BVRCHARDVS MENCKENIVS, Ph. et I. V. D. Ordinis Phil. Collega, eiusdemque hodie ſubſtitutus Procancellarius, ui delegati mihi muneris, praeſentes B. A. et Phil. Baccalaureos, et ſupremi in Philo-

ſophia

ſophia gradus Candidatos, Uos, numero XXX, omnes atque ſingulos, abſentes, tanquam praeſentes, B. A. et Linguarum, totiusque Philoſophiae, Licentiatos, more et conſuetudine, in hac Academia, et inprimis in Communitate noſtra, recepta, creo, facio, et renuntio. Tibi, Spectabilis Collegii noſtri Decane, N. N. facio pleniſſimam poteſtatem, Dominis Licentiatis gradum, honorem, titulum, priuilegia, et inſignia Communitatis noſtrae Philoſophicae ſumma conferendi, vt et renuntiandi illos ex hoc loco, quem Tibi mox cedam, publico, more maiorum, receptis in hac Academia cerimoniis adhibitis, Philoſophiae uerae, ſobriae, et ſalutaris, Magiſtros et Doctores, in nomine Dei Patris, Filii et Spiritus S. per quem et in quo ſunt omnia, cui laus, honor, et gloria, in omne aeuum.

ORATIO VI.

DE UIRIS ERVDITIS, QVI LIPSIAM SCRIPTIS ATQVE DOCTRINA ILLVSTREM REDDIDERVNT. (*)

Potentiſſimi Regis Poloniarum atque Electoris Saxoniae, ac
Sereniſſimi Principis Heredis, nec non
Sereniſſimorum, et Reuerendiſſimi, Ducum, Saxo-UUeiſſenfelſenſis et Cizenſis, Academiae Nutritiorum,
Splendidiſſimi Domini Legati,
Legati item Summe Reuerendorum Capitulorum, et Academiarum celeberrimarum, decenti honoris cultu uenerandi,
Vtriusque Reipublicae Proceres grauiſſimi,
Tuque circumfuſa Studioſorum lectiſſima concio.

Quotusquisque eſt ueſtrum, Auditores, qui, cum nobiliſſimam hanc, et per Europam vniuerſam celebratiſſimam, vrbem, haec

(*) Recitata eſt publice A. 1709, in Iubilaei Academici ſolennitate.

haec tecta, hos ciues, contemplatur, ſingularem diuini Numinis bonitatem protinus non agnoſcat, planeque ſentiat, atque admiretur? Absque enim Numine quis fieri credat potuiſſe, vt hoc ipſo in loco, qui nullo flumine, portandis nauibus apto, irrigaretur, nec portu memorabili inſtructus eſſet, emporium hoc tam celebre, tamque copioſum, opibusque et mercibus affluentiſſimum, ſuſcitaretur. Quisquis autem Academiae noſtrae, quam iure optimo Germaniae, quemadmodum ille Lugdunum Belgii, illuſtre miraculum dixeris, in qua iam a trecentis annis elegantiarum omnium ſedes, literarum domicilium, Muſarum ac Gratiarum auguſtiſſimum ſacrarium, fuit, quisquis, inquam, prima huius Academiae initia reſpiciat, facile intelliget, ea, quae tum facta ſunt, nequaquam caeca quadam fortunae ſorte atque impetu, uerum certiſſimo Dei T. O. M. conſilio, ita eueniſſe. Iniquiſſimo Edicto (noſtis enim, Auditores,) Pragenſis Academiae ordinem ac iura ſubruere UUENCESLAUS ſtatuit, tumultuantur Doctores pariter et diſcipuli, diſcedunt non manipulatim, ſed gregatim, atque cateruatim. Ecquis uero tot

hominum millibus auctor fuit, vt, poſtpoſitis florentiſſimis ea tempeſtate Germaniae vrbibus aliis, Lipſiam potiſſimum eligerent, in qua perinde, vt apum examina, conſidentes, quam ingreſſi antea erant, ſtudiorum rationem proſequerentur et abſoluerent? Iſtudne ſine Numine factum eſſe creditis, Auditores? Potentiſſimos nemo non uocauerit germanos fratres, FRIDERICVM BELLICOSVM, et UUILHELMVM, prudentiſſimos etiam, atque iis uirtutibus, quae ad Rempublicam pulcre regendam, ornandam, amplificandam, pertinent, inſtructiſſimos. At iidem tamen de excitando ſapientiae et bonae mentis templo nunquam agitauerant conſilia; cum ſenſere diuinum nutum, Muſasque, e uicina Bohemia exules et extorres, non modo non reiiciendas, uerum etiam vltro adducendas, inuitandasque, ſtatuerunt. Quemadmodum uero exordia fauſtiſſima dedit Academiae ſupremus rerum arbiter atque moderator, Deus, ita decus eius felicitatemque per trium Seculorum ſeriem ita extulit, vt, cum eruditiſſimis hominibus liberaliſſimisque ſtudiis continuo affluerct, nunquam non inter nobiliſſimas Germaniae

niae Academias praecipuo loco fuerit habita, totque paulatim ex illa prodierint Uiri, omni doctrinarum genere praeſtantiſſimi, vt, ſi quis ad exemplum MEVRSII, uel UUOODI, quibus *Athenas Batauas*, et *Oxonienſes*, debemus, *Lipſienſes Athenas* conſignare auſit, is ſubiturus ſit profecto laborem immenſum, et humanis uiribus longe ſuperiorem. Equidem illis fidem habere nequeo, qui, multa millia ſtudioſorum iuuenum e Pragenſi in Lipſienſem Academiam ueniſſe, iactitant; a probatiſſimis tamen illius temporis ſcriptoribus (*) traditum inuenio, centum poſt inaugurationem annis, in publica et ſolenni pompa, quam ipſe Dux GEORGIVS ducebat, bis mille et centum Magiſtros pariter iuuenesque, et in ſchola Thomana ſeptingentos pueros, qui optimis artibus ad humanitatem informarentur, fuiſſe numeratos. Quam felicitatem tantum non perpetuam nobis fuiſſe, nemo, rerum noſtrarum non plane rudis, inficiabitur. Etſi enim tot ſubinde per Germaniam Academiae pullulauerint, bellaque, peſtem,

(*) Uid. IO. BROTVFFII *Chronicon Sax.* MS.

peſtem, et clades alias, ciues noſtri ſaepe multumque fuerint perpeſſi, nunquam tamen Muſae prorſus has ſedes deſtituere, nec deſiderati ſunt vnquam Lipſiae, qui cum ad docendum, tum ad audiendum, eſſent parati. Et habet hoc praecipuum, prorſusque eximium, Academia noſtra, quod non modo tot Electorum Principumque munificentiae plurimum debeat, ſed quod etiam inter priuatae ſortis homines, noſtraeque inprimis Reipublicae ciues, Euergetas numeret plurimos, quorum nunquam eſt moritura memoria: quo fit, vt adoleſcentes ſtudioſi prope quingenti, quibus nihil aliunde opis praeſidiiue ſuppetit, publicis ſtipendiis alantur atque recreentur. Ueſtram teſtor fidem, optimi Iuuenes, qui, cum prope nudi, et, quae ueſtra calamitas, uix aliquot obolis inſtructi, ad nos ueniſtis, Mecaenates hic inueniſtis, a quibus et amictu, uictuque, et rebus aliis, quae ad uitam frugaliter ducendam pertinent, ſupra ſpem omnem atque exſpectationem donati eſtis. Etiam hoc leue putatis, Auditores, intra vnius Seculi, quod proxime praeteriit, ſpatium tot poſitas in publico triclinio menſas, quibus indigentio-

res

res bonarum artium alumni integro triennio gratis, ac citra vnius propemodum aſſis impendium, ſuſtentantur? Hoc leue putatis, a Rege, ab Academia, Senatu, Ciuibus denique ipſis, haud modicas pecuniae ſummas in ſtudioſae iuuentutis, atque adeo ipſius Academiae, fructum atque vtilitatem liberaliter quotannis erogari? Nolite enim exiſtimare, quemquam in hac vrbe tam inſipidum inſulſumque reperiri, qui, plurima commoda ex Academia quoque in omnis ſexus atque aetatis homines, ipſamque Rempublicam noſtram vniuerſam, vberrime redundare, negauerit. Nam, vt taceam, tot elegantiſſimos nobiliſſimosque iuuenes, quibus lautior ſors obtigit, non ſpernendas facultates, ex aliis Germaniae oppidis celebrioribus vltro tributas, huc conferre, id quod principis in Saxonia Uiri iudicio confirmare poſſem, ſi tantum nomen in hac vmbra producere fas eſſet: vt taceam porro, plurimos eorum, qui huc confluxere, vt doctrinae morumque praecepta a nobis haurirent, eadem et in liberos ueſtros, Ciues, ſummo ſtudio traducere, iisdemque optima uirtutis ſemina a pueris inſtillare; iſtud certe praetermittendum non eſt, quod

quod tot pii parentes, quorum liberi apud nos in literas incumbunt, bene nobis precantur, proque fortunis noſtris, pro flore atque incolumitate huius Academiae, apud Deum immortalem aſſidue diligenterque intercedunt. Hinc et decus, et honos, et laetiſſima rerum omnium facies; nulli hic ſtrepitus, nulli tumultus, rara inter vtrumque Senatum diſſidia, pacata, tranquilla, exoptata omnia. Sed de Academia, atque huius potiſſimum diei celebritate, qua ſplendidiorem auguſtioremque nunquam uel parentes noſtros, uel nos ipſos, uidere contigit, in hoc tanto grauiſſimorum uirorum, ac literatisſimorum hominum, concurſu, uerba facere, publicasque et ſolennes diuino Numini gratias decernere, iuſſus ſum ab illis, quorum nutui uoluntatique obſtrepere, religioni duxerim. Quamobrem, etſi ſim in eloquentiae ſtudio plane nullus, quippe ab ingenio, aliisque uirtutibus, quae Oratorem reddere queant diſertum, parum inſtructus, Ueſtro tamen iudicio obtemperandum uideo, Patres conſcripti, qui, id muneris mei rationem poſtulare, cenſuiſtis, vt ad exemplum Uiri doctisſimi, IOANNIS FRIDERICHI, qui, cum et ipſe publi-

ce

ce Hiſtorias explicaret, fata omnia et uiciſſitudines Academiae inde a primis initiis luculenta Oratione ante hos centum annos exponere iuſſus eſt, e ſuperiorum temporum memoria quaedam repeterem, quae ad Academiae noſtrae gloriam augendam amplificandamque plurimum pertinerent. Cum uero crambem bis coctam apponere, longaque ac taedioſa Oratione aures ueſtras offendere, Auditores, nolim; e tot eruditisſimis Uiris, quibus Lipſia inde a primis initiis coruſcauit, paucos quosdam (quis enim omnes enumerare auſit?) producere in medium, breuisſimisque elogiis hoc tempore exornare, conſtitui. Qua re illud conſecuturum me arbitror, vt non minus Iuuenes Studioſi exempla habeant, quae, quaſi in illuſtri poſita, imitentur et ſequantur, quam alii tantorum nominum memoria iucundisſime afficiantur. Id dum paro, ad Uos me conuerto, Auditores omnium ordinum honoratisſimi, vtque de Uiris maximis incompto ſermone dicturum Ueſtra beneuolentia atque fauore tueri ne detrectetis, auresque Ueſtras per breue temporis ſpatium benigne mihi commodetis, ſubmisſisſimo animo decenterque rogo, atque contendo. Non-

Nondum ſuas ſedes hoc in loco Muſae collocauerant, nondum ſtabilita firmis legibus et fundata erat Academia, cum DANTES ALIGHERIVS, Florentinus, bonarum artium et omnis eruditionis auctor atque inſtaurator illo tempore praecipuus, e patria exul, Lipſiam accederet, luctuoſamque DICEMANNI caedem elegantiſſimo carmine deploraret. Cuius uiri aduentus praeluſiſſe quodammodo uidetur iis rebus, quae centum poſt annis euenere, quo tempore tot Uiri excellentisſimi, aliunde exciti, in hanc vrbem noſtram, magno literarum commodo, confluxere. Vt itaque ueniam ad eam aetatem, qua penitus conſecrata fuit literis Philuraea noſtra, non deſunt etiam e uetuſtisſimis, quorum memoriam conſeruari, et ad poſteros propagari, fas eſt. Inter praecipuos eius temporis Theologos memorant UINCENTIVM GRVNERVM, qui Fratribus Serenisſimis, FRIDERICO, et UUILHELMO, auctor ſuaſorque fuiſſe perhibetur, vt Academiam hoc in loco excitandam decernerent. IOANNIS uero HOFFMANNI, qui primus ſacrarum literarum apud nos Profeſſor exſtitit, in Miſenen-

ꝫnenſium poſtea Praeſulatum euectus, in-
ens in Concilio Conſtantienſi nomen
ıit; nec minus quondam celebris NICO-
AVS UUEIGELIVS, qui non ſacras mo-
o literas, uerum et Iura diuina et huma-
a, ipſamque Philoſophiam omnem, ele-
ınter pro genio ſeculi explicauit, dignus-
ue fuit habitus, qui et a Sereniſſimis
ıxoniae Ducibus, et a Martisburgenſi Prae-
le, ipſaque Academia noſtra, ad Baſileen-
Concilium ablegaretur, vbi, habitis longe
rauiſſimis Orationibus, incredibilem ſui
lmirationem apud omnes concitauit.
on memoro ſequentis Seculi Duumuiros
ariſſimos, UICTORINVM STRIGELIVM,
i, vt antea e Salana, quae eius conſiliis
ıbat, ita paullo poſt aduentum ſuum e
oſtra quoque Academia, dubium, num
orum inuidia, an ſua culpa, emigran-
ım fuit, et IOANNEM PFEFFINGE-
M, qui, vt poſt GEORGII, Ducis, ex-
ſſum puriſſimum Euangelii lumen inter
pſienſes noſtros extolleret, nulli labori,
llisque ſtudiis, aut uigiliis, pepercit. De
TRO quoque MOSELLANO, qui,
EORGII huius iuſſu, pia atque lucu-
ıta oratione praefatus eſt, antequam

LVTHERVS hoc in loco cum ECCIO pro uero ſanctoque Dei cultu animoſius congrederetur, et de CASPARO BOERNERO, qui circa eadem tempora Theologiam haud perfunctorie tractauit, rectius infra ediſſeram, vbi elegantiorum literarum promotores praecipuos enarrare conſtitui. Celebrandus uero ante alios hoc loco eſt NICOLAVS SELNECCERVS, digniſſimus MELANCHTHONIS diſcipulus, quem *oculum Lipſiae, acerrimumque doctrinae, a Luthero inſtauratae, aduerſus Caluinum et Bezam hyperaſpiſten*, iure meritoque uocari, nemo inficiabitur. Nec forte praetereundus UINCENTIVS SCHMVCKIVS, de quo idem plane HENRICVS HOEPFNERVS, quod de NEPOTIANO HIERONYMVS, praedicabat, illum nempe aſſidua et diuturna lectione pectus ſuum Bibliothecam Chriſti feciſſe. Etſi enim eſſet in dicendo adſtrictior, nemo tamen doctrinam eius deſiderabit, qui uel nuper editos *in Eſaiam Commentarios* euoluet, e quibus uiri pietas, candor, humanitas, vbique elucent, vt optandum ſit, ea quoque, quae in Pſalmos, Matthaeum item, Marcum, et Lucam, commentatus eſt, e tenebris, quibus

us ſepulta iacent, in lucem aliquando
roduci. Nihil de GEORGIO UUEIN-
ICHIO, quem *Suadam Lipſienſem* uulgo
ocant, nihil de POLYCARPO LYSERO,
cam, qui Ieſuitis, noſtros ſeceſſionis ab
uguſtana Confeſſione inſimulantibus, ſtre-
ue acriterque cum ſummo Saxoniae Theo-
go, MATTHIA HOE AB HOENEGG,
ſtitit. Magnus vterque, ſed vtroque
aior HENRICVS HOEPFNERVS fuit,
ui, ſi nihil poſt ſe reliquiſſet, praeter au-
os illos *de Iuſtificatione*, et *S. Coena*, Com-
entarios, vt reliquit plurima, immorta-
n certe nominis ſui famam apud omnes
iſſet conſecutus. Nec minor HOEPF-
RO diſcipulus, IOANNES HVLSEMAN-
S, fuit, qui, ſi quis alius, uera atque
nuina diuinae ſapientiae principia tanta
identia atque facilitate expoſuit, vt idem
eo, quod QVINTILIANVS alicubi de
LLIO, affirmare queamus: *Ille ſe pro-
iſſe ſciat, cui* HVLSEMANNVS *ualde
cebit.* Quanta is dexteritate uerſatus
in conuentu Lipſienſi, cum de Apo-
ia Pupillae Ordinum Euangelicorum
erſus Pontificios adornanda conſilia
entur! Quanta prudentia moderatus

eſt colloquium Thorunenſe, cuius etiam Hiſtoriam reliquit luculentisſimam! HVLSEMANNO diſcipulum et ſucceſſorem adiungo, HIERONYMVM KROMAYERVM, quo uiro nemo fuit in rebus diuinis apertior, ordinatior, diſtinctior. Nemo Theologiam vniuerſam hoc ordine complexus, tam eleganter, tam concinne, omnia diſpoſuit, atque explicauit; nemo melius reconditos Apocalypſeos ſenſus eruit, euoluit, exhauſit; nemo illos, qui, dulci pacis nomine imperitam plebem fallentes, quasuis male feriatorum hominum de religione ſententias inter ſe commiſcent, et quaſi conturbant, fortius repreſſit, oppugnauit, confecit. Sed quid de MARTINO GEIERO dicam? In quo uiro vtrum prudentia incomparabilis, an modeſtia, uel doctrina ipſa, magis celebranda ſit, haud ſatis habeo compertum. Etenim, quemadmodum in aliis doctrina, in aliis facundia, aut linguarum cognitio, praecipue commendatur, nec omnes, quod aiunt, omnia poſſunt, ita, quamuis GEIERO noſtro nihil eorum benignior natura negaſſet, quae Theologum reddunt vsquequaque conſummatum, hoc tamen creditum eſt in eo ſingulare, prorſusque eximium,

mium, quod rebus ſingulis, quae ad explicandas ſacras literas requiruntur, ita fuerit inſtructus, vt plane ad ἐξήγησιν natus factusque eſſe uideretur. Et, ſi Sileſiis obſtricta eſt Philuraea noſtra, quod primus ex ea natione Rector, IOANNES OTTO MVNSTERBERGIVS, facultates ſuas pleraſque omnes Collegiatis, quos uocant, Collegii B. Uirginis, et adoleſcentibus ſtudioſis, legauit, habebunt uiciſſim Sileſii, quod GEIERO noſtro, qui Lipſiae natus fuit atque educatus, acceptum referant, cuius quippe conſiliis effectum eſt, vt Sereniſſimus Elector, IOANNES GEORGIVS II, pientiſſimum Caeſarem, LEOPOLDVM, miſſis legationibus expugnaret, quo ſancta religio, quae, mortuo vltimo Piaſtorum Principe in Ducatu Lignicenſi, Brigenſi, et UUolauienſi, tantum non ſepelienda erat, per complures annos ſarta tectaque conſeruaretur. Quanta enim fuerit huius uiri apud optimum Principem auctoritas, et publice conſtat, et ego e mutuis vtriusque Epiſtolis, quae hodie in doctiſſimi Nepotis, Collegae mei longe ſuauiſſimi, manibus ſunt, non ſine maxima animi delectatione cognoui. Sed

ad reliquos propero, in quibus CHRISTIANVS, et SAMVEL, LANGII, Pater et Filius, occurrunt, qui, tametſi ſcriptis in lucem editis famam nullam quaeſiuerint, inter principes tamen ſui temporis Theologos, doctiſſimosque et diſertiſſimos uiros, iure meritoque numerati ſunt. Nec GEORGIVM MOEBIVM omiſerim, qui, ſi non aliis, quae reliquit, ſcriptis excellentisſimis, certe edito *de Oraculorum ethnicorum origine, contra Antonium van Dale*, Opere, erudito oppido, atque eleganti, nomen apud exteros quoque, laudemque non exiguam, conſecutus eſt, et praeterea patriae ſuae, hoc eſt, Martisburgenſium, res geſtas notatu digniores diligenter conſignauit, quae, cum plurima contineant, in quibus BROTVFFIVS feliciter emendatur, in Capituli Martisburgenſis tabulario curatisſime hodie cuſtodiuntur. Sed inprimis absque praeconio transmittere nequeo Triumuiros, in diuinis non minus, quam humanis, artibus clarisſimos, RAPPOLTVM, SCHERZERVM, et ALBERTI, quorum praeceptis atque inſtitutione plerique profecerunt, qui uel Theologiam, uel Philoſophiam magno plauſu iuuenumque ſtudioſorum concurſu

hoc

hoc tempore apud nos profitentur. FRIDERICVM RAPPOLTVM primo nominabam, qui, vt in Poeſi ita excelluit, vt nemo eſſet Poetarum ueterum, quem non exprimeret feliciſſime, nemo recentiorum, quem non longiſſime ſuperaret, ita Philologus quoque fuit incomparabilis, et procul omni dubio in diuinis quoque eximia omnia praeſtiturus erat, (quanquam praeſtitit haud uulgaria,) ſi eum citius ex inferiori ad ſuperiorem cathedram euocari contigiſſet. Subtiliſſimus Philoſophus IOANNES ADAMVS SCHERZERVS fuit, ſed et Theologus perſpicaciſſimus, qui tanta uirtute acerrimos Eccleſiae hoſtes, KEDDIVM, HOLTERVM, SCHILLERVM, DORFFELIVM, SCHEFFLERVM, BELLARMINVM, tum Caluinianos inprimis, et Socinianos, oppugnauit, vt malleus haereticorum iure optimo dicendus uideatur. De ALBERTO II, Imperatore, memorant, quod nunquam hilarior alacriorque fuerit uiſus, quam cum pugnam cum hoſte ingrederetur; et SCHERZERVS quoque noſter, quoties conſcendit cathedram, totus gaudio exultare uiſus, et, cum ad pugnam claſſicum caneretur, tanta celeritate aduerſa-

 rium

rium vndique adortus eſt, vt eum vno plerumque ictu proſtrauerit atque peſſum dederit. Denique quid de UALENTINO ALBERTI dicam, Philoſopho, Oratore, Poeta, Theologo quoque, excellentiſſimo. Hunc uirum, cui me ipſum quoque plurima debere profiteor, prolixiſſimis ad coelum laudibus extollerem, niſi Ueſtra, Auditores, praeſentia ſtudere me breuitati iuberet. Et in omnium quidem manibus uerſatur, vt cetera non attingam, elegantiſſimus eius libellus *de eo, quod Religionum intereſt*, e quo ſummi uiri ingenium, doctrinam, prudentiam, facile vnusquisque, uelut ex vngue leonem, cognouerit. Reſtant IO. BENEDICTVS CARPZOUIVS, GEORGIVS LEHMANNVS, et GOTTLOB FRIDERICVS SELIGMANNVS, quorum ille animo uirili ac forti, hi aequanimitate, et modeſtia, omnes ſui temporis Theologos ſuperabant. Ille in oratione potens, acutus, ſonorus, fuit, hi paucis libris, in lucem editis, illuſtres; omnes uero de Eccleſia Dei immortaliter meriti. Sed hactenus plura ferme de Theologis dixi, quam temporis huius patitur anguſtia. Quare, de Iureconſultis, Medicis, et reliquis, ſtrictius ediſſerendum

dum, mihi uideo. Non morabor quidem ex ampliſſimo Iureconſultorum ordine illos, qui ſub ipſis Academiae initiis floruerunt, in quibus primo vtique loco nominandus foret IACOBVS RADEVITIVS, de quo, cum in Italia ſupremos in vtroque Iure honores cum PANORMITANO, celeberrimo uiro, capeſſeret, non uane in publica Panegyri dixit, quisquis dixit, *duo tum lumina accenſa Italis aeque, ac Germanis, fuiſſe.* Nam, vt PANORMITANVS magnum inter Italos nomen conſecutus eſt, ita inter Germanos quoque RADEVITIVS parem ſuo tempore habuit neminem, tantamque de ſe opinionem concitauit, vt ipſe FRIDERICVS BELLICOSVS, eius potiſſimum ingenio atque conſiliis Electoralem dignitatem a SIGISMVNDO Imperatore ſe conſecutum, fateretur. Taceo pariter THEODORVM A BVRCKSDORFF, qui deinde Antiſtes Numburgenſis, et ARNOLDVM UUESTPHALVM, qui, poſt maximas in Septentrione lites ſua auctoritate compoſitas, Epiſcopus Lubecenſis conſtitutus eſt. Celebratur uero inter Iureconſultos clariſſima inprimis ſtirps PISTORIORVM, e quibus SIMON, cum a praeceptore ſuo, IA-

SONE MAYNO, frequentius audiuiſſet uerba illa: *Calamus eſt, qui facit Iureconſultum*, ad ſcribendum potiſſimum animum applicuit, moxque ob prudentiam, probitatem, doctrinam inſignem, ingenium autem tantum, quantum id conuenit exiſtimari, quod ſummorum Iureconſultorum ingeniis expetitum fuit, GEORGIO, Duci, commendatus, Profeſſoris primum munus in hac Academia, poſtea et Cancellarii in aula Principis ſupremam dignitatem, omnium conſenſu et ſuffragiis, accepit. Quem uirum, rebus humanis, aulae non minus, quam Academiae, luctu, ereptum, dubium fuit, vtrum, quae reliquit, Conſilia et Reſponſa, an filii, HARTMANNVS et MODESTINVS, quorum alterum in ſcientia Iuris parem, alterum tantum non ſuperiorem, habuit, reddiderint magis immortalem. Clarum quoque ſub auſpicium ſuperioris Seculi LEOPOLDI HACKELMANNI nomen fuit, cuius Quaeſtiones Iuris Ciuilis, Pontificii, Feudalis, et Saxonici, proſtant ſatis luculentae et elegantes. Nec minus clarus ſucceſſor eius fuit, SIGISMVNDVS FINKELTHVSIVS, qui, cum ad Iura haud perfunctoriam literarum Graecarum ſcientiam attuliſſet, (primus

mus enim in hac Academia theſes περὶ ἀθανασίας τῆς ψυχῆς, Graece conſcriptas, publico examini exponere auſus eſt,) in vtriusque Iuris ſtudio feliciſſime progreſſus, praeter *Obſeruationes practicas*, et *Controuerſias Feudales*, elucubratisſimum *de Iure Patronatus* libellum reliquit. Maior tamen his, vt nominis celebritate, ita doctrina atque eruditione, BENEDICTVS CARPZOUIVS fuit, qui, ſiue diuina, ſiue humana, iura tractaret, incredibilem ſui admirationem apud omnes concitauit. Saxonum certe iura tanta grauitate explicauit, vt nulla ſint in vniuerſa Saxonia noſtra Dicaſteria, nulla Iureconſultorum Collegia, in quibus ad CARPZOUIVM, tanquam ad oraculum quoddam et tribunal, continuo non recurratur. Sed nec BENEDICTVS hic poſtremus ex inclyta CARPZOUIORVM gente Iureconſultorum Lipſienſium ordinem nobilitauit: quandoquidem uidit et Academia, et mirata eſt, AVGVSTI BENEDICTI in dicendis ſententiis dexteritatem atque prudentiam. Nec nullum plane AMADEI ECKOLTI nomen fuit, cuius compendiariam Pandectarum Tractationem dignam inprimis putauit ſummus apud nos Iureconſultus, BARTHO-

LOMAE-

LOMAEVS LEONARDVS SVENDENDOERFFERVS, quam luculento Commentario illuſtraret. Et de vtroque quidem SVENDENDOERFFERO, patre et filio, cum multa dici poſſint, tum illud praecipue memorandum, quod in conſiliis promti, in decretis ferendis graues et circumſpecti, fuerint, longoque rerum vſu edocti, nihil in omni iure perplexum, nihil inexpeditum, intricatumque, reliquerint. De IACOBO BORNIO, quanto uiro! dicere non audeo, cum praeclara eius facta, quibus nominis immortalitatem conſecutus eſt, laudibus meis longe ſint ſuperiora. Et facile eum multis laudum praeconiis extollere ſuperſedeo, quem non Academia modo, Senatus, Ciuitas, ſed ipſa etiam Aula, quid? vniuerſa Saxonia, grauiſſime luxit. Sed uel centum praeterea enumerare poſſem uiros Iuris ſcientiſſimos, qui, quamuis ordini Profeſſorio adſcripti non fuere, Philuraeam noſtram partim conſiliis, partim editis in lucem doctiſſimis Commentariis, magnopere illuſtrarunt. Duos e multis nomino, IOANNEM PHILIPPI, aureo *de Subhaſtationibus* Opere, pluribusque ſcriptis aliis, quae ad vſum inpri-

mis

mis fori eleganter accommodauit, clariſſimum, et FRIDERICVM BRVMMERVM, qui literas elegantiores cum Iuris ſcientia feliciſſimo connubio coniunxit, quod neminem latere poteſt, cui ea, quae *de Scabinis*, et *ad Legem Cinciam*, ingenioſiſſime commentatus eſt, familiarius innotuere. Et hunc quidem BRVMMERVM, cum in Gallia iter faceret, ignobili flumine ſuffocatum, rebusque mortalibus in ipſo aetatis flore ſubito ereptum, ecquis, paullo literis fauentior, non doleat uehementer, atque ingemiſcat? Nec defuere porro Lipſiae Aeſculapii. Quoniam uero poſtremis hiſce annis immutata et propemodum conuerſa fuit medendi ratio, tot ſecretioribus naturae meatibus per microſcopia, quae ueteribus minus innotuere, feliciter detectis, nouisque factis experimentis, quibus haec ars magno cum fructu hodie excolitur, non parum certe obſcurata nunc uidetur eorum, quos ſuperior aetas tulit, memoria. Quare, de GLODENSTEDIIS, et MELLERSTADIIS, multis ediſſerere, ſuperuacaneum fuerit. Magnus fuit ſuperiori Seculo IOANNES MICHAEL, nec habuit forte Lipſia in illa aetate, qui Chymica re-

media uel inueniret felicius, uel aegris maiori fructu propinaret. Nec ignobile PAVLI AMMANNI nomen fuit, qui, deſertis oportune ueterum Botanicorum caſtris, ad MORISONII, aliorumque, exemplum plantarum cognitionem ex earum fructificatione ipſaque natura pulcre atque eleganter deriuauit. Excellentisſimum fuit IOANNIS FRIDERICI ORTLOBII ingenium, quod uel ex ſola *partium et oeconomiae hominis*, quam dedit, *Hiſtoria* abunde cognoſcitur. Quid porro ANDREAM PETERMANNVM memorem? Cuius in cadauerum ſectione dexteritatem ſingularem, in ratiociniis formandis ſubtilitatem, miramque ad conficiendum aduerſarium ingenii celeritatem, ſaepius mirati ſumus. Quid CHRISTIANVM IOANNEM LANGIVM? Quem etſi publice Lipſiae profiteri fata haud paterentur, nemo tamen praeter illum vniuerſam medendi artem ordinatius diſtinctiusque tradidit, vt multum vtique Magnifico et Uenerando Capiti noſtro, AVGVSTO QVIRINO RIVINO, Medicorum filii uel eo inprimis nomine debeant, quod Opera eius, aeternitate dignisſima, in publicam lucem protraxit. Quid

de

de IOANNE CHRISTIANO SCHAMBERGERO dicam? Qui, ſi, ante diem his terris ſubductus, minus ſcriptis, uita certe reliqua, atque adeo ipſa etiam morte, illuſtris fuit. Summa uiri in inueſtigandis naturae abditis induſtria, nunquam defeſſum ſtudium, fuit: quae ex reconditis maxime huius terrae noſtrae ſecesſibus vt educeret, et ex prouinciis, toto orbe a nobis remotis, arceſſeret, non labori, non ſumtibus, pepercit. Priuatam fere ſuperabant fortunam naturae opes, quas in theſauris ſuis mira arte ac ordine iucundisſimo digeſſerat, terrae, mineralia, lapides, metalla, conchae, animalia rariora, partes animalium, atque hominis inprimis internae, noua ſeculi noſtri arte conſeruatae. Quid inſtrumentorum, ad rerum naturalium ſtudium ipſamque Medicam et Chymicam artem, ſpectantium, uaſtisſimum dicam apparatum? Quid Bibliothecam inſtructisſimam? Nihil omnino SCHAMBERGERO dixeris defuiſſe, niſi uita defeciſſet, et otium, ad immortalia nomini ſuo monimenta condenda. At uel ita tamen etiam illius nomen ac memoria florebunt, donec afflictis Profeſſorum uiduis annuae e publi-

publico aerario pecuniae porrigentur: quam rem ille ſolus tentauit, promouit, perfecit; donec et ſtabit ſplendidisſimum Theatrum Anatomicum, quod eo potiſſimum auctore magnifice exſtructum, imaginibus et ſubſelliis exornatum, ſceletisque, et rebus curioſis aliis, auctum fuit; denique donec Academia noſtra lugebit in ipſo Rectoratus grauisſimo munere exſtinctos. Sed primus hoc loco nominandus mihi fuit MICHAEL ETTMVLLERVS, immortale Academiae huius et aeternum decus. Enimuero uir optimus non, niſi prouectiore aetate, libros, diligenter expolitos, edere, atque interim ea comparare, decreuerat, quae experientia diuturnior, pluriumque Auctorum lectio, ſubminiſtrarent; quod etſi ipſe praeſtare haud potuit, morte quippe praeuentus, quam Chymicis experimentis, minus ſuccedentibus, maturatam, nonnulli credidere, dici tamen non poteſt, quanta auiditate a iuſtis rerum harum aeſtimatoribus excepta fuerint, cruda licet et extemporanea, eius Opera, quae paullo poſt uiri obitum diſcipuli eius in Belgio, uariisque Germaniae oppidis, euulgarunt, a Filio demum aemulo maiori cura ex ipſis Autoris

ſchedis

ſchedis recuſa. Haec et admirantur Itali, et Angli in epitomen redegere, Galli uero, qui alto ſupercilio deſpicere ſolent, quicquid Germani pariunt eximium, vltro huic uiro ſupremum in Medicina principatum tribuunt, cunctaque ad eius praecepta, uelut ad Lydium lapidem, referunt. Extollant Theologi ſuos HOEPFNEROS, GEIEROS, SELIGMANNOS, Iureconſulti ſuos CARPZOUIOS, SUENDENDOERFEROS, BORNIOS, vnus inter Medicos noſtros ETTMVLLERVS tantum huic ordini nomen ac decus apud omnes comparauit, vt is demum artem medendi, eiusque uera atque genuina praecepta, recte edoctus exiſtimetur, qui ea ab ETTMVLLERO, uel diſcipulis eius, addidiciſſet. Ad eos uenio, quos Philoſophos uulgo uocant, qui tum in iis ſtudiis, quae ab humanitate nomen acceperunt, tum in Eloquentia, ac genuina concludendi ratione, Moralique, aut Phyſica diſciplina, artibus item Mathematicis, Hiſtoria denique, et Poeſi, excelluerunt. Neque uero licet e prima aetate CONRADVM CELTEM, HERMANNVM BVSCHIVM, IOANNEM RHAGIVM AESTICAMPIANVM, UITVM UUERLERVM,

LERVM, GREGORIVM HELTVM, IOANNEM MVSLERVM, GEORGIVM SODVM, LEONARDVM BADEHORNVM, IOANNEM STVRNVM, RICARDVM CROCVM, inde e Britannia in Athenas noſtras delatum, (de quo uiro hoc vnum memorare ſatis fuerit, quod magni IOACHIMI CAMERARII praeceptor exſtitit,) reliquosque de humanioribus literis egregie meritos, arceſſere, de quibus alia occaſione (*) pluribus egimus. Nec nullo tamen cum elogio praetermittendus PETRVS MOSELLANVS, qui, ſiue Graecos, ſiue Romanos, ſcriptores attigit, omne tulit punctum, barbariemque noſtris oris penitus expulit, vt, cum nemo antehac Graeca, pauciſſimi Latina ſatis curarent, in MOSELLANI ſcholis ter centum quotidie Auditores numerarentur, qui harum literarum amorem ad alios deinde latiſſime propagarunt. Huic iterum hic comitem adiungo CASPARVM BOERNERVM, de quo teſtatur GEORGIVS FABRICIVS, uir elegantiſſimus, quod is ſolus fere Academiae onus,

(*) In Diſſert. noſtra *de Graecarum et Latinarum literarum inſtauratoribus in Miſnia.*

onus, et ſpem literarum, Lipſiae ſuo tempore ſuſtinuerit. Nemo certe a condita Academia inuentus eſt, cui uel maior eſſet ad promouenda publica eius commoda animus, uel ſucceſſus felicior. Is enim Academiae Templum, Theatrum, Bibliothecam, Dicaſterium, hortos, ſyluam, ſtipendia, Theologis Auditoria, Profeſſoribus habitationes, Studioſis triclinium, comparauit. Nam, cum primum intellexiſſet, e uita exceſſiſſe, qui vnus in D. Pauli Collegio e Monachorum ordine hactenus ſuperfuerat, nihil cunctandum ratus, nec communicato cum quoquam, ne prodi poſſet, conſilio, pedibus hinc (ecquis credat?) ad Electorem, MAVRITIVM, ſe confert, et precibus atque ſupplicationibus facile expugnat pientiſſimum Principem, vt ſplendidum D. Pauli Collegium vna cum Templo et reliquis, nullis uel iuribus, uel acceſſionibus aliis, exceptis, Academiae noſtrae transſcriberetur. Vnus quoque hic ante alios commemorandus nobis eſt IOACHIMVS CAMERARIVS, uir in omni diſciplinarum genere magnus uere et excelſus, cui eruditorum nemo in illa aetate conferri, nedum anteferri, iure

K 2 ualeat.

ualeat. Huic quantum et Lipſia, et Germania vniuerſa, ſit obſtricta, quod doctrinam, et bonas literas, ueluti poſtliminio, reduxerit, vsque adeo perſpectum omnibus atque exploratum eſt, vt, qui ſola uirorum doctorum, quibus CAMERARIVM cumulatiſſime ornarunt, elogia enumerare auſit, nullum ſit dicendi finem inuenturus. Idem enim illi quoque, quod ſummis ſolet atque excellentisſimis uiris, accidit, ſcilicet vt nomen eius multo apud exteros, quam ſuos, illuſtrius eſſet, dumque apud nos aegre inueniretur, qui docenti aures accommodaret, et propemodum ignorarentur ſcripta eius, uel paucos certe haberent Lectores, a Belgis tamen, Gallis, Anglis praeſertim, aliisque gentibus exteris, auidisſime conquirerentur. Nec praetermittendi hoc loco doctiſſimi Duumuiri, CASPARVS BARTHIVS, et THOMAS REINESIVS, qui, cum Profeſſorio Ordini neutiquam eſſent adſcripti, Lipſiam tamen noſtram magnopere illuſtrarunt. Quantum enim BARTHIO Latium, quantum Graecia REINESIO debeat, illius *Aduerſaria*, quorum alterum Uolumen tanquam pretioſisſimum theſaurum,

rum, hactenus ineditum, cuſtodit generoſisſima Einſideliana domus, et huius *Variae Lectiones*, literae item ad uiros eruditos ſcriptae, et *Eponimologium*, quod, diu eruditorum uotis expetitum, nunc tandem proditurum ſperamus, abunde teſtantur. Nec nullum inter Philologos nomen ANDREAS RIUINUS habuit, amplisſimae gentis ſator, quippe qui in iis artibus, quas humaniores uocamus, aut non tulit ſua aetate, aut non inuenit, parem. Atque his merito addimus IACOBUM THOMASIUM, uirum nunquam ſatis eruditis lugendum, niſi luctum noſtrum quodammodo leuaret Filiorum, quos poſt ſe reliquit, celeberrimorum par, CHRISTIANUS, et GODOFREDUS, quorum dum Themidos alter, alter Hygieae inprimis, ſacra curat, vterque non minus elegantiores literas ingenti ſtudio promouet, ac tuetur. Et magnus erat IACOBUS, quamuis praeter ea, quae de mundi exuſtione Pythagorica conſcripſit, reliquiſſet omnino nihil; nunc, cum Moralem diſciplinam omnem, et quicquid Philoſophiae nomine complectimur, explicauerit luculentiſſime, et rem literariam multis ele-

 gantiſ-

gantiſſimi argumenti Diſſertationibus, Orationibusque, et Praefationibus, exornauerit, inter principes certe uiros, quibus, non dicam Lipſia, ſed orbis literatus vniuerſus, plurimum debet, connumerandus erit. Inter Mathematicos, vt vnicum nominem, clariſſimus fuit quondam GEORGIVS IOACHIMVS RHETICVS, COPERNICI diſcipulus, qui et *Ephemerides* edidit, et *magnum Canonem* conſtruxit, demumque, Lipſia exul, Caſſouiae inter amplexus ſummi Mathematici, VALENTINI OTHONIS, ſexagenario maior deceſſit; id quod ideo hoc loco monendum exiſtimaui, quoniam plures eundem, de Martis motu aſſequendo deſperantem, a malo genio, quem ab ipſo conſultum ferunt, in turbinem actum, et, alliſo ad parietem capite, enectum, abſurde finxerunt. Nec Hiſtorici nobis defuere, in quibus primo loco nominandus MATTHAEVS DRESSERVS, qui, cum ex MELANCHTHONIS ſchola prodiiſſet, non tantum Graecas et Latinas literas, uerum et Eloquentiam, et Hiſtorias, multo ſtudio explicauit, et e Salana Academia, vbi in locum magni LIPSII ſucceſſerat, Lipſiam euocatus, haud exiguum lumen in-

tulit

tulit Academiae, dignusque ante alios fuit habitus, cui Saxonicae Hiſtoriae pertexendae prouincia, conſtituto annuo ſtipendio, demandaretur. Vt porro de FRIDERICHO nihil addamus, quem luculenter conſignaſſe Academiae noſtrae fata, ſupra memorauimus, inter praecipuos certe CHRISTIANVS FRIDERICVS FRANCKENSTEINIVS eminet, quem uirum eruditiſſimum, eodem cum CAMERARIO fato vſum, ſolum ſaepe in Auditorio publico aliquamdiu ſpatiatum noſtis, Auditores, dum vnus poſtremo, aut alter, lento gradu aduentans, aurem illi attentam patienter praeberet. At eum πολιτικότατον, et in omni Hiſtoria uerſatiſſimum, exſtitiſſe, ſi nihil aliud, pulcerrimae ad *Priolum* Annotationes produnt, quibus vtique oſtendit, quantum ab illo promittere ſibi hiſtoriarum cupidi potuiſſent, ſi uel digniorem ſuis lucubrationibus ſcriptorem elegiſſet, uel ipſe ad ſcribendam rerum geſtarum Hiſtoriam animum applicuiſſet. Nec tacendus SETHVS CALVISIVS, quem primum in Chronologia nugari deſiiſſe, IOSEPHVS SCALIGER, ISAACVS CASAVBONVS, quid? optimus quis-

que, et in re Chronologica uerſatiſſimus, teſtatur. At hunc, poſtquam Profeſſionis publicae munus, ſemel atque iterum ab exteris oblatum, modeſte recuſaſſet, tenui ſorte contentum, apud nos omnem fere aetatem contriuiſſe, ecquis neſcit? Poetas deſideratis, Auditores? Vt CONRADVM BAVARVM, aliosque ſuperiorum temporum Poetas excellentiſſimos, taceam, quis in carmine heroico ſublimior FRIDERICO RAPPOLTO, quis in elegia lenior, aut in epigrammate acutior, IOACHIMO FELLERO fuit? Sed, dum FELLERVM hunc memoro, cuius ſacros cineres nunquam uenerari deſiſtam, inter laudes eius omittere nequeo, quod, cum Berolinum, mortuo FRIDERICO UUILHELMO Magno, delatus, et ſtans pede in vno, extemporaneis, ſed elegantiſſimis, Epigrammatibus luſiſſet, omnium in ſe aures oculosque conuerterit, et a munificentisſimo FRIDERICO auguſto et fere Regio munere donatus, ad nos redierit. Romano Poetae Graecum, amico amicum coniunctisſimum, IOANNEM GODOFREDVM HERRICHIVM, iungo, qui, ſiue THEOCRITVM, ſiue ANACREONTEM, aut PINDARVM, imita-

imitari conſtituiſſet, cunctas Ueneres Graecis ſurripere uiſus eſt. Gaudeat UUitteberga LAVRENTIO RHODOMANNO, quo etſi maior illa aetate in Poeſi Graeca fuit nemo, eius tamen fama intra Germaniae fines inprimis ſeſe continuit: at noſtrum CYRILLVM (ita enim nomine quoque Graeco compellari amabat,) Belgae tanti faciebant, vt eius Anacreonticum de Thea, aliaque mellitisſima poemata, certatim recuderent; Itali uero de deprauatis ueterum lapidum Graecorum fragmentis hunc, tanquam oraculum quoddam, conſulebant, quae is felicisſime omnium admiratione reſtituit.(*) Uenio ad uirum incomparabilem, FRIDERICVM BENEDICTVM CARPZOUIVM, Poetam, Oratorem, Polyhiſtorem, omni laude dignum, ſed omni maiorem. Tanta enim illius fuit eruditio, vt, ſiue ueteres Scriptores Graecos, Latinosue, interpretaretur, ſiue ad TIBVLLI, quem plurimum amabat, ingenium elegiam componeret, ſiue epiſtolam ſcriberet ad amicos literatos, quos habebat in omni Europa praecipuos,

(*) Uide *Acta Erud. A. 1696 p. 482*, *A. 1698 p. 203*, et *Suppl. T. IV p. 92*.

nemo ei uel commentatione, uel carmine, uel epiſtola, anteponendus eſſet. Sed, quod mirum, tanta praeterea eius fuit modeſtia, vt, quamuis, ſaepisſime ab eruditis conſultus, multorum lucubrationes conſiliis, atque opera ipſa, egregie promoueret, uix vnquam tamen adduci poſſet, vt nomen ſuum publice proſtare pateretur, tantum abeſt, vt de edendis ſpisſis uoluminibus multum laboraret, ſciolos illos, quibus manus et digiti pruriunt, nunquam non ſerio deteſtatus. Id uero praecipuum plane habuit, et quaſi proprium, quod, Mercurio Muſis conciliato, primus in Saxonia commercia literaria inſtituit, vnde de his, quae exteri pararent aut agerent, accurate edoctus, ad noſtros diligenter retulit, neminemque in Aula, Academia, Republica, paullo doctiorem ignorare paſſus eſt, ſi quis in Republica literaria eximium aliquid ac laude dignum eſſet conatus. Sed, dum CARPZOUII laudes memoro, diu anxius cogitaui, vtrum, me Parentis quoque mei, OTTONIS, quem acerba mors abhinc ferme triennio abſtulit, mentionem facere, conſultum eſſet. Quamuis enim non ignorarem, complures ita exiſtimare, quaſi ille non

non omnino nihil ad ornandas bonas literas contulerit, metuebam tamen, neque id fruſtra forte, ne aliqui me arrogantiae, aut leuitatis ad minimum, arguerent, qui, me ideo Patris mei meminiſſe hoc loco, putabunt, quod ad me ſperarem aliquid redundaturum earum laudum, quae illi iure meritoque ab omnibus tribuuntur. At, quoniam in hac ſolenni Panegyri ea inprimis praetermittere nequaquam decet, quae ad famam ac gloriam Academiae noſtrae pertinent, non patiemini, vt arbitror, Auditores, vt intactum plane relinquam B. Parentem meum, qui illam, quantum in ipſo fuit, haud parum prouexit. Neque enim fraudandus eſt hac laude, quod primus is Germanorum de edendis Ephemeridibus eruditis conſilia ceperit, ſuſceptisque oportune in Belgium Angliamque itineribus, et praeterea eruditisſimis quibusque per Galliam, Italiam, ac Germaniam, uiris per literas conciliatis, exoptatisſimum multorum uotis *Actorum Eruditorum* opus, non interrupto per annos ſex et uiginti labore, ſummaque et asſidua cura, in publicum emiſit. Equidem ad eius laboris ſocietatem non illos modo, qui Lipſiae, uerum et qui in

uicinis

uicinis locis, florerent, inuitabat; quo factum, vt, cum pars operis haud contemnenda SECKENDORFIO, CELLARIO, TENTZELIO, ZSCHIRNHAVSIO, KNORRIO, aliisque ſummis uiris, extra Lipſiam uiuentibus, debeatur, famae tamen quicquid inde ac gloriae ducitur, id ad Lipſiam vnam, e qua *Acta* prodeunt, omnino redundet. Etſi enim Noſtri aemulatione tot interea Diaria, tot Bibliothecae librorum nouorum, tot Noua, tot Excerpta literaria, ſiue Latino, ſiue Etruſco, Gallico, Belgico, Anglico, Germanico, ſermone prodierint, quorum quaedam habent ſuos amatores, nemo tamen inficiabitur, Lipſienſium Diarium orbis eruditi vniuerſi plauſum hactenus praecipue meruiſſe, vt uel hoc nomine ſuperius Seculum Academiae noſtrae auſpicatiſſimum ſit dicendum. Hos ergo, tantos, tam elegantes, tamque eruditos, uiros proprio et haereditario quodam iure Lipſia noſtra ſibi uindicat, vt ad eius felicitatem nihil ſupereſſe uideatur, quam vt a Deo immortali, omnis bonitatis perenni fonte, enixiſſimis precibus contendamus, vt immortales Lipſiae eſſe iubeat Theologos pios, Iureconſultos prudentes,

Medi-

Medicos peritos, uiros denique in omni doctrinarum genere exercitatiſſimos. Seruet inprimis ſupremum Numen Potentisſimum Poloniarum Regem, FRIDERICVM AVGVSTVM, Dominum noſtrum longe clementiſſimum, et hoſtibus, quos incredibili ui, et ſtupendo ad poſteros exemplo, proſtrauit, conculcauit, ſuperiorem, diuina porro gratia tueatur, vt, quemadmodum de AVGVSTO, Imperatore, relatum legimus, quod, quam ſtramineam inuenerat vrbem, Romam, lapideam reliquerit, ita Lipſiam noſtram, quam lapideam conſpicimus, auream quondam, hoc eſt, feliciſſimam, efficiat. Seruet idem Numen cum Sereniſſima Matre, atque Auia, Sereniſſimum Principem iuuentutis, patriarum uirtutum, vt nominis, et ditionum, ex aſſe haeredem, ſpem noſtram, et decus, et meliorum literarum grande praeſidium. Seruet Sereniſſimos Saxoniae Duces, almae Academiae Nutritios, Dominos noſtros clementisſimos, eosque diutisſime in his terris, magno Academiae commodo, ſuperſtites eſſe iubeat. Floreat Saxonia! Floreat Lipſia, Academia, Senatus, Ciuitas! Floreant! Uigeant!

ORATIO VII,

QVAE PRIMA EST DE CHARLATANERIA ERVDITORVM. (*)

Magnifice Academiae Rector,
Reuerendiſſimi Capituli Martisburgenſis Legate ſplendidiſſime,
Spectatiſſime Domine Procancellarie,
Auditores ceteri, Uiri grauiſſimi, Iuuenes optimi.

Uetuſtiſſima inter Graecos, Romanosque, ac gentes alias, conſuetudo fuit, Auditores, vt omnium oculis repraeſentarentur in theatro, quaecunque ſiue-ſuperiorum temporum memoria, ſiue praeſens aetas, et communis hominum uiuendi ratio, laeta aut triſtia ſuppeditaret. Quae cum initio ideo inſtituta eſſent, vt, quemadmodum ſermone et ſcriptis, ita et geſtu ipſo, uelut in uiua quadam rerum huma-

(*) Hanc publice habuit A. 1713 d. 9 Febr. in ſolenni Magiſtrorum Panegyri.

manarum tabula, ad uirtutem amplectendam inuitarentur mortales, ſucceſſu temporis, cum lucri ingens cupiditas acceſſiſſet, ita degenerarunt, vt non aeque nunc mores populi ſpectent mimi, et fabularum actores, uerum id curent tantummodo, qua ratione riſus, et cachinnos, ſtrepitusque, ac plauſus, e ſpectatoribus elicere, aut, ſi triſtior fuerit materia, molliores animi affectus ciere, oculisque lacrymas excutere, ualeant. Cumque adeo e plauſu populi de uirtute ac pulcritudine dramatis iudicium uulgo fieri conſueuerit, ita, vt unius ſaepe, uel paucorum ſpectatorum, plauſus vniuerſa multitudo inſano pruritu ſequeretur, quidam eo proceſſerunt, vt aere conduxerint, qui frequenter applauderent actoribus in ſcena, aliisque exemplo ſuo praeirent. Vti enim optima quandoque dramata infelicisſimam experta ſortem, ac quouis ſubſannationum genere exagitata ſunt et exploſa, ita non raro uidimus, uel inſulſisſimas fabulas ſuos habuiſſe admiratores, plauſoresque, vt exclamandum vtique fuerit cum HORATIO:

Inſanos oculos et gaudia uana!

Ecquis ineptior, uel indoctior, fuit IOANNE

DE

DE LA SERRE, Gallo? (*) At, ille quoties de THOMA MORO Tragoediam repraeſentaret, praeſente RICHELIO, Cardinale, lacrymae huic Heroi ex oculis cecidere, quaſi puero. Idem uero RICHELIVS, quanti uir ingenii, quam acutus, et perſpicax! in PETRI CORNELII, ingenioſiſſimi Poetae, Tragoedia, *le Cid* dicta, quae alios omnes ita faſcinabat, vt publico iudicio cunctis ueterum, et recentiorum, Tragoediis longiſſime anteponeretur, nihil ſe uidere, fatebatur, quod magnopere placeret, auctorque erat Academiae Francicae, vt Tragoediam acri cenſurae ſubiiceret: (**) quanquam pulcre cauſam ſuam egit CORNELIVS, ſuperſedere ſe poſſe, ratus, apologia pro eo dramate conſcribenda, quod, ſi uel uiceſies repraeſentetur, uidiſſe neminem poeniteret. Etenim mira res eſt plauſus, et, vt in dramate perſiſtamus, difficulter admodum cognoſcitur, vtrum plus ualeat ad conciliandum plauſum ſpectati cuiusdam uiri, atque adeo ipſius Principis, auctoritas, an inconditae plebis iudicium et fauor. Meminiſtis, Audito-

(*) RYMER *of Tragedy p. 8 ſeq.*
(**) PELISSON *Hiſt. de l'Acad. Franc.*

ditores, quod MACROBIVS refert (*) de ſummo Principe, IVLIO CAESARE, eum, etſi maxime faueret LABERIO, cum PVBLIO SYRO in ſcena contendenti, quem nimirum quingentis millibus inuitauerat Romam, non potuiſſe tamen prohibere, quo minus populus fauorem in PVBLIVM uerteret, eoque his LABERIVM uerbis fuiſſe allocutum:

Fauente tibi me uictus es, Laberi, a Syro.

Nec ignorauit lepidisſimus Gallorum, MOLERIVS, (**) quantum etiam uulgo placuiſſe iuuet, quippe qui Comoedias ſuas, antequam producerentur in theatrum, pediſſequae praelegebat, et,quae minus illi arriderent, diligenter emendabat. Quanquam multum et ualuit aliquando ipſius Regis,LVDOVICI XIV,iudicium. Nam,cum idem MOLERIVS(***) anno ſuperioris Seculi ſeptuageſimo Drama, quod *Ciuem Nobilem* uocat, (****) prima uice exhibuiſſet in

(*) *Saturn. L. II Cap. 7.*
(**) *La Vie de Moliere p. 68.*
(***) Ib. *pag. 166 ſeq.*
(****) *Le Bourgeois Gentil-homme.*

in theatro, Rege tacente, plerique alii frigidius iudicabant, at, ſimul atque Rex iterum repraeſentatum praeſtantiſſimum pronuntiaſſet, nemo erat, qui uelut ad nutum ipſius continuo non applauſerit ambabus manibus. Ita et e diuerſa parte vnius quandoque importunus iocus optimis Dramatibus nocuit: quod de *Coriolano*, Tragoedia exquiſitiſſima, ab Abbate Gallo, ABEILLE, paucis abhinc annis compoſita, conſtat. (*) Nam, cum is, qui perſonam induerat CORIOLANI, in hanc ſententiam ſororem eſſet allocutus: *Num meminiſti, Soror, Regis, Parentis quondam noſtri?* e turba ſpectantium neſcio quis feſtiuus homo exclamabat: *Per meam fidem, ſi non meminerit, nec ego ſatis memini;* ex quo tanta ſubito inter ſpectatores orta obmurmuratio, vt nunquam poſthac in ſcenam prodiret miſer CORIOLANVS, quin deriſiones omnium ac ſibilos in ſe prouocaret. Longus hic exſpatiandi campus foret, ſi per omnia ueterum et noſtri aeui theatra uagari liberet. Ipſe

AESCHY-

(*) PIEC. FVGIT. *d'Hiſt. et de Litt. A. 1704 P. III p. 544.*

ARSCHYLVS, uir magni ingenii,(*) cum Tragoedias populo dederit nonaginta, uix uicies octies, uel, vt alii aiunt, decies ter, uiciſſe memoratur, (**) ceſſitque is tandem SOPHOCLI, quamuis longe aetate iuniori, et indignabundus ad poſteritatis iudicium prouocans, relictis Athenis, in Siciliam emigrauit inglorius. (***) PINDARVS, quem ne imitari quidem quisquam poterat, teſte HORATIO, cum auditores Thebanos nactus eſſet indoctos, quinquies carmine ſe ſuperatum uidit a CORINNA, quam *porcam* uocabat, ad prouerbium, *ſus Mineruam*, alludens. (****) Et ſaepius conqueſtus eſt noſtra etiam aetate terſiſſimus inter Anglos Poeta, IOANNES DRYDENIVS, (*****) ea ipſa Dramata, quae uiris in hac arte exercitatiſſimis praelecta placuiſſent, poſtquam in ſcenam ducta fuiſſent, plauſores admodum paucos, uel nullos, inueniſſe. Nec deeſſent aliorum exempla, qui, cum leges theatri

(*) POPE-BLOVNDT *Cenſ. Erud. p. 5.*
(**) ATHEN. *L. VIII p. 374.*
(***) PLVT. in *Cim. p. 483.*
(****) AELIAN. *Uar. Hiſt. L. 13 Cap. 25.*
(*****) *Opp. P. I, p. 515, P. II p. 329.*

haberent perſpectisſimas, plauſum tamen extorquere ſpectatoribus nequaquàm potuerunt. Quod cum animaduerterent rudiores quidam Dramatum auctores, nihil prius aut antiquius habuerunt, quam vt riſum ſolicitarent, adeo, vt CASTELVETRVS, ſuo tempore ipſam Saluatoris noſtri ſanctisſimam pasſionem tam abſurde atque indecenter, teſtetur, Romae repraeſentatam, vt, qui ſpectarent, in liberrimos cachinnos effunderentur. (*) Quem Italorum morem imitati uidentur Germani noſtri, qui, nullas ſe conſequi laudes poſſe, credunt, niſi ſcurrilia frequenter immiſceant, quae infimae plebi ac faeci hominum riſum clamoresque excutiant, eoque moriones et geſticulatores immittunt in ſcenam, qui, quicquid inficetum, ſpurcumque, ac foedum, in buccam uenerit, impudentisſime effutiunt. Ita uero allici ſpectatorum numerum, quaeſtumque augeri, ac nomen comparari poſſe, arbitrantur, non ignari, quantum ſit hominum dementiorum, qui, cum decipi cupiant, dignisſimi ſunt, qui decipiantur. Sed quid moror

(*) RYMER *of Trag. p. 53.*

moror haec theatra, quae ad fallendos paucos, eosque inficetos, et ineptos, excitata ſunt? Ipſe orbis vniuerſus theatrum eſt, in quo hiſtrionum quodammodo partes ſibi ſumunt, qui famam, gloriamque, et communem mortalium plauſum, ſumma animi ſolicitudine ſectantur. De CAROLO PATINO memorant, quod, cum Baſileae apud Doctorem Medicum diuertens, ex eius forte filio, Medicinae Candidato, quaeſiuiſſet, quot partes tradantur Medicinae, isque e communi ſententia quatuor, *Phyſiologiam*, *Pathologiam*, *Semeioticam*, et *Therapeuticam*, enumeraſſet, addiderit ipſe quintam, quam omnium primam uocabat, *Charlataneriam* nempe, quam ſi quis ſatis non perdidiciſſet, eum Medici nomine prorſus iudicabat indignum. Nec inepte PATINVS cenſuit. Nam, vt agyrtas taceam, et circulatores, qui in pulpitis et theatris per fora, et compita, uiasque publicas, miſerae plebi imponunt, nugasque ac nubem pro Iunone uendunt, quotusquisque eſt hodie Medicorum, qui non κρατιστοχειρουργήματα ſua vbique iactet, uiuidos nimirum latices, olea incombuſta, hieras hermeticas, panaceiam, mumiam

 magne-

magneticam, aurum potabile, pulueres uipereos gemmatos, beſoardicos, theriacales eſſentias, tincturas, et id genus remedia alia ſexcenta, quae nouis nominibus, Arabicis dicam, an Abracadabracis, inuoluunt. Enimuero non in Medicis tantum quaeſiueris Charlataneriam, quin potius vbique ſe produnt inter eruditos, qui ſe Diis proximos eſſe arbitrantur, ſi plauſum, quem non minus, quam uitalem auram, ſtudioſe captant, fuerint conſecuti. Qua de re cum pauca uerba ad uos facere conſtituerim, Auditores, oro uos, quaeſoque, vt animis beneuolentisſimis linguisque faueatis.

Quemadmodum circulatores ſua plerumque priuilegia et diplomata iactare ſolent, titulosque adſciſcunt miros et portentoſos; ita in orbe erudito vniuerſo non pauci deprehenduntur, qui nouis honorum titulis decus praecipuum, ac famam, quaerunt. Nota ſunt in Hiſpania Archi-Coſmographorum, Archi-Hiſtoriographorum, Archi-Mathematicorum, nomina, quibus ſi qui fuerint a Rege decorati, ii demum in ſtudiis illis, in Hiſtoria, Matheſi, aliisque, principatum gerere exiſtimantur. Quis

Ita-

Italorum neſcit Academias, quae raris ac ridendis nominibus celebrari ſe geſtiunt, quales ſunt Argonautae, Seraphici, eleuati, inflammati, Olympici, Parthenici, Inthronati, tum et obſcuri, immaturi, infoecundi, obſtinati, offuſcati, otioſi, ſomnolenti, inhabiles, phantaſtici. Quin ipſa etiam nomina ex Italis aliqui mutare conſueuerunt, tempore inprimis PAVLI II, Pontificis, quo MAIORAGIVS, aliique, exemplo POMPONII LAETI, abiectis nominibus, quae noua ipſis uidebantur, uetera illa Romana reuocabant. (*) Sed, vt ad titulos redeamus, non ſunt tacendi hic duumuiri, IVLIVS CAESAR SCALIGER, et CASPARVS SCIOPPIVS. Ille enim, e Principum Ueronenſium DE SCALA ſanguine ſe ortum, reſponſis prudentum in Academiis pluribus ambitioſe corrogatis, docebat, Criticumque ſe, Poetam, Medicum, et Philoſophum, uenditabat: hic uero, nobili pariter proſapia iuratis teſtibus afferta, hoc uulgo elogio conſpiciebatur: *C. Scioppius, Patricius Romanus, Eques S. Petri, Conſiliarius Imperatoris, Regis Hiſpaniarum, et*

 Ar-

(*) NAVDE *Maſcurat p. 79, 83 ſeq.*

Archiducis Auſtriae, Comes Palatinus, et Comes de Claraualle. Praetermitto exempla eorum, qui, vt multo inferiores SCALIGERO, et SCIOPPIO, fuerunt doctrina, ita id vnice ſpectarunt, vt longam oſtentarent titulorum ſeriem, quod id plurimum ualere exiſtimarent ad conciliandam eruditionis opinionem. Et ſaepe vtique miratus ſum patrum noſtrorum ambitionem, quippe qui Illuſtrium, Excellentiſſimorum, Clariſſimorum, Spectabilium, compellationes, olim Principibus tantum, Regibusque, ac Senatoribus Romanis, conceſſas, in ſcholam transtulerunt. (*) Uideas hodie, vt loquitur Uir elegantis ingenii, (**) multos uocari uelle *Clariſſimos*, qui extra moenia ciuitatis prorſus ſunt incogniti; *Magnificos*, quos vrget res anguſta domi; *Conſultiſſimos*, quibus parum, aut nihil, conſilii; *Excellentiſſimos*, quos uel tyro antecelleret ſcientia. Enimuero, cum olim CAROLVS MAGNVS, Romanorum Imperator, in inſcriptione Libri, quem de *Imaginibus* contra Graecos ſcri-

(*) MABILLON *de Re Diplom. L. II*, SPANHEM. *de vſu Num. p. 605.*
(**) LILIENTHAL *de Mach. liter. p. 152.*

ſcripſiſſe traditur, *Uiri Excellentiſſimi*, et *Spectabilis*, elogio mactetur, ecquis eſt hodie inter Doctores vmbraticos, cui idem (quandoquidem vſus eſt uocabulorum tyrannus,) iure optimo maximo non competat: vt inſanire propemodum uideantur hoc tempore, qui apud nos, vt BVLLIALDVS quondam inter Polonos, Excellentiae compellationem non admiſerint. Quin et eo proceſſit ſub ipſis inſtauratae eruditionis initiis honorum cupiditas, ſeu titulomania, vt non deeſſent, qui BARTOLVM, Iureconſultum, uelut alterum cultioris orbis caput, inuictiſſimum uocarent. Taceo Scholaſticorum elogia, Doctoris Angelici, Seraphici, ſubtilis, illuminati, mirabilis, vniuerſalis, fundatiſſimi, reſolutiſſimi, quae totidem Scholae Doctoribus κατ' ἐξοχὴν fuere conceſſa. (*) Illud uero perridiculum, quod de M. IOANNE SEGERO, Poeta Laureato, et ludi oppidani UUittebergenſis Rectore, a uiris fide dignis relatum accepi. Curauerat is in tabula aenea depingi Chriſtum crucifixum, quem SEGERVS ille, ſub cruce ſtans, Laconice compel-

(*) BAILLET *Iug. T. I p. 205.*

labat uerbis, ex ore ipſius emiſſis: *Domine Ieſu, amas me?* Ad quae Saluator, cum ampliſſima honoris praefatione, de cruce reſpondebat: *Clariſſime, pereximie, nec non doctiſſime, Domine Mag. Segere, Poeta Laureate Caeſaree, et Scholae UUitteber-genſis Rector digniſſime, ego amo te.*

Neque uero inficiandum, multum omnino ad fallendos imperitos et indoctos referre, quo quid titulo, quaue appellatione, ueniat, quod illi non ignorant, qui uel libellos emittunt in publicum, quibus opus eſt ſuſpenſa hedera, uel ad lectiones, aut declamationes publicas, populum inuitant. Nam, vt a declamatoribus faciam initium, omne tuliſſe ſe punctum putant, qui materiam ſelegerint raram, auribusque dignam. Quo pertinet illud, quod de ALANO DE INSVLIS refertur, (*) qui, cum, ſe de Trinitatis myſterio publice uerba facturum, diuulgaſſet, incredibilem hominum multitudinem concitauit, quorum curioſitatem caſtigaturus, adſcendit quidem in ſuggeſtum, uerum, cum pauca uerba pro-

(*) SARTOR. *Ciſtertio Bis tert. tit. 20 p. 559.*

protuliſſet, *ſufficiat uobis*, dixit, *uidiſſe Alanum*, ac protinus deſcendens, omnium exſpectationem fefellit. Atque hinc excogitatum apud nos Panſophorum uocabulum uidetur ab his, qui, vt quaeſtum faciant, omnes Philoſophiae aditus, omnes receſſus, ſe recluſuros, iactitant, cum uix tamen emarcidam quandam ac elumbem Philoſophiae partem ſatis abſoluant et exhauriant. Plura dicturus eram de iis, qui ſpecioſis nominibus Auditores ad ſcholas ſuas pertrahunt et allectant, niſi uerendum mihi eſſet, ne aliqui minus aequo animo laturi ſint, artes ſuas fraudesque tam manifeſte prodi.

Uenio ad librorum titulos, in quibus nihil magis, quam fidem, deſideres. Nam, cum magnifice plerique inſtructi ſint, et nihil non promittant inſolitum ac magnum, ſaepiſſime deludunt coruos hiantes. Iucunda ſunt admodum, quae de Graecis C. PLINIVS SECVNDVS refert, vbi, *Inſcriptionis*, inquit, (*) *apud Graecos mira felicitas: κηρίον inſcripſere, quod uolebant intel-*

(*) *Nat. Hiſt. L. I p. 8 ſeq.*

intelligi fauum: alii κέρας ἀμαλθείας, quod Copiae cornu, vt uel lactis gallinacei ſperare poſſis in uolumine hauſtum. Iam Muſae, πανδέκται, ἐγχειρίδιον, λειμὼν, πίναξ, σχέδιον, inſcriptiones, propter quas uadimonium deſeri poſſit. At, cum intraueris, Dii Deaeque, quam nihil in medio inuenies. Hactenus PLINIVS. Quemadmodum uero hunc morem ipſi paullo poſt Romani, eodem teſte, imitati ſunt; ita, noſtros homines facetiſſimos titulos excogitaſſe, mirum nemini uidebitur. Hinc tot uideas antiquitatum, ac elegantioris Latinitatis, Theſauros, quos cum euolues, pro theſauris carbones inueneris; tot Philoſophiae ac reliquarum ſcientiarum Nucleos abſque nucleo, arenam ſine calce; tot ſales et facetias, in quibus ne micam quidem ſalis inueneris; tot denique Atlantes, et Theatra hiſtorica, de quibus merito exclames CATVLLIANVM illud:

Annales Uoluſi, cacata charta!

Taceo tot claues aureas, methodos regias, gradus ad Parnaſſum, (*) Oceanos macromicro-

(*) BAILLET *Iug. T. I Cap.* 13.

micro-coſmicos, clypeos ueritatis, fortalitia ſcientiarum, inuentaria cerebri humani, et libros alios ſexcentos, quibus, vt emptores allicerent, ex ſplendido tituli ornatu hedera ſuſpenditur. Nonnulli titulos multis allegoriis ac figuris rhetoricis exornant, ſeu potius inuoluunt, vt, quid propinare Lectoribus uelint, uix poſſis, omni licet ingenii ui adhibita, diuinare. Quis enim in IOANNIS HAII (*) *Triumpho ueritatis, ordinati Euangelii quadriga inuectae, Sanctorum Patrum exercitu ſtipatae*, qui Duaci anno ſuperioris ſeculi nono prodiit, Harmoniam quandam Euangeliſtarum quaeſiuerit? Aut quid permouit Medicum Lipſienſem, qui ante complures annos hunc libello ſuo titulum fecerat: *Ius publicum, hoc eſt, theſes Medicae de dolore capitis?* Quid memorem *Fratrum Roſeae Crucis* (**) *Famam eſcanziam reducem, buccinam iubilaei vltimi, Euae hyperboleae praenuntiam, Montium Europae cacumina ſuo clangore ferientem, inter colles et conualles Araba reſonantem?* Quid *Amphi-*

(*) ALEGAMBE *Bibl. S. I. p.* 459, 460.
(**) NAVDE' *Hiſt. des Fr. de R. C. p.* 96 *ſeq.*

phitheatrum Sapientiae aeternae ſolius uerae, Chriſtiano-Cabaliſticum, diuino-Magicum, nec non Phyſico-Chymicum, tertriunum Catholicum, inſtructore Henrico Cunrath etc. aliaque titulorum portenta, de quibus idem dixeris, quod de Cumaea Sibilla VIRGILIVS, (*) Poeta:

> *Horrendas canit ambages, antroque remugit*
> *Obſcuris falſa inuoluens.*

Quandoquidem uero de libris dicere coepimus, non poſſumus hoc loco eos praetermittere, qui ſe beatos inprimis exiſtimant, ſi nullum facile menſem, annum nullum, abire patiantur, quin ex foecundiſſimo ingenio aliquid promant noui, uehementerque commouentur, quando foetus ſuos, quos tantopere amant ac fouent, in Doctorum Ephemeridibus praetermiſſos, uel ſaltim non omnes ſat multis elogiis ornatos, ac impenſius uiderint Lectoribus commendatos. *Nimirum*, vt vtamur uerbis Uiri eruditi, (**) *in foecundo uiuimus ſeculo, quo, vt nonnemo lepide pro-*

(*) *Aen. VI.*
(**) LILIENTHAL *de Machiauell. liter.* §. 4.

pronuntiauit, Eunuchi gignunt, et mulae pariunt, *id eſt, vbi ſcribendi iſte prurigo multos adeo corripuit, vt ſibi perſuadeant, orbi erudito ingenti detrimento futurum, ſi cogitationes ſuas, quibus mire ſibi placent, priuatorum parietum carceribus includant. Adeoque ſingulis fere menſibus concipientes, ſe ipſos, nemine vrgente, praecipitant, coecosque catulos pariendo, in hoc ſolum gloriantur, nullis ſibi doloribus enixos foetus conſtitiſſe: in hoc vnice intenti, vt in officinis librariis chartarum ſuarum faeces, in Catalogis uero librorum nomina ſua infauſta, conſpiciantur.* Quin et eo proceſſit effraenis quorundam ambitio, vt, cum toties tabernis librariis ſcripta ſua nequidquam obtuliſſent, immenſos ſumtus euulgandis illis facerent, VLYSSEM ALDROUANDVM imitati, (*) qui centena millia, totumque adeo patrimonium, in editione ſuorum Operum abſumpſit, quae publicis Bibliothecis, vt liberalitatis ſuae aeque, ac doctrinae, exſtaret monumentum, gratis inſeruit.

Prae-

(*) L'ESPRIT *de Patin.*

Praeterea fertiliſſimi Scriptores illi, quo magis per ora uolitent eruditorum, nullam facile lucubratiunculam, aut declamatiunculam, emittunt, quin excellentis cuiusdam uiri nomen praeponant, ſiue quod famam, quam auidiſſime aucupantur, illius commendatione conſequi ſe poſſe ſperent, ſiue quod, vt APION quondam, Grammaticus, (*) quem TIBERIVS Caeſar *cymbalum mundi* uocabat, immortalitati donari a ſe credant, ad quos aliquid compoſuerunt. Hi ſunt illi, qui, dum donant ſuos libellos Maecenatibus, tantum abeſt, vt donent, vt potius immenſo pretio uendant, chartaceis quippe munuſculis iſtis munera aurea, torques, vniones, captantes. Itaque diligenter expiſcantur, quos omnium gratiſſimos habituri ſint inſcriptionum ſuarum remuneratores, quod in FRANCISCO HOTOMANNO patuit, (**) qui obſeruationes ſuas dedicaturus erat IVSTO REVBERO, ſi centum ab eo ioachimicos praemii loco acciperet; uerum is quidem tanti emere laudum

(*) PLIN. *Hiſt. Nat. L. I p. 10.*
(**) *Epiſt.* HOTOM. *164.*

dum ſuarum, quarum erat alioquin appetentiſſimus, cantilenas noluit. Quidam et, vbi haud ſatis ſpem ipſorum impleuerint ii, quibus ſcripta ſua conſecrarunt, mox priores titulos reſecant, nouosque patronos quaerunt, quorum marſupiis inſidientur. Qua in re, niſi me omnia fallunt, PVTEANVS quoque humani aliquid paſſus eſt, qui, cum *Hiſtoriam Inſubricam* PHILIPPO UUILHELMO primum, Principi Arauſionenſi, inſcripſiſſet, mox eam, praemiſſo *Hiſtoriae Barbaricae* titulo, PHILIPPO IV, Regi Hiſpaniarum, conſecrauit. Alii, vt THOMAS FVLLERVS, (*) celebratiſſimus Hiſtoricus Anglus, libros ſuos plurimis uoluminibus partiuntur, ſingulisque ſingulos praeponunt Principes aut Optimates, a quibus lucelli quidpiam aucupantur. Et quis credat, deprehendi etiam, qui ſibi ipſis foetus proprios plenis titulis inſcribunt? Id quod de H. R. memoratur, (**) qui, cum *Hiſtoriam belli Dithmarſici* ſub CHRI-

STIA-

(*) NICHOLSON *Engl. Hiſtoric. Libr. T. II p. 91.*

(**) MOLLER *Intr. in Hiſt. Cimbr. p. 630.*

STIANI CILICII nomine conſcripſiſſet, eam nemini rectius, quam ſibi ipſi, dedicandam iudicauit: vt taceam ANDREAM SCHOTTVM, qui, quam ipſe collegerat *Italiam illuſtratam*, a typographo, ANDREA CAMBIERIO, inſcribi ſibi paſſus eſt.

At nihil, vt ERASMVS meus loquitur, (*) omnium ſuauius, quam cum ipſi inter ſeſe eruditi mutua talione laudant, ac mirantur, uiciſſimque ſcabunt, cum mutuis epiſtolis, carminibus, encomiis, ſeſe extollunt, ſtulti ſtultos, indoctos indocti. Hic illius ſuffragio diſcedit ALCAEVS, ille huius CALLIMACHVS; ille huic eſt M. TVLLIO ſuperior, hic illi PLATONE doctior. Et memini, e noſtratibus aliquem, ad capeſſendum in obſcuro oppidulo Paedagogi munus euocatum, cum alium laudatorem non inueniret, carmine proprio Marte elaborato ſibimet ipſi applauſiſſe, ſimulque Philureae noſtrae, quod tam carum caput amitteret, grauiter indoluiſſe. Nec deſunt forte, qui et ſcriptis ſuis plena

(*) *Encom. Mor. p. 91 et 96.*

na laudis et commendationis carmina plurima, uelut a uiris eximiis ſponte et vltro congeſta, praemittunt, quae uel compoſuerunt ipſi, uel ſeruis ſuis, aut clientibus, extorſerunt, CAROLVM V quodammodo, Romanorum Imperatorem, imitati, qui, quo maiorem ageret in Hiſpania triumphum, praeter ea, quae Proteſtantibus debellatis eripuerat, tormenta bellica longe plura conflari in Germania, inſignibusque Haſſorum et Saxonum ornari, iuſſerat.

Contra haec nonnunquam et antagoniſtam quaerunt noui libellorum artifices, cuius aemulatione famam augeant, nihilque magis illos pungit, quam cum minime punguntur. Itaque *ſolertiſſimas nugas*, vt SENECA loquitur, (*) quae uix ſomnianti in mentem uenerint, comminiſcuntur, vt noui aliquid inueniſſe uideantur, cunctaque, quae rationi, ipſisque ſenſibus, conueniunt, magna impudentia oppugnant, non alio profecto fine, quam vt illuſtrem aduerſarium nanciſcantur, cum quo belliſſime depugnent. Quod cum ne

M 2 ſic

(*) *Ep.* 117 *L.* 12.

ſic quidem impetrauerint, in propria uiſcera ineptiſſime ſaeuiunt; quod de GAROPOLO, Poeta, conſtat, qui carminis ſui de CAROLO M. cenſuram ipſe acerrimam uulgauit.

Perinde et illorum ridenda temeritas, qui, cum uident uirum magni nominis eximium quidpiam prodidiſſe, illud (tametſi ſit impar congreſſus Achilli) protinus, uelut e ſpecula, adoriuntur, modisque omnibus lacerant et ſugillant, quod, ſi is pugnam non detrectauerit, ſe quoque ſperant nonnihil famae et exiſtimationis conſecuturos in Republica literaria. Enimuero hi plerumque operam et oleum perdunt, cum nemo ſit literatiorum hominum tam parum ſui memor, quin inſania ſua frui patiatur inficetos illos et inſulſos. Quam in rem vnicum producam CASPARVM ZIEGLERVM, qui primus omnium in HVGONIS GROTII libros de Iure Belli et Pacis commentatus, aduerſarium nactus eſt HENRICVM HENNINGES, qui et ipſe, ſola aemulatione, ac famae cupiditate, ductus, notulas in GROTIVM ediderat, in quibus ſubinde noſtrum carpit et traducit. Tum uero ZIEGLERVS, *iſte*, inquiebat, *ob-*

ſcurus

ſcurus homo ex me gloriam quaerit : imprudentiſſimus ſim mortalium, ſi illius uotis uelificaturus, Zieglerum patiar cum puſillo iſto gladiatore committi.

Ceterum, cum alios ſuarum laudum cantores non inuenerint homines miſerrimi, magna uerborum pompa ſuam ipſi eruditionem extollunt, prorſus circulatoribus ſimiles, qui, ſuas panaceas cunctis morbis mederi, ac annos Neſtoreos, et quandam quaſi ἀγηρασίαν, conciliare, rudi plebeculae perſuadent. In his exercitum ducit GORGIAS LEONTINVS, qui maxima animi elatione ex omnibus, vt traditur, auſus eſt in conuentu poſcere, qua de re quisque uellet audire; quem imitatus eſt IACOBVS MAZONIVS, (*) qui ad omnia, quae quis percontaretur, copioſe reſpondebat ex tempore, nec vllam rem defendiſſe uiſus eſt, quam non probarit, nullam oppugnauit, quam non euerterit. Sed omnium inſtar hic erit FRANCISCVS PHILELPHVS, qui alicubi magnificentius de ſe loquitur in Epiſtolis : (**) *Vnum Philelphus audet af-*

(*) ERYTHR. *Pin. n. 38.*
(**) *L. XVI Ep. 34.*

firmare, uel inſaniente Candido, (hoc nomen erat aduerſario) *neminem eſſe hac tempeſtate, nec fuiſſe vnquam apud Latinos, quantum conſtet ex omni hominum memoria, qui praeter ſe vnum idem vnus tenuerit, exercueritque et Graecam pariter et Latinam orationem, in omni dicendi genere, et proſa, et uerſu. Tu, ſi quem habeas alterum, memora. Quid taces, homo miſerrime?* Multum uero hi ad conciliandam famam facere arbitrantur, ſi eruditis aliis perſuaſerint, quaſi plurima de rebus minime tritis uolumina parata habeant, quae, ſi iuſtum incredibilis operae pretium ſtatuatur, confeſtim typis mandari poſſent. Vt nihil dicam de IOANNE BOURDELOTIO, et MARCO MEIBOMIO, quorum ille in Notis ad HELIODORVM ſubinde prouocat ad libros ſuos, quos nunquam in lucem prodiiſſe conſtat, hic uero, cum Amſtelodami uiueret, grandiſſima uolumina monſtrabat aduentantibus, quae, ſi digno pretio redimantur, (immenſum autem ſtatuerat,) haud vltra inuiſurus eſſet eruditis; nemo facile ſuperauit faſtum FRANCISCI CRVCIMANII, qui, edita ad HENRICVM III, Galliae Regem, Epiſtola, parata ſibi ia-

ſtat octingenta uolumina, de cunctis rebus, quae humanae ſcientiae ambitu comprehenduntur, ſua manu exarata, ac centum pluteis diſpoſita, quae ſe traditurum omnia Regi ſpondet, ſi uel pro ſingulis pluteis ducenti ioachimici ſibi numerentur, uiliſſimum ſcilicet pro theſauris immenſis pretium.

Atque hi intra promiſſa tantum ſubſtiterunt: longe uero ineptior mihi uidetur NICOLAVS RICCARDIVS, Ianuenſis, (*) qui, cum, aſſiduam multorum annorum operam ſtudiumque ſe collocaſſe, iactaret, in refellendis, quae contra ſacrum Concilium in celebri uulgatoque libro ſcripta eſſent, cumque eximium aliquod opus exſpectaretur, uix tandem prodidit paucas quasdam plagulas, vt montibus parturientibus ſimilis haberetur, qui murem ridiculum eſſet enixus. Et conſtat de IOANNE CAPELLANO, uiro alioquin pererudito, quod, cum penſionem annuam nactus eſſet ab HENRICO, Aurelianenſi Principe, vt de celebratiſſima Galliae uiragine, quam Puellam uulgo Aurelianenſem uocant, heroi-

(*) ERYTHR. *Pin. n. 22.*

roicum quoddam carmen, ad exemplum HOMERI aut VIRGILII, Gallico idiomate conderet, atque is, quo diutius fruetur Ducis munificentia, annos plurimos impendiſſet huic labori, uulgato tandem frigidiſſimo poemate, quod *Puellam* (*) inſcripſit, tantum abeſt, vt ingenti, quam de ſe concitauerat, exſpectationi reſponderit, vt plerorumque in ſe ſcommata prouocauerit, quos inter aliquis (**) hoc in Puellam epigrammate luſit:

Illa Capellani dudum exſpectata Puella
Poſt longa in lucem tempora prodit anus.

Quem in cenſum, quoniam de iis dictum eſt hactenus, qui pridem uita functi ſunt, neſcio, num referri etiam debeat e Soc. Ieſu IOANNES HARDVINVS, eruditae Galliae lumen hodie ac decus praecipuum. Is, vt multa hactenus edidit ſcripta cedro digniſſima, PLINIVM inprimis, quo vno labore nominis immortalitatem conſecutus eſt apud omnes, aliquid tamen paradoxi, dubium, an animi gratia, an vt ordini

(*) *La Pucelle d'Orleans.*
(**) MENAGIANA *P. I p. 15 ſeq.* Conf. *P. II p. 41.*

ni ſuo, quod CROZIVS, aliique, ſubodorari ſibi uiſi ſunt, uelificaretur, obtrudere eruditis uoluit, iſtud nimirum, quod plerique Scriptores, Graeci pariter, ac Romani, atque adeo Patres quoque ipſi, ab otioſis hominibus, et neſcio qua falſariorum coniurata ſocietate, fuerint ſubornati. At, cum id ſparſim tantum et leuiter ſcriptis ſuis inſinuauerit, quaeſitumque nuper admodum ab illo fuiſſet, vt ſyſtema quoddam hypotheſium ſuarum proderet, latiusque paullo deduceret, quae hactenus leui modo brachio attigiſſet, reſpondiſſe fertur, ſe ſpiſſo quodam uolumine collegiſſe omnia, de quo ſibi tantum ac ſupremo Numini conſtet, ceterum nihil eius rei, quoad uixerit, proditurum, qua de re quid ſperandum ſit, naſutioribus diiudicandum relinquimus.

Sed ſatis de his; ad eos pergo, qui, cum ipſi nihil habeant, quod prodant, uel polliceantur, ſatis tamen ſe tueri poſſe putant nomen eruditi, ſi cunctas ſuas facultates dilapidantes, quicquid vbique prodeat librorum, quos nec legunt quidem vnquam, nec, ſi legant, intelligunt, auidiſſime corradant, totosque montes et aceruos

uoluminum congerant, quae, longo ordine, uelut in armamentariis, diſpoſita, multoque auro ac purpura diſtincta, aliquoties per diem hilari uultu adſpectant, amicisque, ac clientibus ſuis, identidem ad nauſeam vsque demonſtrant. Inprimis uero coelum ſe manibus tetigiſſe, ac Diis ſimillimos eſſe, putant, cum in codicem quendam, ueteri manu exaratum, inciderint, quem, vtut exeſos tantum literarum ductus, lacerasque chartas, oſtendat, ſitque uel centies ab eruditis ſolicito ſtudio collatus, cum ingentibus diuitiis, et quicquid in rebus humanis eſt deliciarum, permutare nolint. Noſtis, Auditores, quod de FVLVIO VRSINO, antiquitatis aeſtumatore maximo, refert IANVS NICIVS ERYTHRAEVS. (*) Perueтuſtis codicibus, inquit, quorum multos in ſua bibliotheca habebat, immania pretia faciebat: atque illud accidit perridicule, quod, cum die quodam FRANCISCO Cardinali TOLETO TERENTII Comoedias oſtendiſſet, easque affirmaſſet ante annos mille fuiſſe conſcriptas, ac re uera eſſent antiquae, ſed mire deprauatae, atque

(*) *Pinac. Cap.* 4.

que corruptae, addidiſſetque, nullam eſſe pecuniam, quae antiquiſſimi illius codicis aeſtimationi par eſſet; proh Deus! Cardinalis inquit, quid audio? Equidem mallem codicem vnum, quantumuis recens impreſſum, ſed caſtigatum, emendatumque, quam decem alios mendoſos, et corruptos, quamuis Sibyllae manu exaratos. Hactenus ERYTHRAEVS; peroportune profecto et argute omnia.

Sed, quoniam de antiquitatum patronis dicere coepimus, non erit ab hoc loco alienum, illorum notare inſaniam, qui nihil admirantur, niſi quod uetuſtatem redolet, et, dum alios omnes ad morem Sinenſium pro monoculis habent, ſe ſolos credunt duobus oculis inſtructos, quoniam non ea tantum, quae ante pedes ſunt, proſpiciunt, uerum et antiquiſſimorum temporum faciem exactiſſime cognitam habent et perſpectam. Itaque, ſi uel numulus aliquis, multo ſitu et aerugine obductus, uel alia quaecunque uetuſtae ſupellectilis particula, ad illos deferatur, bone Deus, quanta gaudia, quantae mox etiam curae et ſolicitudines, vt accurate examinentur omnes apices, ac ſingula, iuſtis

Commen-

Commentariorum libris expoſita, ad poſteros transmittantur. Iſti nimirum ſunt, qui Sibyllae folia, carmina Carmentae, Maeandros Lycophronis, libros Numae, myſteria aurei uelleris, epitaphium Aeliae Laeliae, librosque Aegyptiorum, quos APVLEIVS dicit (*) *literis ignorabilibus praenotatos, nodoſisque et in modum rotae tortuoſis, capreolatimque condenſis apicibus, a curioſitate profanorum munitos*, nullo negotio, ac ueluti aliud agendo, interpretantur. Sed, quam facile imponi ſibi patiantur hi omnis antiquitatis promi condi, teſtes nobis ſunt, vt alios taceam, omni exceptione maiores, ATHANASIVS KIRCHERVS, et IACOBVS GRONOUIVS. Erant Romae quidam adoleſcentes laſciuiuſculi, qui, cum alicubi in vrbe breui excitandum aedificium intellexiſſent, vt KIRCHERI ingenium tentarent, eodem in loco clam defodi curabant ſcabroſum lapidem, quem miris nonnullis, et ad libidinem excogitatis, figuris deformauerant. Quid fit? Iaciuntur fundamenta noui operis; tollitur lapis, nouum uetuſtatis

(*) *Lib. II Metam.*

tis monumentum, ipſa ſui integritate admirandum; quaeritur Oedipus; itur ad KIRCHERVM. Is uero, uiſo lapide, tripudiare prae gaudio, et pedibus terram pulſare, mox circulos, cruces, et ſigna, ad vnum omnia, tam concinne, tam apposite, explicare, vt nihil ſupra. Quid GRONOVIVS? (*) Monſtrauerat illi uir politiſſimus, (quem uocat,) ROBERTVS de NEVFUILLE, icunculam ligneam, metallifoſſoris Saxonici habitu indutam, quales uulgo pueri apud nos inter pupas et crepundia ſeruant. GRONOVIVS, qui nunquam homines metallibaiulos et natipellitos uiderat, *uetuſtiſſimi*, vt ipſe loquitur, monumenti ſpectaculo admodum laetatus, *ſtatim religioſam* in eo *memoriam renouari iudicabat*, et, cum *imagunculam* hanc belliſſime aere caelari curaſſet, interpretabatur *Sacerdotem Germanum portantem nauigium Iſidis.* Riſum teneatis amici.

Et, quoniam incidimus in GRONOVIVM, non poſſumus, quin recordemur moris illius, non minus ipſi, quam Pantocriti-

(*) *Theſ. Ant. Graec. T. III.*

criticis aliis, perfamiliaris, vt nihil facile relinquant intactum aut illaeſum, uerum, quoties quisquam aliquid in literis prodit eximium, id continuo allatrent ac carpant, tantum quippe decedere rati ſuis laudibus, quantum optimorum ſcriptorum diuulgatione accedit alienis. Dicite, Auditores, ecquis uixit noſtro aeuo paullo literatior, in quem ille cenſuras, aut ſatyras, ſuas non emiſerit, etiamſi fuiſſet uix vllo facinore prouocatus? Ceterum adeo ferre non poteſt eos, qui ab ipſo diuerſa ſentiunt, vt, cum aliquando IOACHIMVS FELLERVS noſter, edita ſub FRANCISCI DERMASII nomine Epiſtola, eius ſententiam de nece Iudae oppugnaſſet, integris duodecim poſt mortem eius annis non tantum ipſi FELLERO, ceu mortuo leoni, acerrime inſultauerit, ſed et in innocentiſſimam Academiam, immo et vrbem, Lipſienſem immani modo debacchatus ſit, Lipſienſem appellans argutandi rationem, cum abſonam dicere uult aut inconcinnam. Atque is plane ſimilis uidetur CASPARI SCIOPPIO, (quamuis Latini ſermonis elegantia, uariaque doctrina, longe maiori,) quem *Canem Gram-*

Grammaticum dictum conſtat, (*) quod non praeſtantiſſimos modo ſuae aetatis uiros, SCALIGEROS, LIPSIVM, THVANVM, POSSEUINVM, UOSSIVM, STRADAM, CASAVBONVM, MORNAEVM, laceſſiuit, ſed et PHAEDRVM Thraciſmi, et ipſum Romanae eloquentiae patrem, CICERONEM, Barbariſmi, poſtulauit. Hi uero quid aliud tanto conatu, quam plauſum, quaerunt, quem vt prudentioribus nunquam extorquebunt, ita uix etiam apud inſipidos quosdam et inſulſos homines, et talpa coeciores, conſequentur. Quod notum etiam et peruulgatum eſt de CLAVDIO UERDERIO, Gallo, (**) qui paucis plagulis, quibus *Cenſionis Autorum omnium ueterum et recentiorum* titulum fecit, ne ipſi quidem ANTONIO, Patri, pepercit, a quo fuerat in Bibliotheca Gallica honorificentiſſime commemoratus, ueteres uero ſcriptores, atque adeo TVLLIVM quoque, et MARONEM, et FLACCVM, acerrime perſtrinxit, atque in hoc duritatem

(*) BAYLE *Dict. Crit. Art.* SCIOPPIVS *not. K.*
(**) MORHOF. *Polyh. T. I L. I p. 191.*

tem ſermonis, in illis uoces barbaras, deprehendiſſe ſibi uiſus eſt. Taceo FRANCISCVM ROBORTELLVM, (*) qui parem ferre non potuit, eoque ALCIATO, SIGONIO, EGNATIO, doctiſſimis uiris, dicam ſcripſit. *Inerat enim illi*, vt IMPERIALIS, Uicentinus, teſtatur, *turgida mentis ferocia, et effraenis ciuilis aurae cupiditas, quo nullum in ſecundis elatiorem, aut in aduerſis infractiorem, inuenias.* Taceo item ALEXANDRVM TASSONVM, et NICOLAVM UILLANVM, Italos, (**) quorum hic DANTEM, PETRARCHAM, ARIOSTVM, TASSVM, quorum nominibus totus Parnaſſi chorus aſſurgebat, aliosque recentiores, partim vt hebetes, tardos, ac rudes, partim vt humiles, inornatos, abiectos, partim vt ſine lepore, pondere, et arte, exſibilauit, et exploſit, ille autem ipſius HOMERI, cui tantus honor eſt habitus, vt tanquam Deo Smyrnaei delubrum eius in oppido dedicauerint, quingentas ſententias, et eo amplius, in vnum uolumen collectas ſe habere, quas editurus eſſet,

(*) GADDIVS *de Script. T. II p. 296.*
(**) ERYTHR. *Pin. Cap. 110 et 111.*

eſſet, ſtulte ridiculas, gloriatus eſt. Iſtud uero libertatem appellant, quam, ſi quae alia, literaria certe Respublica, ſibi uindicat pleniſſimam, nulloque limite circumſcriptam, ſcilicet vt impune alios de re minima laceſſere,et contumeliis afficere, ac, vt ſolebat CATVLLIANVS ille cenſor, uecordem liceat excitare rixam. Nata quondam erat leuis inter LAVRENTIVM UALLAM, et POGGIVM, Florentinum, de uocum quarundam vſu concertatio, quae eo tamen paullatim inualuit, vt hic, atrociſſimis in UALLAM inuectiuis editis, eum non modo dementiſſimum omnium, furioſum, fatuum, monſtrum, belluam, impium, detractorem, ueſanum, ſed et, quod dictu horrendum, ſcortum Romanum, uocaret. (*) Atqui is idem UALLA tam caſtus ac purus erat, vt, cum aliquando in Grammatici cuiusdam ueteris explicatione in uocem paullo obſcoeniorem incidiſſet, *malo, ignorari*, diceret, *quam, me docente, ſciri.* (**) Quid memorem PETRVM RAMVM, qui ARISTOTELEM, GEORGIVM

(*) GADD. *de Script. T. II p. 215.*
(**) RAYNAVD. *de bonis et malis Libris p. 51.*

GIVM TRAPEZVNTIVM, qui PLATONEM, aut ANGELVTIVM, et CASTRVM, qui PATRITIVM, et LICETVM, indignis plane modis excepit? (*) Quid IVLIVM CAESAREM SCALIGERVM, (**) qui contra ERASMVM, ideo quod CICERONEM ſatis admirari non poſſet, tanquam publicum quietis turbatorem, declamauit? Nec ignoratis forte, Auditores, quid inter VLRICVM HVBERVM, et IACOBVM PERIZONIVM, doctiſſimos uiros, ante annos haud ita multos in Belgio geſtum ſit. Nam, cum PERIZONIVS illius Hiſtoriam ciuilem paullo attentius conſideraſſet, et prope mille errorum reum egiſſet auctorem, tum HVBERVS, cum eſſet praeterea liberioribus uerbis ſubinde laceſſitus, rem deduxit in forum, eoque, vt erat in agendis cauſis exercitatiſſimus, adegit aduerſarium, vt culpam deprecari, ac pro illatis iniuriis mulctam fiſco inferre, iuberetur. Sed ohe! quanti inde clamores, quanta iurgia exorta inter Criticos, qui, iſta ſeueritate uim inferri libertati literariae, et, quoniam difficile

(*) NAVDEE *Maſcurat p.* 423.
(**) BAILLET *Jug. T. I p.* 96.

cile ſit hoc tempore, ſatyram non ſcribere, ignauiam confirmari et attolli, eorum uero, quibus

de meliore luto finxit praecordia Titan,

nobiliſſimum ardorem opprimi, querebantur, et exſtingui. Certe, vt in Romana Republica, donec illa libertate frueretur, artes ac bonae literae egregie effloruerunt, quae contemptae paullatim ſub Imperatoribus, et ad barbariem reductae ſunt, ita, ipſam literariam Rempublicam, vbi metus ac ſeruitus acceſſerint, ſtare neutiquam poſſe, putant. Et dici quidem uix poteſt, quantum iſtae eruditorum contentiones tum ad excitanda ingenia, tum ad ornanda literarum ſtudia, ualeant: id quod nuper CAROLI BOYLII maxime, et RICHARDI BENTLEII, lite patuit, quae vt ex leui admodum cauſa nata erat, attamen, cum ab vtraque parte omnes ingenii uires intenderentur, foetus longe elegantiſſimos produxit.

Quandoquidem uero de concertationibus, quae calamo inſtituuntur, uerba fecimus, dicendum quoque hoc loco erit de eo conflictu, qui in Academiis et e cathe-

dra depugnari ſolet. Etenim a longo tempore mos ille ita degenerauit, vt ſaepe de lana caprina, quod aiunt, rebusque uiliſſimis, ingenti animi contentione, ac incredibili uerborum ambitu, diſputetur: quas diſceptationes ipſi etiam ueteres *uitilitigia* non incommode dixere. Sic et olim AMAFINIVS, et RABIRIVS, ipſo TVLLIO teſte, (*) de rebus ante oculos poſitis acerrime diſputabant; et inter PALAEMONEM, ac ORBILIVM, grauis intercedebat controuerſia, (**) vtrum Aeneas, cum in Italiam appuliſſet, dextro prius, an ſiniſtro, pede terram tetigiſſet; et MAXIMVS, Orator, (***) ZOPYRIONEM, Grammaticum, uehementiſſime exagitabat, quod, vtra manus Ueneris uulnerata ſit a DIOMEDE, haud ſatis haberet exploratum. Deinde ſunt, qui, Andabatarum more pugnantes, nullam certaminis legem, nullum ordinem, admittunt, ſed uariis artibus eludunt ictus aduerſarii, et, quem argumentis non poſſunt, uoce ſtentorea, et futili ac inani

(*) *Acad Qu. L. I Cap. 2.*
(**) BALZAC LE BARBON *p. 363.*
(***) CONRING. *Ep. ad* H. MEIBOM.

inani loquacitate uincunt, ioculares etiam ſermones, et aculeos, ſubinde iniicientes, quibus riſum eliciant ex Auditoribus. Narrabo uobis, Auditores, rem admodum ridiculam et iucundam, quam in hac ipſa Academia contigiſſe meminerint forte aliqui adhuc e uenerandis Senibus noſtris. Acceſſerat ad nos Theologus magnae famae et exiſtimationis, praeterea tantae grauitatis, vt ſolo adſpectu omnium animos ſibi deuinciret, ſed doctrina mediocri praeditus, et exigua diſputandi peritia. Itaque, cum cathedram adſcendiſſet, nactusque eſſet aduerſarium in hac arte exercitatiſſimum, et Pontificiorum, Caluinianorum, Socinianorum, aliorumque, quos fortiſſime debellauerat, trophaeis illuſtrem, alto illum ſupercilio deſpiciebat, et in cathedra hinc inde deambulando, cum primum in ipſum telum detorſiſſet aduerſarius, ingenti faſtu reſpondebat: *Iſthunc quidem nodulum uel canis meus* (quem nimirum in cathedra colluſorem habebat) *ſoluerit;* cumque, eo miſſo, alterum etiam obiiceretur, tum noſter, *formidandum*, inquit, *profecto et Herculeum argumentum, ad quod nec ipſe* Μυριοτεχνίτης *quidquam re-*

ponat. Quae cum ille minus recte caperet, quod, vt fieri neceſſe eſt, haberet animum ex tanta temeritate non leuiter perturbatum, negaretque ſe μυριοτεχνίτην; tum noſter, habere ſe uictoriam in manibus cernens, elato maximo cachinno, *ecquis uero*, exclamabat, *dixit*, *te eſſe* μυριοτεχνίτην? Quid multa? Diſcedebat ex ea palaeſtra inglorius fortiſſimus pugnator. Tanta uero, Auditores, uis eſt impudentiae, etiam in re ſeria. Quod cum animaduertant nonnulli, antequam deſcendant in aciem, non ſecus, ac ignaui milites ſolent, liberaliori hauſtu genium prouocant, atque ita temulenti, ſi non penitus obmutuerint, de inſigni ac luculenta uictoria ſibi gratulantur. Ita, DOMINICVM DE FLANDRIA, aiunt, (*) cum ab ARGYROPHILO, Graeco, uiro ſingularis doctrinae ac famae, palmam reportaſſet in certamine literario, ſolutis omnino centum argumentis, dixiſſe: *Si alterum oenophorum* (nam vnum hauſerat, antequam certamen ingrederetur,) *addidiſſem, totam omnino Graeciam confudiſſem.*

Deni-

(*) GADDIVS *de Script. T. I p.* 102.

Denique egregie circulatores imitantur, qui, vt omnium in ſe oculos conuertant, ueſtitu vtuntur ſplendidiſſimo, aut certe eo, qui a communi rerum vſu alienior eſt. Non morabor ueteres, Pythagoraeos, Stoicos, aliosque, qui, cum baculum peramque geſtarent, pallioque incederent, ac barbam alerent promiſſam, uultumque toruum ac ſqualidum induerent, qualis palliatus ille et crinitus, barbaque prope ad pubem vsque porrecta, apud GELLIVM, (*) tum uero nihil ſibi deeſſe ad dignitatem Philoſophi, exiſtimabant. Quorum ne ſequi morem uideretur ARISTOTELES, quod nemo tam pauper eſſet et ineptus, qui Philoſophum mentiri non auſit, atque illa ueſtium ſordities paullatim riſum potius ac deſpectum, quam admirationem, concitaret, nouam uiam ingreſſus eſt, et pretioſiſſimis indutus ueſtibus et calceamentis, barba praeter morem Philoſophorum tonſa, digitisque annulis exornatis, id egit, vt uix ipſe quoque, ſi rem accurate perpendimus, a charlataneriae, quam uocamus, ſuſpicione queat liberari. Ita uero et noſtris temporibus

(*) *Noct. Att. L. IX Cap. 2.*

fieri conſueuit, vt uel inani gloriae cupiditate inflati, magna ueſtium pompa ſe efferant eruditi, vt uideantur homines ad genium ſeculi compoſiti, quos *galant-hommes* lingua Gallica dicimus, uel habitum decentem cum ſqualore permutent, pallio uelati ſordido, ueſte tecti carbonaria, ac tibialibus incedentes ad ſuras demiſſis, non alia fere de cauſa, quam vt credantur omnem ſuam cogitationem in ſtudia vnice defixiſſe. (*) Horum etſi totas phalanges producere queam, uereor tamen, Auditores, ne quid apud uos detrimenti patiatur nomen eruditi, cum, tot uiros erudititiſſimos tam parum ſui fuiſſe ſtudioſos, intellexeritis. Vnum non poſſum praetermittere IACOBVM ROHAVLT, rerum naturalium ſcrutatorem profundiſſimum, qui pileum frequenti plica deformem portare ſueuerat. Itaque MOLERIVS, cum Philoſophum vmbraticum producere uellet in theatrum, pileum illum mutuatus, eo rem deduxit, vt, uix eo conſpecto, omnes ROHALTVM agnoſcerent, atque effuſiſſime riderent.

Prae-

(*) Conf. LILIENTHAL. *Mach. lit. p.* 107.

Praeterea uero nec deſunt, qui ſemet ipſos data opera deridendos propinant, modo id uideantur conſecuti, vt omnium in ore ferantur, uelut nouum quoddam et inauditum facinus aggreſſi. Quam in rem vnus nobis inſtar omnium erit HENRICVS LORITVS GLAREANVS, ERASMI familiaris, qui Baſileae primum Philoſophiam, et deinde Friburgi Brisgoiae Hiſtoriam et Poeſin, ingenti plauſu publice profeſſus eſt. (*) Nimirum magna fuit olim inter Profeſſores Baſileenſes controuerſia, ecquis GLAREANO, in Profeſſorum numerum cooptato, in publicis conſeſſibus locus eſſet aſſignandus. Etenim, cum illuſtris eſſet Poeta, et Commentariis aliquot, in lucem editis, clarus, Magiſtrorum ſubſelliis uidebatur ſuperior; quia uero Doctoralibus inſignibus non erat ornatus, inter eius ordinis homines non uidebatur admittendus. Itaque bonus GLAREANVS uel inter Scholaſticos deliteſcere, uel Magiſtris extremus adhaerere, cogebatur. Tulit id quidem moleſtiſſime, diſſimulauit tamen,

(*) CASP. ENS *Epidorp. L. IV p. 115.*

men, futurum ſperans, vt ſibi honeſtior aliquando aſſignaretur locus; uerum, poſtęaquam, rem exitum nullum habere, uidit, rationem aliquam comminiſci inſtituit, qua certum inter Profeſſores locum inueniret. Itaque, cum Doctores nonnulli creandi eſſent, aſinum conducit, et conſcendit, et in Gymnaſium ſic inuehitur, et Scholaſticorum coetui immiſtus, ſic aſino inſidens, omnium oculos in ſe conuertit. Uariae tum erant, pro cuiusque ingenio, ſpectatorum cogitationes. Erant, qui ſubuerebantur, ne homo e mentis poteſtate exiisſet: alii uero riſu prope rumpebantur, quoties aſinus uel ruderet, uel calcitraret: alii denique putabant, fieri hoc ab eo, vt Doctorandis medium oſtenderet digitum, eorumque inſulſitatem perſtringeret. Quid multa? Coepit ad extremum eius ſcholae Rector e GLAREANO ipſo percontari, quamobrem iumento iſto ſic in Panegyrin hanc deferri uoluerit? Vt, reſpondit ille, certa mihi ſit et ſtabilis ſedes; tot enim nunc menſes dubitatis, inter Doctoresne, an Magiſtros, mihi locus aſſignandus ſit; quamobrem, vt et uobis hunc ſcrupulum euellam, et mihi ipſi non deſim, conſtitui

dein-

deinceps huic aſino inſidere, et ex eo uos audire. Sed mittamus aſinum.

Iam reſtabat, vt ſingulas ſcientiarum claſſes luſtraremus, ea aduertentes inprimis, quae paſſim ad fallendam alliciendamque in Republica literaria plebem mira ingenii humani peruerſitas excogitauit; at, cum temporis habenda ſit ratio, haec in aliam Panegyrin reiicimus, eoque propius nunc accedimus ad id, quod huius diei celebritas a nobis exigit. Et, quoniam, more ac conſuetudine maiorum laudabili, publica in hac Panegyri a Candidatis Magiſterii edi ſpecimina, receptum eſt, tu primus in hanc ſcenam prodeas, I. D. S. Philoſ. et Bon. Art. Licent. ac nomine Nationis Miſnicae Orationem, Latino ſermone compoſitam, de pruritu contradicendi, de quo nos quoque paullo ante nonnihil tetigimus, breuiter ediſſeras.

* * *

Turpitudinem, quam ſtudium ἀνθολκῆς ſecum trahit, egregie nobis depinxiſti, doctiſſime Domine Candidate, nec quisquam noſtrum futurus eſt, qui tibi contradicendi pruritu agatur. Quin potius omnes ambabus manibus applaudunt, et has tibi cogi-

cogitationes, hanc mentem perpetuam eſſe cupiunt.

Ad te nunc conuertor, doctiſſime itidem Philoſophiae et optimarum artium Licentiate, S. B. et, quoniam Graeca amas inprimis, in quibus illuſtrandis, cum iam pridem eximios tuos labores probaueris orbi erudito, et nomen quoque apud ſummos uiros conſecutus ſis, nomine Nationis Saxonicae, quae in patria tua per tot Secula floruit, nunc Graecam Oratiunculam, de capeſſendis honorum gradibus Academicis, recita.

* * *

Σοφῶς, καλῶς, ἀγαθῶς, ita tibi plane applaudo, mi B. quemadmodum ueteres quoque Oratoribus ſuis publice acclamaſſe accepimus. Pergas hac uia, quam ingreſſus es, et, vt in HOMERO hactenus et ARISTOPHANE, ita in HERODOTO quoque, quem ſub manibus habes, aliisque Graecis Auctoribus, ornandis operam porro ſtrenuam ponas, nec vnquam tibi credas amicos, qui quoscunque honores mecum impenſe tibi gratulentur, nunquam Maecenates defuturos, qui nouis honoribus et lautiſ-

lautiſſimis, quae mereris, praemiis te cumulent.

At tibi quoque pulcrum eſt aliquid in Graecis conari, politiſſime I. G. G. Philoſophiae et Bon. Art. Licentiate, qui, cum apud animum tuum perpenderes, quae triſtia nuper fata experta ſit florentiſſima ciuitas, de metu grauiori propter bella, vrbiumque incendia, nomine nationis Polonicae, Graecum nobis carmen decantabis.

* * *

Ohe! iam ſatis eſt querelarum: auertat ſiniſtrum omen Deus immortalis; tibi uero, quoniam de incendiis dixiſti, accendat animum, vt paullatim bonis literis lucem affundas fulgentiſſimam.

Nulla vtique ſalus bello, pacem te poſcimus omnes. Itaque Tu, ſolertiſſime L. M. Phil. et Bon. Art. recens create Licentiate, nomine Nationis Franconicae, de pacis Traiectinae fructibus, quod in promptu habes, carmen heroicum Latinum nobis non inuideas.

* * *

Auguror, te Poetam olim futurum non publici ſaporis, ſed terſum ſatis, atque elegantem. Faxit autem Deus, vt pax laeta atque

que candida propediem effulgeat, pax optima rerum, quas homini nouiſſe datum eſt!

Iam audiendi etiam eſſent reliqui, niſi temporis habenda eſſet ratio; et perſuaſum uobis ſatis eſſe puto, Auditores, neminem eſſe ex tota hac Candidatorum corona, qui non paria praeſtare ualeat. Quin audeo ipſe aſſeuerare, uix vnquam ex Ordine noſtro tot in ſcenam productos fuiſſe Uiros iuuenes apprime eruditos, quorum aliqui iam publice tuendis theſibus auditoribus eruditionem probarunt, alii non Graecis modo, ſed et Latinis, optimae aetatis Auctoribus edendis atque illuſtrandis, alii denique Hiſtoriae literariae iuuandae, ita operam addixerunt, vt nomen in erudito orbe iamdum fuerint conſecuti.

Cum igitur uos, praeſentes optimarum Artium Licentiatos, uoti ueſtri, vt Magiſterii axiomata conſequamini, reddi compotes, vnanimi inclytae Communitatis Philoſophicae decreto ſit conſtitutum, agite, antequam, quod mearum nunc eſt partium, abſoluam, eminentiorem hunc, uobis peculiariter paratum, omnes et ſinguli conſcendatis locum.

CATHE-

CATHEDRA.

Ecce, primum in altiore hoc uos collocaui loco cathedraque, non, vt cathedrarios, vmbratilesque, ſed ſincerae doctrinae, Philoſophos, vt intelligatis, uos Scholaſticorum cenſu iam eſſe eximendos; ueterum nempe Romanorum exemplo, qui militem ſpectatae uirtutis, ad ſe in ſublimius tribunal receptum, coram tota concione laudabant, et imitandum reliquis proponebant.

PILEVS.

Pileos rotundos, uiolaceosque, uobis impono; pileos, inquam, tanquam ſignum libertatis, non effraenis quidem illius, quam in Republica Literaria nequaquam tolerandam oſtendi, ſed quod emiſſi iam ſitis ex anguſtis ſtudiorum cancellis in campum liberum publice docendi. Rotundos, vt rotunde ad quaeſita, quae uobis incumbunt, et non per ambages, et, Sophiſtarum more, ambigue, reſpondeatis, doceatis. Uiolaceos, qui humilitati proprius color eſt, vt ſuperbiam deponatis, et non elato, vt illi, quos in Charlataneriae cenſum poſuimus, animo incedatis.

LIBRI.

LIBRI APERTI.

Libros uobis aperio, vt, antequam uos Magiſtros renuntiem, intelligatis, e quibus profeceritis magiſtris, eosque diligenter habeatis ante oculos, nec ideo, quod ipſi audiatis Magiſtri, prorſus credatis ex manibus deponendos. Neque tamen exiſtimetis, in omnibus rebus uobis, aeque ac tyronibus ad dictionaria ſua, ad libros eſſe recurrendum. Quapropter

LIBRI CLAVSI.

claudo iterum libros, auctorque uobis exiſto, ne uosmet mancipetis aliorum ſententiis, et multum quidem aliorum iudicio, ſed aliquid et ueſtro, tribuatis, continuo memores illius: amicus PLATO, amicus ARISTOTELES, ſed magis amica ueritas.

ANNVLVS.

Denique hunc annulum uobis induo, quo uos caſtiſſimae uirgini Sophiae deſponſatos vtique cupio, cui perpetuo uinculo coniuncti, nunquam patiemini uos vllis maleuolorum perſuaſionibus a ſapientiae tramite dimoueri.

His ita peractis, nihil ſupereſſe uidetur, quam vt uobis decretos ab Ordine noſtro honores ſolenni actu impertiar.

RENVN-

RENVNTIATIO.

Quod igitur aeternus et miſericors Deus, Pater Domini noſtri, Ieſu Chriſti, in diuini ſui nominis gloriam, Eccleſiae, Reipublicae Chriſtianae, et Academiae, ſalutem, ueſtrumque omnium honorem, atque emolumentum, bene uertat; Ego, IOANNES BVRCH. MENCKENIVS, Lipſienſis, I. V. D. Potentiſſ. Regis Poloniarum et Electoris Sax. Conſiliarius, et Hiſtoriographus, Hiſtoriarum in hac Academia Profeſſor Publicus, Ordinis Phil. Aſſeſſor, et hoc tempore Decanus, autoritate plena et poteſtate, a Spectatiſſimo Domino Procancellario mihi conceſſa, Uos, optimarum Artium, et Philoſophiae, Licentiatos, Uos, inquam, numero quatuor et triginta, omnes et ſingulos, abſentes, tanquam praeſentes, optimarum Artium, et Linguarum, Magiſtros, id eſt, uerae et ſalutaris Philoſophiae, facio, creo, Doctores, factos, creatosque, publica uoce renuntio, tribuens Uobis plenam poteſtatem docendi hic, et vbique, cum omnibus priuilegiis, iuribus, et commodis, quibus Magiſtrorum ordo, more antiquo, et recepta huius Academiae conſuetudine, vti frui con-

ſueuit,et quibus notis diſtingui eos a reliquis ordinibus maiores noſtri uoluerunt, in nomine Dei Patris, Dei Filii, et Dei Spiritus ſancti, Dei triunius, a quo, in quo, per quem, et ad quem, ſunt omnia, qui eſt totus, vnus, ipſe. Amen.

Quoniam uero Magiſtri praecipuae partes ſitae ſunt in docendo et explicando bonos Autores, vt Auditores etiam de hoc poſſint eſſe ſecuri, ſaxis, intelligant ii, qua dexteritate tu, I. C. O. Linguarum, Artium, et Philoſophiae, recens create Magiſter, qui primus in ordine adſtas, nobis iam breuiter penſum e libris Philoſophi ad Nicomachum explicare poſſis.

* * *

Credo, de uiribus tuis perſuaſum eſſe ſatis Auditoribus; quare non eſt, vt patientia illorum diutius abutamur.

Nunc, quod vnicum nobis reſtat, et ipſa in Deum et Superos pietas iubet, tu, C. G. B. Philoſ. Linguarum, et Liberalium Artium, Magiſter, felicem huic Actui colophonem decenti gratiarum actione imponas.

ORA-

ORATIO VIII, QVAE SECVNDA EST DE CHARLATANERIA ERVDITORVM. (*)

Magnifice Academiae Rector,
Spectatiſſime Ordinis Philoſophorum Decane,
Uiri ceteri excellentiſſimi,
Tuque, ornatiſſima Studioſorum Corona.

Ex quo primus omnium mortalium in maxima rerum praeſtantiſſimarum affluentia coepit nauſeare, coelumque ipſum petere ſtultitia, ita cunctos impleuit rerum nouarum ſtudio, vt, quo quis doctior prudentiorque habetur, eo flagrantius inſectetur ea, quae et mira, et ſtupenda, et a publico rerum ordine uidentur aliena. *Quod intellectu facillimum eſt*, vt SYNESII (**) uerbis vtar, *deſpicitur, prodigio-*

(*) Recitata eſt in Auditorio Philoſophorum A. 1715 d. 14 Febr. in publica Magiſtrorum renuntiatione.

(**) In *Encomio Calu.*

digioſae narrationes afferantur, oportet. Nimirum is demum de plauſu ſecurus eſt, qui, vti Amphion, vniones et gemmas allicere, vt Giges, oculis praeſentium ſe ſurripere, vt Ianus biceps, non minus futura, quam praeterita, intueri, et, vt Daedalus, per aera uolitare didicerit, monteſque aureos, inſulas errantes, minotauros, chimaeras, gryphos, ac difficiles nugas alias, crepet. Vt nihil dicam de APOLLONIO, THEOPHRASTO, CARDANO, atque aliis, qui, cum eſſent abſurdiſſimi, ſuos tamen admiratores inuenerunt, non poſſum quidem praeterire GVILIELMVM POSTELLVM, (*) qui, cum ſomnia ſua, atque deliramenta, de Uirgine Ueneta, quam matrem ſuam Ioannem appellare conſueuerat, publice exponeret in Collegio Lombardico, tantam auditorum multitudinem concitauit, vt plurimi, quos haud capiebat ſpatioſa area, ad feneſtras, admotis ſcalis, adreperent. Quae Fratres Roſeae Crucis, quanto hominum non obeſae naris plauſu, fuerint commenti, uir elegantiſſimus, GA-

BRIEL

(*) NAVDÈ *Inſtr. ſur l'Hiſt. des Fr. de la Roze-Croix p. 5.*

BRIEL NAVDAEVS, luculento, ac lepido, libello expoſuit. Quos porro non faſcinauit ars magna LVLLIANA, e coelo, ſi Diis placet, demiſſa ? Enimuero citius vtique e tenebris HERACLITI lucem, e dubitatione SOCRATIS certam ſcientiam, et e DIOGENIS ſtultitia ſapientiam elicias, quam ex illius logogryphis et thaumaturgicis micam ſalis. Et, cum nihil, vt uulgo ferunt, tam abſonum, nihil aeque ab omni ratione remotum, excogitari queat, pro quo non ſapientum aliquis, tanquam pro aris et focis, depugnauerit, ita non minus uere affirmauerim, neminem vnquam exſtitiſſe tam ſtolidum, tamque inſipidum prorſus, et inficetum, quin nactus fuerit aſſentatores, longe, vt par eſt, ſe ipſo ſtultiores. Neque enim defuere, qui cum HERACLITO primum principium, cum PARMENIDE rerum pluralitatem, cum PROTOGENE ueritatem ipſam negarunt, aut cum ANAXAGORA coelum lapidem, et niuem nigram, ſibi perſuaſerunt. Praererea, quamuis, vnum omnino Deum Opt. Max. non ſolum res humanas praeſentes omnes vno obtutu contueri, uerum et ea, quae futura ſunt, longisſime proſpicere, ipſa nos doceat reli-

gio, multi nihilo minus mortalium futuros rerum euentus curioſiſſimo oculo rimati ſunt. Non memorabo nunc MERLINVM, Anglum, IOACHIMVM, Germanum, SAVANAROLAM, Italum, IOANNEM, Pariſienſem, tum TELESPHORVM DE CVZENTIA, DANDALVM, RVSTICANVM, VBERTINVM DE CASALI, LOLLIARDVM, NOSTRADAMVM, Lichtenbergenſem, et febriculoſos centum alios, (*) quorum quidem ſomnia haud infimi ſubſellii uiri eruditi, ARNALDVS DE UILLANOUA, CYPRIANVS LEONICENVS, et CVSANVS, Romanae Eccleſiae Cardinalis, auidiſſimis auribus excepere; quin potius hominem nouum producam, ISAACVM BICKERSSTAFF, Anglum, qui, ſiue ſerio, ſiue vt ueſanae hominum curioſitati illuderet, tot portentoſas ſummorum Principum mortes eodem anno annuntiare auſus, non Angliam modo, uerum et orbem vniuerſum, diu anxium tenuit et ſolicitum. Quae cuncta dum recta lance perpendimus, haud aliter profecto comparata

(*) NAVDE *l. c. p. 6.*

parata uidentur, atque Empiricorum deliria, qui, vt miſeram plebem illiciant ac fallant, mimos, et praeſtigiatorum omne genus, ſimiasque, et mures alpinos, alunt, atque inter haec iactitantes ſua pharmaca, panacaeas, emplaſtra, ſpectatorum marſupia callidisſime emungunt. Iam pridem, ni fallor, intellexiſtis, Auditores, quorſum mea tendat oratio. Nam, cum de Charlataneria Eruditorum generatim ex hac ipſa cathedra dicere coeperim abhinc biennio, reſtabat, vt hoc tempore, quo Procancellarii munus in me delatum uideo, quae dicenda ſuperſunt, reliqua paullo diſtinctius percenſerem. Quod dum paro, id mihi curandum praecipue intelligo, ne circulatorum, quos rideo, conſuetudinem ipſemet amplecti deprehendar, neue in ipſo orationis meae limine nimio ambitu vtar, uerbisque ſeſamo, quod aiunt, et papauere ſparſis ad arrigendas aures uos exſtimulem, Auditores. Nihil enim addo, praeter ueterem formulam: linguis animisque fauete.

Prima nobis prodeat Grammaticorum, ac Criticorum, gens aſpera, et ferox, qui, cum pueros ad uirgam obſequentes ha-

buere in ſcholis, nulli eruditorum parcunt, et in ipſum orbem Romanum, Graeciamque vniuerſam, principatum quendam ambitioſe ſibi uindicant. Siue enim Graecus, ſiue Latinus, Scriptor proponatur, non tam id agunt, vt ſcite et appoſite dicta euoluant, ac nitori ſuo reddant, quam vt nodum quaerant in ſcirpo, et ad manuſcriptos codices confugiant, uariasque lectiones, nullo habito delectu, cumulent; tum uero vrere, ſecare, et nihil a uirgula cenſoria intactum relinquere. Et, quanta, quaeſo, litigia, quanta bella, exoriuntur, ſi ab iſtis Hypercriticis, et Pantocriticis, uel latum vnguem diſceſſeris! Neque enim dubium vllum eſt, quin laeſae maieſtatis literariae reum te acturi continuo, et de lana caprina litem intentaturi ſint grauiſſimam. *Itaque ars critica*, vt loquitur noſtri temporis TVLLIVS, (*) *quae diſcrimen erat ueritatis, et temporum, atque falx errorum, nunc ſeditionum literariarum fomes, ac turbo ingeniorum, euaſit.* Hi nimirum ſunt illi cenſores CATVLLIANI, qui *uecordem ſolent exci-*

(*) GRAUINA *Orat. III p. 137.*

excitare rixam, *vt ueniant in ora uulgi.* Quos inter exercitum e ueteribus ducit ASINIVS POLLIO, qui et LIVIO, et SALLVSTIO, et ipſi Romanae eloquentiae patri, CICERONI, ſuos naeuos exprobrabat. Referunt de FRANCISCO PHILELPHO, quod, cum de vnius uocabuli Graeci genuino ſenſu barbam ſtipulatus eſſet cum TIMOTHEO, uictorque demum euaſiſſet, nullis TIMOTHEI precibus adduci potuerit, vt barbae parceret; diſciſſam vtique barbam, uelut ingens trophaeum, circumferens in triumpho. Et plerumque ſane circa minutias et quisquilias occupantur homines iſti, qui et Graecorum morbus fuit, qui, (*) *quem numerum remigum Vlyſſes habuiſſet? priorne eſſet ſcripta Ilias, an Odyſſaea?* et ſimiles quaeſtiunculas alias, miro conatu agitabant; et Romanis adeo familiaris erat, vt ipſe TIBERIVS, Imperator, (**) minutiarum illarum vſque ad ineptias, et deriſum, ſtudioſus, his plerumque quaeſtionibus exerceret Grammaticos: *Quae mater Hecubae? Quod Achilli*

(*) SENECA *de Breu. uitae Cap.* 13.
(**) SVETONIVS in *Uita eius Cap.* 70.

li nomen inter uirgines fuiſſet? Quid Sirenes cantare ſueuerint? et reliqua. Et hinc de re minima uaſta ſaepe uolumina conſcripta uideas. Nam et NICANOR, Grammaticus, ſex libros de puncto Grammatico compoſuit, et MESSALA CORVINVS de litera S, ac MART. FOGELIVS de Germanorum litera B, prolixius diſſeruerunt; (*) vt taceam AGNVM BENIGNVM SANREY, qui de recta nominis Paracleti pronuntiatione integrum Tractatum ſcripſit, et alios. Neſcio uero, an non et inter inanes lites noſtris temporibus referri debeant illae, quae BENTLEIVM et BOYLIVM, FABRETTVM et GRONOVIVM, CLERICVM et BVRMANNVM, et nuper KVSTERVM et PERIZONIVM, de vnica uoce *cerno* diſputantes, exercuerunt, quos ſummos in re literaria uiros, noſtrique aeui heroes, par erat in re magis ardua laborem poſuiſſe. Sed, vt ad Pſeudo-Grammaticos reuertar, nemo illos expreſſit luculentius ANTONIO BYNAEO, cuius uerba, uix temperare mihi poſſum, quin hoc loco repetam.

(*) Uid. LILIENTHAL *de Machiauelliſmo liter. p. 115.*

petam. Ita uero ille: (*) Omnis cogitatio et induſtria horum hominum in leuibus, et minimi momenti, rebus tota uerſatur. Hi uietas et rancidas tantum obſeruatiunculas proferunt, quaſi, iis ignoratis, Respublica literaria periret; ac in eo diſputant: *Virgilius ſcribendum ſit, an Vergilius?* et *Noctium Atticarum autor uocandus Agellius, an Aulus Gellius?* Tales quaeſtiones hi uani homines, et ſui oſtentatores maximi, auide captant et arripiunt, ex tali muſtaceo laureolam quaerunt, totamque in nugis iſtiusmodi terunt aetatem. Hos Capita, et Diatribas, conſcribere uideas, ſi non integra Uolumina, de antiquis illis naeniis: *Homerus, an Heſiodus, ſit natu maior?* et reliqua. Si manuſcriptum aliquod nacti fuerint, qualia ſummo ſtudio vndique conquirunt, et e Bibliothecis eruunt, ac in eo uocem aliquam, paullo aliter, quam in editis, ſcriptam, repererint, uel literam mutatam, ſtatim corrigunt, et εὕςοχον quam maxime clamant, maioremque gloriam in tam bella inuentione collocant, quam ſi Baby-

(*) In SOMNIO *p. 12, 13.* Conf. LILIENTHAL. *l. c. p. 110.*

Babylona, uel Troiam ipſam, expugnaſſent, ac de literula, uel ſyllaba, triumphant, quas iugularunt. Tum, quicquid non implet, vt ipſi ſolent dicere, aures ipſorum, uel non Latinum ſatis uidetur, ſtatim de mendo ſuſpectum habent, ac ex coniectura illud corrigunt, uel, ſi uerum audire uelint, corrumpunt, et loca ſana lacerant, diſtrahunt, ac peruertunt. Ueri librorum carnifices et peſtes, qui Auctores vrunt, ſecant, mutilant, ac pro ſuo lubitu eorum membra transponunt, et monſtra quaedam ex iis conficiunt. Adeo, vt iam uere dici poſſit, quod de HOMERI exemplaribus olim dictum eſt: Auctores multo meliores et emendatiores eſſe, qui minime ſunt emendati. Hactenus BYNAEVS. Ceterum horum morem callidiſſime aemulatus eſt, quisquis ſub CHRYSOSTOMI MATHANASII perſona nuper admodum acerbam in Criticos Satyram Gallico ſermone conſcripſit. Sed (*)

Cedite, Grammatici, magno quibus ilia faſtu

Incon-

(*) BARLAEVS *Poem.*

Inconſulta tument, delapſaque litera ſede
Sufficit ad bellum, uel iniquum comma minaces
Exacuit calamos, et tanti ſcena paratur
Nominis.

Proxime hos conſequuntur illi, qui perſuadere nobis cupiunt, quaſi linguas deuorauerint omnium gentium, eoque ad ſe potiſſimum pertinere uolunt illud Apoſtoli: *Gratias ago Deo meo, quod omnium ueſtrum linguis loquor.* Ita inter admiranda Fratrum Roſeae Crucis id quoque celebratum eſt, (*) quod in vniuerſo terrarum orbe diſperſi, vbique tamen linguam habuerint propemodum uernaculam, et vſque adeo familiarem, vt in ea nati uiderentur atque educati. GUILIELMVS POSTELLVS linguas quindecim, ANDREAS THEUET octo et uiginti, ita callebat, vt expeditiſſime loqueretur; at IOSEPHVM SCALIGERVM, qui ne quidem vnicam ſe ignorare gloriabatur, quam diuitem linguarum fuiſſe exiſtimatis, Auditores, ſi in noſtrum

(*) NAVDE' *Hiſt.* p. 94.

ſtrum orbem quadrarent, quae de ſeptimi coeli habitatoribus MAHVMEDES impudentiſſime effutiuit, *quorum* nimirum *quisque habebat ſeptingenta millia capitum, et in quolibet capite ſeptingenta millia ora, et in quolibet ore mille ſeptingentas linguas, laudantes Deum ſeptingentis millibus idiomatibus.* Nec deſunt recentiſſima iactatorum horum exempla, de quibus haud immerito dixeris, quod SELESTADIVS olim, Poeta, de Hiſpanis:

Si, quantum linguae, tantundem cordis haberent,
Non foret aetherea tutus in arce Deus.

Iam, vt ad Oratores tranſeam, non morabor illos, qui, vt infamem Sophorum appellationem uitarent, Sophiſtae uocari maluerunt. Iſti res in aprico poſitas, ac cunctis Scriptorum calculis probatas, conquiſitis vndique ratiunculis, in dubium uocare audent, Iliumque nunquam captum, aut magnum illum Alexandrum meticuloſum, Helenam imbellem ac deformem, in theatrum trahunt; pocula et libidines,

dines, et quicquid eſt flagitiorum, multo uerborum apparatu commendant; ipſamque ſtultitiam, febrim quartanam, podagram, caluitiem, aſinum, muſcam, pulicem, laudibus ad coelum extollunt. Nam et iſti quid aliud agunt, quam vt falſis ac fictitiis rerum imaginibus ludentes, gloriolam captent apud illos, qui nihil, niſi quod aures blande titillet, admirantur, ac genuina artis Rhetoricae praecepta nunquam deguſtarunt. Itaque, dum phaleras ſectantur, et figurarum omne genus, et amplificationes afferunt portentoſas, ipſum orationis neruum amittunt. Id quod de iis quoque non incongrue dixerim, qui, e rhetoricis CHRISTIANI UUEISII prodeuntes, nihil ſe eximium conari poſſe, credunt, niſi uel ſymbolis, atque emblematibus, e PICINELLO, SAAUEDRA, uel PETRASANCTO, ſolicite corrogatis, cunctos parietes impleuerint, uel ingenioſo quodam numiſmate donauerint auditores ſuos, ueluti oculos faſcinaturi, aut manus deauraturi eorum, quorum mentibus imponere laborant. Praecipue uero hic de ſaltatione rhetorica, et rhetoriſmo hiſtrionico, dicendum nobis uidetur: quandoquidem hodie ple-

pleroſque deprehendimus (*) mira uocis contentione, uultu multiformi, oculo uago et petulanti, iactatis brachiis, ſaltantibus pedibus, laſciuientibus lumbis, ac uariis motibus, inuerſionibus, circumductionibus, reſupinationibus, ſaltibus, geſticulante toto corpore, animi uidelicet mobilitate ipſum ſecum uoluente, ad populum proclamare, memores fortaſſis DEMOSTHENIS ſententiae, qui (vt eſt apud VALERIVM) interrogatus, quidnam eſſet in dicendo efficaciſſimum? reſpondit: hypocryſis; iterum deinde, et tertio, interrogatus, idem dixit, ac, pene totam dicendi uim huic deberi, affirmauit. Equidem haud ignoramus, SOCRATEM, PLATONEM, CICERONEM, QVINTILIANVM, ac Stoicorum plurimos, artem illam admodum vtilem Oratori, immo et neceſſariam, exiſtimaſſe, quatenus nimirum apto quodam corporis geſtu, uultus et corporis compoſita adformatione, conſtat, tum uigore oculorum, pondere uultus, accommodatoque ſingulis uerbis et ſententiis ſono uocis, et efficaci corporis motu, ad ea, quae expri-

(*) AGRIPPA *de Uan. Sci. Cap. 21.*

exprimuntur. Quod cum intelligeret PETRVS FRANCIVS, artificium, iam pridem deperditum, quaſi poſtliminio reuocare coepit, et nouam quodammodo *eloquentiam* commentus eſt, quam *externam* uocauit. (*) Itaque adoleſcentes continuo duxit ad ſpeculum, vt, quomodo et ora, et oculos, ipſasque manus, ad ſingulas uoces componerent, hoc ueluti magiſtro diſcerent; tum uero nouos Roſcios prodire in theatrum, ac declamare iuſſit Orationem quandam Romanae eloquentiae patris, CICERONIS, ingenti vtique Auditorum plauſu, qui ad rem nouam, vt ſolet fieri, non leuiter commouebantur. Uerum tantum abeſt, vt eloquentiam, vt potius affectationis turpiſſimum uitium, cum Thraſoniſmo iſto diſcipulis ſuis inſtillauerit FRANCIVS, uir alioquin laude ſua nequaquam fraudandus.

Pergimus ad Hiſtoricos, qui, cum res geſtas ſummorum Principum, aut familiarum origines, deſcripſere, non minus in Charlataneriae, quam uocamus, uitium inci-

(*) Uid. *Specimina Eloqu. externae*, et *Orat. pro Eloqu. in Poſthum.*

inciderunt. Quidam, vt ad LIVII gloriam quam proxime accedant, hiſtoriolas ſuas longis atque taedioſis Orationibus inferciunt, adeo, vt barbaris etiam hominibus tribuant ingenioſiſſimos ſermones, id quod in PAVLO AEMYLIO, Gallico Scriptore, plures adnotarunt. Alii, quaſi de lectoribus deſperent, niſi oculos iucundo ſpectaculo oblectent, ſingulas paginas ſcitiſſimis figuris exornant, et, quod ridiculum, pugnas quoque ipſas, et uelitationes, nullo ſaepe ordine geſtas, ſolicite depingunt; qui non magis mihi ſapere uidentur, ac primi illi librorum, figuris diſtinctorum, editores, qui, quoties uel vrbis alicuius, uel praelii, uel uiri, aut foeminae, illuſtrioris meminere, eandem nobis tabulam identidem exhibent, id quod in STVMPFFII, et DRESSERI, Chronicis, nec non in PANTALEONIS Proſopographia, aliisque ſuperioris aeui libris plurimis, deprehendimus. Sed et minus meo iudicio ferendus IOANNES PALATIVS, qui, vt genio ſeculi, quo res nummaria florebat, placeret, exſangue et elumbe Hiſtoriae ſuae corpus oppleuit numiſmatibus, ſed adulterinis, ex otioſo ipſius cerebello

pro-

profectis. Alii, quo tutius adblandiantur ſuis Maecenatibus, et lectoribus obtrudant fabulas Mileſias, neſcio quae tabularia, quos codices, iactant, et eruta ex obſcuris latebris manuſcripta; quos inter artifices nequisſimos principem locum merentur, e noſtris GEORGIVS RVXNERVS, (*) qui, vt familias quorundam nobilium extolleret, ad Magdeburgici codicis, quem nemo uidit, fidem prouocabat, et ex Gallis ANTONIVS UARILLASIVS, qui, quoties genio indulget, ſpiſſa manuſcriptorum nube ſe tuetur. Taceo falſarios et ſycophantas alios, qui integros libros nobis dedere, ANNIVM UITERBIENSEM, qui BEROSI, Chaldaei, Antiquitates, INGHIRAMVM, hominem Florentinum, qui Antiquitates Etruſcas, ANT. DOMINICVM FLOCCVM, qui L. FENESTELLAE librum de Magiſtratu et Sacerdotio Romano, HIERONYMVM ROMANVM DE LA HIGVERA, (**) qui FLAUII LVCII DEXTRI, MARCI MAXIMI, (***) BRAVLIONIS,

(*) *Bibl. des Hiſt. p. 175.*
(**) Ib. *p. 324.*
(***) Ib. *p. 225.*

LIONIS, et HELECAE, ANT. LVPIANVM ZAPATAM, qui HAVBERTI, et GREGORIVM DE ARGAEZ, qui LIBERATI Chronica excogitauit. Neque ex his quisquam tam bardus fuit aut ineptus, quin ex uetuſtis codicibus accurate omnia deſcripta praedicaret; quin et aliqui, quod de ZAPATA inprimis fertur, quo facilius fidem inuenirent, ſe furto abſtuliſſe codices e Bibliothecis exteris, Lectoribus ſuis perſuadere conati ſunt, uel noua ſubinde Chronica confinxerunt, quod de ARGAEZIO conſtat, vt ſpuriis, antea editis, autoritatem conciliarent. Uerum, vt hi onerant Annalibus ſuis orbem literatum, quos aeterna nocte ſepultos praeſtabat, ita ſunt alii contra, qui ſplendidos Hiſtoriarum libros publice nobis pollicentur, eoque nomen ſibi comparant inter Hiſtoricos primi ordinis, quos tamen, cum diem obierint, ne per ſomnium quidem ea de re apparet cogitaſſe. Quo nomine IOANNEM FRANCISCVM CARRETTONIVM non ineleganter arguit ERYTHRAEVS, (*) cui, cum idoneus eſſet habitus, cui Societatis

(*) *Pinac. Cap. 63.*

tatis ſuae annalium confectio demandaretur, non ſolum ſtatim id, gloriae et oſtentationis cauſa, diuulgauit, uerum et iterum iterumque gloriatus eſt, perfecturum ſe, vt omnes intelligerent, neminem eorum, qui uiuerent, maiori, quam ipſum, eloquentiae, ceterarumque uirtutum, inſtructu apparatuque ornatum, ad ſcribendam Hiſtoriam acceſſiſſe. Sed tam magnificum dictum, vtpote plenum uanitatis ac ſpiritus, tenues abiit in auras, nec adhuc annalia, quae nemo vnquam eſt inſpecturus, apparent. Et noſtis, Auditores, quae inter noſtros Uir magni nominis de uita LEOPOLDI M. et inter Batauos de rebus geſtis UUILHELMI III, Regis Magnae Britanniae, Hiſtoriographus eius minatus fuerit, quorum in ſchedis, poſtquam e uita diſceſſere, uix vna atque altera lineola, quae huc faceret, reperta eſt. Quotusquisque eſt porro Hiſtoricorum, qui non in ipſo limine omnia ad vnam ueritatis regulam exactiſſimam redacta liberaliter polliceatur, quos ipſos tamen, cum inter ſe componimus, rariſſime uidemus conſpirare. HERODIANVS ALEXANDRVM, MAMMAEAE filium, accuſat, quem laudant LAMPRIDIVS,

aliique; IVLIANI uirtutes commendant AMMIANVS MARCELLINVS, et MONTANVS, cuius uitia perſtringunt alii: DIO facta BRVTI et CASSII damnat, probat contra PLVTARCHVS: PATERCVLVS SEIANVM extollit, plerisque aliis exoſum: CLAVDIANVS RVFFINVM proſcindit, ARCADII praeceptorem, quem ZOSIMVS, ZONARAS, EVTROPIVS, et PAVLVS OROSIVS, ſummis laudibus afficiunt. Sed, miſſis his, in quibus enarrandis dies non citius, quam dicendi materia, deficiet, eorum quoque attingenda eſt temeritas, qui in re Genealogica ad primam ſtirpem deſcendere audent. Nam, vt taceamus ueterum gentilium inſaniam, qui Principes ſuos Deorum ſanguine procreatos mentiebantur, aut eorum, qui gentium origines tradidere, et Hiſpanos a TVBALE, IAPETI filio, Cambros a GOMERO, altero eiusdem filio, Britannos a BRVTO, Francos a FRANCIONE, PRIAMI, aut HECTORIS, filio, Brandenburgicos a BRENNO, ab aliis alios, arceſſiuerunt, illud profecto dignum riſu ac multo cachinno, (*)

FRAN-

(*) *Oeuvres de* LA MOTHE LE VAYER *T. I ed. in fol.* NICHOLSON *Scotch Hiſt. Libr. p. 140.*

FRANCISCVM SANDOVALLIVM, Hiſpanum, CAROLI V, Imperatoris, VVILHELMVM SLATYER, Anglum, IACOBI I, Angliae Regis, et IOANNEM MESSENIVM Regum Sueciae, familias inde ab Adamo, primo omnium parente, non interrupta per tot capita ſerie, deduxiſſe. Neque felicius, vt arbitror, operam ſuam collocarunt IACOBVS ZABARELLA, qui IOANNIS CASIMIRI, Poloniae Regis, et GODOFREDVS SIEGFRIED MEGANDER, qui CHRISTIANI, Saxoniae Ducis, cum Regibus ac Principibus Europae tantum non omnibus cognationes, deſcriptis pluribus tabulis, delinearunt.

Accedo ad Poetas, genus hominum lepidum et facetum, ſed et inflatum et arrogans, de quibus, niſi alia dicenda ſupereſſent, latiſſimum vtique haberem diſſerendi campum. Nimirum, ex quo ita perſuaſum fuit nonnullis, quaſi ex ipſo Poetarum patre, HOMERO, rerum omnium humanarum atque diuinarum fontes deriuari poſſent, incredibilis profecto faſtus inuaſit cunctos, qui in re poetica fuere uel leuiter exercitati. Nam, vt olim ACCIVM LVCIVM, Poetam, cuius uix nomen ad nos propaga-

tum eſt, IVLIO CAESARI, in Collegium Poetarum uenienti, nunquam aſſurrexiſſe conſtat, quod tantum Imperatorem in carmine multo ſe putaret inferiorem, ita inuenti ſunt ſequioribus temporibus longe plurimi, qui neminem poematis gloria parem ferre potuere, nedum ſuperiorem. Vnus nobis inſtar omnium erit BELMONTES CAGNOLVS, Abbas Italus, (*) qui, cum Aquileiam captam, ſoloque aequatam, carmine deſcripſiſſet, nomen ſuum in toto orbe celebratum arbitrabatur, eoque, ſi literatus aliquis ei continuo non aſſurrexiſſet, elatus iracundia hiſce hominem uerbis increpabat: Itane? Abbas CAGNOLVS, euerſae Aquileiae, et tantorum carminum, Auctor, tuam potuit notitiam effugere? Non fit ueriſimile. Cumque in Humoriſtarum coetu carmina quaedam horrida et inculta recitans, omnium in ſe riſus excitaſſet, quid ridetis, inclamabat, inſani? Ego ſum ille Abbas CAGNOLVS, omnium, qui ſunt in hoc numero, multo antiquiſſimus, quique ex dirutae Aquileiae poemate tantam mihi gloriam famamque collegi, vt nullus in terra

(*) ERYTHR. *Pinac. Cap.* 2.

ra uiuat, cuius nomen ſit apud omnes illuſtrius et clarius. Et quid mirum, criſtas erexiſſe Poetas, quos ab ipſis ſummis Principibus, aliisque ſpectatiſſimis in Republica uiris longe plurimis, in deliciis habitos, magnisque honoribus, ac praemiis, affectos fuiſſe, nouimus. ALEXANDER M. cum ad tumulum conſtitiſſet ACHILLIS, eum hoc vno beatum praedicabat, quod praeconem uirtutum ſuarum HOMERVM nactus eſſet; et, niſi Ilias exſtitiſſet, inquit TVLLIVS, idem tumulus, qui corpus contexerat, nomen quoque obruiſſet. AVGVSTVS uerſus in laudem Aeneidos ipſe componebat, vt uel ſic abſterreret illos, qui, ad ipſius MARONIS moribundi praeceptum, praeſtantiſſimum poema igne cremari, ac ſubduci poſteritati, cupiebant. Et, vt alios taceam inter recentiores, qui, modicis carminibus ingentes diuitias collegerunt, non poſſum certe hoc loco praeterire PETRVM RONSARDVM, (*) qui non modo tanta apud Regem CAROLVM IX gratia florebat, vt cum illo carminum certamen inire non detrectaret, ſed et ob vnam poematis gloriam

(*) *Nouv. Oeuvr. de* M. LE PAYS *T. II p. 182.*

riam ab ELISABETHA, Angliae Regina, adamante pretioſiſſimo, et a MARIA Scotica ſupellectile aurea et argentea, donari meruerit, dictumque uulgo fuerit, nunquam Galliam ex triſti luctu, quem ob captiuitatem FRANCISCI I, Regis ſui, conceperat, colligere ſe potuiſſe, niſi RONSARDVS eo ipſo die, quo FRANCISCVS captus eſt, miraculo quodam in lucem editus fuiſſet. Memoratu dignum eſt, quod de CAMILLO QVERNO refert Scriptor diſertus, PAVLVS IOVIVS. Is, inquit, (*) e Monopoli LEONIS X, Pontificis, fama excitus, cum non dubiis vnquam praemiis Poetas in honore eſſe didiciſſet, in vrbem uenit, lyram ſecum afferens, ad quam ſuae Alexiados ſupra uiginti millia uerſuum decantaret. Arriſere ei ſtatim Academiae ſodales, quod APVLVS, praepingui uultu alacer, et prolixe comatus, omnino dignus feſta laurea uideretur. Itaque ſolenni exceptum epulo in Inſula Tiberi, AESCVLAPIO dicata, potantemque ſaepe ingenti patera, et totius ingenii opes, pulſata lyra, proferentem, nouo ſerti genere coronarunt.

(*) *Elog. P. II p. 156.*

runt. Id erat ex pampino, braſſica, et lauro, eleganter intextum, ſic, vt tam ſalſe, quam lepide, eius temulentia braſſicae remedio cohibenda notaretur, et ipſe publico conſenſu *Archipoetae* cognomen, manantibus prae gaudio lacrymis, laetus acciperet, ſalutareturque itidem cum plauſu, hoc repetito ſaepe carmine:

Salue braſſicea uirens corona,
Et lauro, Archipoeta, pampinoque,
Dignus Principis auribus Leonis.

Nec multo poſt tanto cognomine percelebris productus ad LEONEM, infinita carmina in torrentis morem rotundo ore decantauit, fuitque diu inter inſtrumenta eruditae uoluptatis longe gratiſſimus, cum, coenante LEONE, porrectis de menſa ſemeſis obſoniis, ſtans in feneſtra, ueſceretur, et de Principis lagena perpotando, ſubitaria carmina factitaret, ea demum lege, vt praeſcripto argumento bina ſaltem carmina ad menſam tributi nomine ſoluerentur, et in poenam ſterili uel inepto longe dilutiſſime foret perbibendum. Itaque, cum aliquando, vt idem IOUIVS teſtatur, de ſe canere iuſſus, in hunc hexametrum erupiſſet:

Archi-

Archipoeta facit uerſus pro mille Poetis,

et demum haeſitaret, illico Pontifex perargute addebat pentametrum:

Et pro mille aliis Archipoeta bibit.

Etenim et longe plures commemorari poterant Poetae, qui genium mero ſolicitare paullo largius conſueuerunt, niſi temporis habenda eſſet ratio. At de Poetis laureatis nonnihil hoc loco dicendi peroportuna nobis naſcitur occaſio, quippe qui non minus, ac uictores in Olympicis, ſibi placent, et quendam quaſi in Poeſi dominatum erigunt. Ipſe PETRARCHA, (*) qui primus fere honorem illum conſecutus eſt, non alio in loco Romae, quam quo Imperatores Romani conſueuerant, coronari uoluit; et conſtat (**) de LVDOVICO ARIOSTO, quod, cum ab ipſo Imperatore, CAROLO V, lauream accepiſſet, tanto repente gaudio fuerit perfuſus, vt, uelut oeſtro percitus, per omnes plateas curſitauerit, ipſo ROLANDO furioſo, quem carmine deſcripſerat, longe furioſior. HENRICVS

(*) *Nouv. Oeuvr. de* M. LE PAYS *T. II p. 186.*
(**) LASSEL *Voy. d'Ital. T. II p. 244.*

VS LORITVS GLAREANVS, (*) cuius t ſupra mentionem fecimus, a MAXIMI-IANO I, Imperatore, corona poetica donaus, cum, peregrinos aliquos ſe ipſum uiſenli gratia, acceſſiſſe, audiuiſſet, tum laurea inlutus, et aurea torque ornatus, ac conclaue :legans et amplum ingreſſus, et in hemicyclum ſe recipiens, ſedebat immotus, perınde atque illos non uideret, qui acceſſerant, atque ita etiam abire patiebatur. Et relatum accepimus de SIMONE DACH, cuius eſt in Boruſſia nomen celebratiſſimum, nunquam eum in publicum prodiiſſe, quin corona, ac ceteris ornamentis, quae Poetam laureatum decent, fuerit inſignitus. Deinde illud quoque praecipuum habent Poetae, quod ingenii ſui foetus, perinde vt canis catulos ſuos, amant et lambunt, et praematuro ſaepe partu in lucem protruſos, centies praelegunt amicis ſuis ac patronis, et, cum alios non inuenerint, quorum aures obtundant, nouem Muſas cum Apolline prouocant, vt numerum faciant. Quin et noua comminiſcuntur carminum genera, Choriantica, Aſclepiadica, Dicola, Diſtro-

(*) PARAUICINI *Singul. de uir. cl. p. 81.*

Diſtropha, Tetraſticha, Acroſticha, et neſcio quae alia, in quibus non, quod pueri in faba, inueniſſe ſibi uidentur. Taceo ueſanam illorum fingendi ac mentiendi libidinem, qui uel cum ARIOSTO illo, de quo modo diximus, cum hippogryphis ex luna deſcendunt, uel cum TYPHONE apud NONNVM, (*) ſe aurigaturos coelum, immo octies maius effecturos, quod hoc noſtro capi ſatis non poſſent, et nouis nuptiis copulaturos ſtellas, vt coelo plenior ſit ſoboles, ineptiſſime ſomniant. Nec quidquam addam de *furore*, quem uocant, *poetico*, cui Θεῖον quidpiam ineſſe, ſibi perſuadent; quamuis illum quoque facillime trahi poſſe in rem noſtram, nemo ibit inficias.

Nunc, vbi ad doctrinam Logicam, et Metaphyſicam, delabimur, proh quantum vbique ineptiarum deprehendimus! (**) Quis enim ferat tot uanas et inutiles digladiationes, de formalitatibus, haecceitatibus, quidditatibus, intentionibus, ſuppoſitionibus, exponibilibus, reduplicatiuis, parti-

(*) In *Dionyſiac.*
(**) Conf. AGRIPPAM *de Uan. Sc. Cap. 8.*

particularifationibus, ſuppoſitis, mediatis et immediatis, complexis et incomplexis, (iam ſpiritus me deficit) breuiter, tot intolerandis ſubtilitatibus, cum quibus ſi CLEANTHIS aut CHRYSIPPI argutiae vna cum DAPHITAE, EVTHYDEMI, DIONYSIODORI, circumuentiunculis componantur, penitus craſſae ruſticanaeque futurae ſunt. Enimuero, etſi iam pridem a noſtris exploſas nouimus Scholaſticorum quaeſtiunculas, tot belliſſimis Sophiſticationibus inuolutas: *vtrum* ſcilicet *Deus in firmamento ſit in aliquo praedicamento? Num Magiſter noſtrandus, an noſter Magiſtrandus, dici debeat? Quodnam maius ſit miraculum, an, ſi elephas aeque exiguus fuerit, ac pulex, an uero, ſi pulex magnitudine ſua aequauerit elephantem?* aut *num chimaera in uacuo bombillans poſſit comedere ſecundas intentiones?* Adhuc tamen monſtra illa uerborum, perterrefaciendis pueris inuenta, *barbara*, ſcilicet, *celarent*, *darapti*, *feriſon*, et ſimilia, ſtudioſe colimus, ac tuemur. Prorſus vt ad noſtra quoque tempora accommodatum uideatur Epitaphium, quod barbaris ſeculis quiſquiliarum harum

rum patrono poſitum accepimus: (*)

Hic iacet Magiſter noſter,
Qui diſputauit bis aut ter,
In barbara et celarent,
Ita, vt omnes admirarent,
In ſapeſmo et friſeſimorum,
Orate pro animas eorum.

Memini, B. Parentem meum ita olim his ineptiis occupatum fuiſſe, vt ſaepe poſtea exſecratus fuerit tot horas atque dies, futili labori conſecratos, quos multo rectius inſumſiſſet illis ſtudiis, quae deinde, cum ad ſe rediiſſet, non ſine aliqua laude tractauit. Et dignus eſt auribus ueſtris titulus, Auditores, thematis prope inextricabilis, quod admodum iuuenis ad capeſſendum inter Magiſtros Ienenſes locum (nam iura ipſa Magiſterii apud nos iam adeptus fuerat,) publice in Academia Salana propoſuit: *De Praeciſione inter creata realiter identificata, num obiectiua ſit, an uero tantum formalis?* Etenim audax facinus et temerarium uiſum eſt omnibus, quod uir imberbis, et aliunde in hanc altercationis ſphae-

(*) NAVDE' *Hiſt. des Fr. de R. C. p. 92.*

ſphaeram delatus, rem vſque adeo perplexam, et abſconditam, in cathedram deducere, et cum exercitatiſſimis uitilitigatoribus ac logodaedalis in arenam deſcendere, non dubitaret. Gloriabatur ante alios ex Adiunctorum, quos uocant, Facultatis Philoſophicae ordine aliquis, (quem, neſcio, num ſubtilitatibus iſtis, ad dementiam demum adactum, conſtat,) uir vtique acutiſſimus, quem, non ſecus, atque olim RAYMVNDVM LVLLVM, radium mundi, et uirum illuminatum, uocabant diſcipuli, ſe Lipſienſem iſtum iuuenem mire depexum daturum, et ducturum ad abſurdum. Fit pugna: torquentur in noſtrum tela acerrima, intermixtis haud parce ſcommatibus, quae, probe norunt Athletae iſti, quantum faciant ad excitandos riſus et cachinnos. Sed non minus ille fortiter cuncta excipiebat, et iuuenili paullatim ardore inflammatus, hoſtem crudeliſſimum redigebat ad incitas, uictoriamque omnium confeſſione luculentiſſimam deportabat. Pungebant haec non parum aduerſarium; quare, vt nouum aemulum in inuidiam adduceret apud ſtudioſos iuuenes, proximo ſtatim poſt pugnam die ex ualuis publicis indi-

cabat, ſibi propoſitum eſſe, docere iuuentutem, qua ratione non tantum Opponens, et Reſpondens, uerum et Praeſes maxime, in congreſſibus diſputatoriis prudenter ac modeſte ſe gerere debeat. Quibus uix auditis, noſter ex iisdem ualuis annuntiabat ſcholas nouas, in quibus, quo ordine, quaue modeſtia, non modo Praeſidem, et Reſpondentem, uerum et praecipue Opponentem, vti conueniat, demonſtraturum ſe, pollicebatur: id quod incredibili omnium concurſu haud infeliciter praeſtitit. Sed iuſto longius me abduxit dulciſſima Parentis mei memoria, cuius hic mentionem me feciſſe, eo minus indecorum arbitror, quod ipſe, quoties iſta narraret, fateretur ingenue, ſe illo tempore, quo tenerum animum inuaſerant nugae illae, fuiſſe omnium, quos ſol adſpicit, ſtultiſſimum. *Nihil* enim, vt SARISBERIENSIS loquitur, (*) *eſt infelicius, quam in eo, in quo minimum proficias, plurimum laborare.*

De diſciplinis practicis nihil dicam. Ecquis enim ineptias quaeſiuerit inter eos, qui

(*) In *Policratico.*

quî primi omnium animum hominis ad ſapientiam et uirtutem componunt? Quamuis nec hic quidem prorſus ſterilis nobis futurus ſit ager, ſi uel vnam de affectibus doctrinam conſideremus, cum alii in perſpiciendis aliorum affectibus lynceos oculos, alii in fraenandis eradicandisque propriis, uires herculeas iactitent. Notae ſunt Stoicorum nugae, qui ſapientem credidere neminem, niſi qui perturbationum prorſus expers, hoc eſt, homo marmoreus, aut ſtipes, fuerit. Quos imitati ſunt quodammodo ALOYSIVS LVISINVS, AELIVS PEREGRINVS, aliique ſexcenti, qui ad compeſcendas ſuffocandasque feras animi libidines duriſſimas leges propoſuerunt. Et quis neſcit, noſtris temporibus exſtitiſſe plures, qui nouam quandam artem exploratoriam commenti, intimos mentis humanae receſſus perreptarunt, et irae, auaritiae, cupiditatis, nunc ſemiunciam, nunc aſſem, deprehendiſſe ſibi uiſi ſunt. Nec Politici deeſſent, qui, cuncta ad Reipublicae Platonicae, quam nuſpiam, niſi forte in Vtopia, inuenerint, formam metientes, beatitudinem nobis, qualem uel Dii inuideant, perfectiſſimam polli-

centur. Sed properandum eſt ad alias diſciplinas.

Succedant itaque Mathematicae, quae mentes ordine certo a certis quoque ducunt ſimplicibusque principiis, vnde obſcura diluuntur, diſſolutaque componuntur, et compoſita in ſuas dirimuntur partes; vt hac recta diſſerendi conſuetudine mens adſueſcat ſemper inſiſtere ipſis rebus, atque ita omnis cogitatio, ſeriesque omnis argumentorum, progrediatur a ueris, et mens exuat ſenſim, quod e uulgari iudicio temere ac ſtulte conceperat, neque deinceps admittat, niſi quod ordine illo expenſum fuerit et exploratum. Etſi uero tantum omnino vtilitatis habeant illa ſtudia, vt eleganter diduxit ornatiſſimus GRAVINA, (*) inſunt tamen et plurima, quae *nec ignoranti nocent, nec ſcientem iuuant.* (**) Longum foret, per ſingulas Matheſeos partes ire, in quibus me, fateor, mediocriter eſſe uerſatum; Arithmeticos tantum et Aſtrologos tangam. Atque illi quidem nihil tam immenſum

(*) GRAVINA *Orat. I p. 126.*
(**) LACTANT. *Ep. 45 Lib. 6.*

menſum putant, ac nullo limite circumſcriptum, cuius numerum inire ſe poſſe deſperent. Itaque et coeli ſtellas, et calculos omnes ad littora maris, neſcio, an non et atomos, ac ipſas exhalationum particulas, per analyſin infinitorum exactiſſime computant, et ad ſacra conuerſi, ipſum flagellorum, quibus laceratus eſt ſanctiſſimus Saluator, numerum deſignant, (*) et in corona ſpinea mille aculeos numerant, atque ipſius ſacroſanctae Trinitatis myſteria rimati, eam ex numeri ternarii ratione ſolicite explicant; tum et nouam de Nihilo doctrinam, longe, ſi Diis placet, vtiliſſimam, conſtruunt, et nunc cum DEMONSIO (**) *de quarta parte nihili* argute philoſophantur, nunc cum BOVUELLIO (***) *de pluſquam nihilo* vaſta uolumina conſcribunt. Praeterea de Sole, ac Luna, et ſtellis omnibus, ueluti de patrimonio ſuo, liberrime tranſigunt. Nam, ex quo HEUELIVS, (****) Lunam

Q 3 accu-

(*) NAVDE' *l. c. p. 7.*
(**) Id. *p. 14.*
(***) Id. *p. 15.*
(****) *Selenogr. p. 226.*

accurate dimenſus, perelegantes nobis dedit Tabulas Geographicas Lunares, monteſque, et ſyluas, lacus, et flumina, detexit, id ſibi reliquum putauit RICCIOLVS, vt nouum hunc orbem in certas prouincias diſtribueret, et vnam COPERNICO, alteram GALILAEO, tertiam KEPLERO, (*) adſignauit, ſibi ipſi uero tractum optimum, ac maxime conſpicuum, animo nequaquam nouercante, uindicauit. Iſti nimirum ſunt, qui non modo Pomum Imperiale, Sceptrum Brandeburgicum, Enſes Saxonicos, et inſignia alia, pro ſuo in Principes affectu, coelo inferunt, et aſtris appendunt, uerum et apotheoſeos iura ſibi ſumunt, ac, noua conſecrandi ratione, quoscunque uelint, ſiue uiuos, ſiue mortuos, inter ſidera collocant; cuius quidem aſſentationis luculentiſſima afferri poſſent exempla, niſi parcendum eſſet nominibus. Praecipue uero hoc loco de iis dicendum eſſet, qui, rerum mortalium omnium euentus ex aſtris portentoſa ratione deriuantes, vt lucellum captent, quod uolunt, uitam, ſalutem, honores, opes, potentiam,

(*) In *Almag.* 204.

tentiam, uictoriam, ſanitatem, ſobolem, amicos, coniugia, magiſtratus, et ſimilia, praedicunt, et ab iis drachmam petunt, quibus regna pollicentur. Uerum de praeſtigiatoribus iſtis, qui eo audaciae proceſſere, vt ipſius Chriſti horoſcopum conſtruerent, et uirtutes eius ac miracula ex eo repeterent, quod Saturnum habuerit in Geminis, mortemque ipſam humano generi tam ſalutarem Martis opus fuiſſe, fabularentur, malo, uos, Auditores, e IOANNE PICO MIRANDVLA, (*) HENRICO CORNELIO AGRIPPA, (**) atque aliis, quorum plena ſunt de his uolumina, accuratius cognoſcere.

Nec magis morabor Phyſicos, quorum aliqui nihil omnino in rebus, quae ſub ſole ſunt, inacceſſum, nihil imperuium, putant, adeo, vt non modo in his, quae ante oculos poſita ſunt, ad inſaniam vſque ſcrupuloſi ſint, uerum et

tentare cauas vteri et terebrare latebras,

Q 4 adſue-

(*) *Libris XII aduerſus Aſtrologos.*
(**) *De Uan. ſc. Cap. 31 ſeq.*

adſueti, in ipſum terrae centrum deſcendant, ignisque ſubterranei uires cauſticas explorent, immo et ipſum tentent primum mundi chaos, ac praeterea in Luna homines, daemonesque et gehennam quaerant in Sole. Tum nemo eſt in his rebus paullo naſutior, qui non noua ſibi fingat rerum naturalium principia, quibus, tanquam firmiſſimo fundamento, Syſtema Philoſophiae naturalis integrum ſuperſtruat, tam parum ſaepe ſibi conſtans, vt uix exſtructum, dementiam prodat Architecti, et ad leuiſſimum uenti ſufflatum corruat. Ita THALES MILESIVS, primus ſapiens ab oraculo iudicatus, ex aqua omnia conſtare uoluit. (*) Eius auditor, et in ſchola ſucceſſor, ANAXIMANDER, rerum principia dixit infinita. Illius autem diſcipulus, ANAXIMENES, infinitum aerem eſſe rerum principium, adſtruit. HIPPARCHVS, HERACLITVS, Epheſius, ARCHELAVS, Athenienſis, ignem, ANAXAGORAS Clazomenus infinita principia, tanquam particulas minutas et confuſas, ſed diuina mente in ordinem poſtea redactas, PARMENIDES cali-

(*) AGRIP. l. c. *Cap. 50.*

calidum et frigidum, tanquam ignem, qui moueat, et terram, quae formet, LEVCIPPVS, DIODORVS, et DEMOCRITVS, plenum et uacuum, DIOGENES LIBERTVS aerem, diuinae tamen rationis compotem, PYTHAGORAS numeros, EMPEDOCLES litem et amicitiam, ac quatuor elementa, EPICVRVS atomos et inane, PLATO ac SOCRATES Deum, ideas, materiam, ZENO Deum, materiam et elementa, ARISTOTELES materiam, formam, et priuationem, et Hebraeorum Philoſophi materiam, formam, et ſpiritum, pro primis rerum principiis uenditant. Nec maior recentiorum conſenſus eſt, quos inter (*) LINCOLNIENSIS radios, REVCHLINVS Cabalam, CAMPANELLA calorem, frigus, et ſpatium, VERVLAMIVS inſtantias, Chymici denique ſal, ſulphur, et mercurium, ſubſtituunt; vt taceam centum alios, quorum deliria ſi repetam, uereor, ne et aures ueſtras obtundam, Auditores, et crabrones irritem. Quid alias memorem Phyſicorum ſententias, (**) vt SANCTORII, qui transſpirationis

(*) NAVDE l. c. *p. 100.*
(**) Id. *p. 16.*

inſenſibilis quantitatem exactiſſime ponderabat; FVSILII, qui IVL. CAES. VANINVM, in medio rogo conſtitutum, fumo potius ſuffocatum, quam igne abſumptum, affirmabat, quoniam, vt loquitur in *Maſtigophoro*, ignis multo magis frigidus eſt, quam calidus; SVISSETI, qui tanta ſubtilitate res naturales explicauit, vt ipſe CARDANVS, ſubtilitatis autor, fateretur, (*) *in eius vnico argumento, quod contra experimentum de ratione eſt, ſoluendo, totam poſteritatem laboraſſe.* Quibus, neſcio, an non accenſeri poſſint Ariſtotelici, qui ſuas qualitates occultas tantopere iactitant, Carteſiani, qui, bruta animantia ſenſu prorſus carere, et automati in modum agere, ſomniant, ac noſtro tempore Angli quidam, qui in rebus omnibus *uim* quandam *attractricem* deprehendiſſe ſibi uiſi ſunt. Et *quae beatitudo erit mihi propoſita*, vt cum LACTANTIO loquar, (**) *ſi ſciuero, vnde Nilus oriatur, uel quicquid Phyſici de coelo delirant?* Ceterum non eſſet forte ab hoc loco alienum, de

(*) *Lib. XVI de Subtil.*
(**) *Cap. 8 Lib. III diuin. inſtitut.*

de iis nonnihil commentari, qui, ad exemplum MIDAE, cuncta, quae contrectant, in aurum conuerti poſſe, ſperant, et bona dilapidant omnia pro lapide, niſi, haec, conſtaret, ab aliis iam pridem occupata et exploſa.

Quamobrem ad Medicos, qua proxima uia eſt, tranſeo, quibus hoc Charlataneriae uitium adeo familiare, et ueluti proprium, eſt, vt difficulter admodum diſtinxeris Empiricos a probis et doctis Medicis. Etenim non ignoramus, optimos quosque e filiis AESCVLAPII ingenue fateri, admodum inſtabilem, fallacem, et lubricam, eſſe hanc artem, cum et morborum cauſae ſint incertiſſimae, et expeditiſſima remedia non raro ſpem Medici fallant. Adeo, vt idem de Medicis dici poſſit, quod de Haruſpicibus CATO (*) quondam pronuntiauit, ſcilicet *mirari ſe, quod non rideret haruſpex, haruſpicem cum uidiſſet.* Nulla certe iis formula ſolennior praeter illam:

Si uis ſanari de morbo, neſcio quali,

Acci-

(*) CIC. *Lib. I de Nat. Deor.*

Accipias herbam, ſed quam uel neſcio qualem,
Ponas, neſcio quo, ſanabere, neſcio quando.

Nam, cum omnia profundiſſime neſciant, ſuas tamen pilulas, ſyrupes, guttulas, et neſcio quae alia arcana, ceu panaceas, cunctis propinant tanta impudentia, vt uel mortuos in uitam ſe reuocaturos polliceantur. Interim, pro immenſa, qua ualent, poteſtate, impune occidunt, felices vtique dicendi, quod proſperos ipſorum ſucceſſus ſol adſpiciat et illuſtret, aduerſos autem terra contegat. Exemplum luculentum praebet ANDREAS BACCIVS, (*) Medicus Florentinus, artis ſuae probe gnarus, ſed cerebroſus, qui, ad foeminae cuiusdam curam uocatus, explorato arteriae pulſu, qui uehementis febris indicium faciebat, inter alia, tandem de aetate rogauit; cumque illa tres et ſexaginta annos ſe natam diceret, reiecto aegrae brachio, quam diu, inquit, tu in hoc mundo ſupereſſe cupis? et irato ſimilis protinus diſceſſit. Porro, cum non igno-

(*) CASP. ENS *Epid. p.* 342.

ignorent iſti, quanta ſit uis imaginationis, nunc cum KENELMO DIGBY puluerem ſympatheticum extollunt, (*) nunc cum LEONARDO TVRNEISSERO ſimplicia ſub certis coeli conſtellationibus colligunt, nunc cum IOANNE FLOYERO (**) noua adhibent horologia, ad quae pulſuum motum examinant, et cum circulatoribus aliis lotium in conſilium aduocant, et ex colore, tactu, pene dixerim, etiam ex guſtu, de morbi conſtitutione ſententiam ferunt. Narrabo uobis rem ridiculam, Auditores, quam a uiro fide digno ac graui relatam memini. Iactabat Empiricus quidam, ſe ex ſolo vrinae adſpectu non ſolum de morbis omnibus, ſed et de illorum cauſis, quaecunque demum illae fuerint, ſiue natura, ſiue ſors tuliſſet, certiſſime cognoſcere; interim ille ita inſtruxerat ſeruulos ſuos, vt callide homines, ad ſe accedentes, explorarent, et de his, quae comperta haberent, clam ad ſe referrent. Accedit mulier paupercula cum lotio mariti, quo uix uiſo, *Maritus tuus*, inquit,

(*) NAVDE *l. c. p. 14.*
(**) *Act. Erudit. A. 1711 p. 4.*

inquit, *per ſcalas domus infauſto caſu decidit.* Tum illa admirabunda, *iſtudne*, ait, *ex vrina intelligis? Immo uero*, inquit Empiricus, *et, niſi me omnia fallunt, per quindecim ſcalae gradus delapſus eſt.* At, cum illa, *vtique uiginti ſe numeraſſe*, referret, hic, uelut indignatus, quaerit, *num omnem ſecum vrinam attuliſſet*, atque, illa negante, *quod uaſculum materiam omnem non caperet; itaque*, ait, *effudiſti cum vrina quinque gradus illos, qui mihi ad numerum deerant.* Ecquis uero artes omnes ediſſerat ac technas, ad fallendam plebem excogitatas, quibus illi uulgo vtuntur, quorum commune ſymbolum eſt: *Mundus uult decipi, ergo decipiatur.*

Adſcendimus ad Iureconſultos, quos *inuictiſſimos iuris in orbe Monarchas* ſuperioribus ſeculis dictos deprehendimus. (*) Et quotusquisque eſt hodie inter Doctores uel infimi ſubſellii, qui non *ex vtroque Iure Caeſar* appellari geſtiat? Enimuero *dignitas in tam tenui ſcientia quae poteſt eſſe?* (vtor uerbis potentiſſimi Romanorum

(*) *Acta Erudit. A.* 1702 *p.* 84.

rum Oratoris, (*) non meis,) *res enim ſunt paruae, prope in ſingulis literis, atque interpunctionibus uerborum, occupatae. Deinde, etiamſi quid apud maiores noſtros fuit in iſto ſtudio admirationis, id, enuntiatis ueſtris myſteriis, totum eſt contemptum et abiectum. Itaque irati aliqui, quod ſunt ueriti, ne, dierum ratione peruulgata et cognita, ſine ſua opera lege poſſet agi, notas quasdam compoſuerunt, vt omnibus in rebus ipſi intereſſent.* Has uero notas atque formulas, quas vbi edidicerint noſtri homines, tum iura omnia ſe deuoraſſe arbitrantur, idem TVLLIVS *inaniſſimas prudentiae, fraudis autem et ſtultitiae pleniſſimas*, nuncupat, *totamque eam ſcientiam ex rebus fictis et commentitiis conſtare*, pronuntiat, ac poſtremo ſcite admodum in haec uerba prorumpit: *Itaque, ſi mihi, homini uehementer occupato, ſtomachum moueritis, triduo, me Iurisconſultum eſſe, profitebor.* Quae cuncta, mentior, niſi noſtris temporibus ſint admodum accommodata. Equidem ſunt alii,

(*) CIC. *Orat. pro Mur.*

alii, qui, paullo magis ſupra uulgus ſapientes, ſolicitius exercent criſin, et Graeca continuo crepant, et, cum, hariolationes ſuas a Codice Pandectarum Florentino, cana ſenectute uenerabili, non prorſus abludere, intellexerint, tum uero Diis ſe ſimillimos arbitrantur. At uerendum eſt ſane, ne hi ipſi ſaepius, dum in emendandis legibus omne ponunt ſtudium, ſanas leges corrumpant, corruptas lacerent penitus, et peruertant. Sed magis tamen illi etiam uidentur ridiculi, qui, cum pro roſtris dicendum eſt, ac legibus agendum, ne leguleii uideantur, ueterum Philoſophorum, aut Poetarum, ſententias crebro in medium adducunt; qualem ſe audiuiſſe, BALSACIVS alicubi (*) teſtatur, diſertiſſimum, vt creditus eſt, fori principem, ita differentem: *Docebit uos, o Procuratores, officium ueſtrum Homerus Iliados K, et Euſtathius, Scholiaſtes Homeri, in illos uerſus;* quos memoriter ad decem uel duodecim recitabat, nulla numerorum et accentuum habita ratione. Aliis nec IVSTINIANVS,

(*) *Epiſt. ſel. Lat. p. 272 ſeq.*

nus, nec TRIBONIANVS, ſatis placet, homines quippe, ſi illis credas, ineptiſſimi, et uix obelo digni, qui, ſi Ius naturae, tantopere hoc ſeculo decantatum, a noſtris hominibus addidiciſſent, longe aliud ac emendatius Iuris corpus nobis dediſſent. Itaque nihil admittunt, a Legislatore ſapienter conſtitutum, et tot iudicum calculis firmatum, quod non ad naturae, quam ſibi fingunt, legem diiudicent, (*) quam ſi quisque rationem ſequi pro libidine uelit, ecquid tandem aequum, aut iuſtum, futurum exiſtimatis, Auditores? Alii, cum materia aliqua iuris deducenda eſt, et ſiue conſilium, ſiue ſententiam, rogantur, omnes omniumIureconſultorum libros euoluendos ſibi putant, totaque citatorum, quae uocant, plauſtra colligunt, quibus ſuas Diſſertatiunculas, Reſponſa, Decreta, non tam ornant, quam onerant. Id quod ſuo etiam Seculo uidit ERASMVS, (**) qui, inter eruditos, ait, Iurisconſulti ſibi uel primum uindicant locum, neque quisquam alius aeque ſibi placet, dum Siſyphi ſaxum aſſidue

(*) Conf. AGRIPP. *l. c. Cap. 91.*
(**) *Enc. Mor. p. 96.*

ſidue uoluunt, ac ſexcentas leges eodem ſpiritu contexunt, nihil refert, quam ad rem pertinentes, dumque gloſſematis gloſſemata, opiniones opinionibus, cumulantes, efficiunt, vt ſtultum illud omnium difficillimum uideatur. Quicquid enim laborioſum, illud protinus et praeclarum exiſtimant. Iam de illis dicendum erat, qui Cauſidicinam, ſeu Rabuliſticam, exercent, artem mentiendi ab ARISTOTELE dictam. Iſti, cum neceſſitati ſimiles, hoc eſt, ſine legibus, ſint, literarum tendiculas, et aucupia uerborum uibrantesque ſententiolas, ſectantur, quibus cauſas belliſſime circumducunt, donec emunxerint penitus ſuos clientes; aut, ſi id fieri non poſſit, propter illorum opulentiam, litem ex lite trahunt, a ſeris demum nepotibus finiendam, aut potius deſerendam. Longae ſunt lites, longae ambages, et cetera de genere hoc, adeo ſunt multa, loquacem delaſſare ualent Fabium.

Denique, dum ad Theologos accedo, praecipua mihi circumſpectione opus eſſe uideo, ne, dum Pſeudo-Theologos in theatrum produco, eorum tangam ſacrum caput, quos profundiſſima animi religio-

ne

ne cum piis omnibus proſequor. Quare, etſi noſtros nequaquam fatear omni uitio carere, ab iis tamen potiſſimum dicendi materiam petere conſtitui, quorum, par fuerat, non minus peruerſos mores, quam doctrinam, deſtituiſſe. Hic itaque illi primum mihi memorandi ſunt, qui, cum ſint flagitioſiſſimi, pietatis tamen laruam induunt, eoque continuo, ad aram Lauernae Deae adgeniculantes, exclamant: (*)

Pulcra Lauerna,
Da mihi fallere, da iuſtum ſanctumque uideri,
Noctem peccatis, et fraudibus obiice nubem.

Hinc tot, vt cum AGRIPPA loquamur, (**) Stoicae ſimiae, tot inſolentiſſima poſcinummia, tot palliata mendicabula, tot cucullata monſtra, barbigeri, funigeri, reſtiferi, ſaccogeruli, loripedes, lignipedes, nudipedes, atrati, nigritae, griſones, albichlamydes, uerſicolores, multipelles, linoſtolii, retiarii, palliati, chlamydati, pullati, paludati, praecincti, brachati, ac id genus aliorum

R 2 turba

(*) HORAT. *Epiſt.*
(**) *De Uan. Sc. Cap.* 20.

turba hiſtrionum, qui, cum de rebus humanis nullam fidem habeant reliquam, (ob monſtroſae ueſtis habitum creduntur illis diuina,) hodieque ſacrum religionis nomen ſibi ſolis vſurpant, ac ſe Chriſti ſodales, Apoſtolorumque contubernales, iactant: quorum uita ſaepe ſceleſtiſſima eſt, auaritia, libidine, gula, ambitione, temeritate, petulantia, et omni ſcelere, referta, ſed religionis praetextu ſemper inulta. S. UITALIS lupanaria frequentiſſime ingrediebatur, (*) ſcilicet vt meretriculas ad bonam mentem adduceret; at hoc multo audacior ROBERTVS DE ARBRISSELLIS, (**) cum ſacris uirginibus, ſi quae pulcriores illi uiſae eſſent, ſecure decumbens, quicquid erat titillationum, ac prurientium libidinum, uelut arietes, ad expugnandam caſtitatem admouebat, nimirum vt de tot tentationibus eo glorioſius triumpharent. Deinde de illis dici poterat, qui, cum e ſacro ſuggeſtu uerba faciunt, nec quemquam timent, qui illis palam refragari auſit, non tam illud curant, quemadmodum

(*) MATHANASIVS *p. 129.*
(**) Id. *p. 81.*

lum officii ſui rationes impleant, quam vt
auram popularem captent, eoque in hos,
a quibus ſe haud ſatis profunda latria coli
exiſtimant, ſatyram perpetuo exercent, et,
quoscunque uolunt, ita depingunt, vt ma-
nibus palpari queant; quod dum faciunt,
tum demum expergiſcuntur, eriguntur, in-
hiant omnes. Aniles porro fabellas, quas
a nugaciſſimis mulierculis accepere, tanta
fiducia narrant, vt, centum ad minimum
rei geſtae teſtes iuratos habere, dixeris;
quae nihilo minus, ſi accuratius introſpi-
ciantur, mera deprehenduntur mendacia ac
deliramenta. Inprimis uero, vt plebecu-
lam territent, in portentis fingendis fre-
quentiſſimi ſunt, nunc piſcinas clamantes
in ſanguinem mutatas, nunc puteos ſpon-
te ſua commotos, nunc eiulatus noctur-
nos, quae certiſſima bellorum, incendiiue,
aut peſtis, praeſagia interpretantur; quibus
tamen rebus, ſi euentu deſtituantur, ualde
uereor, ne Atheiſmum facilius, quam mo-
rum emendationem, prouehant, et fidem
apud prudentiores penitus amittant. Iam,
ſi exempla poſcitis, non eſt, vt ea copio-
ſius ediſſeram, quae de NICOLAO RIC-
CARDIO, FRANCISCO PANICAROLA,

THOMA RHEDONENSI, uulgo CONETTE dicto, IOANNE CAPISTRANO, et clamoſiſſimis hominibus aliis, narrant Scriptores fide digni. Domeſticum afferam longe luculentiſſimum. Uenerat Lipſiam ſuperiori Seculo callidiſſimus impoſtor, homo Italus, qui Comitem de Pompeiis mentiebatur, et ſe religionis cauſa huc delatum ſimulans, diligenter adibat Miniſtros eccleſiae, ne pecuniae quidem in loco parcens, quod, quanta illorum ad commouendos opulentiorum animos, excutiendosque loculos, uis eſſet, probe intelligeret. Eo delectabatur ante alios grauiſſimus quidam dioeceſeos noſtrae Antiſtes, eundemque, ceu e MAGNI POMPEII lumbis iuſta poſterorum ſerie procreatum, pro ea, qua pollebat, facundia, auditoribus ſuis enixe commendabat. Enimuero, cum paullo poſt audiret, clariſſimum Hiſtoricum, C. F. F. in familiari ſermone aſſeueraſſe, quod e certiſſimis hiſtoriarum monumentis conſtet, iam tum ante mille quingentos fere annos penitus defeciſſe ſtirpem POMPEII MAGNI, tum uero Antiſtes, denuo ſe prorumpens in ſuggeſtum, POMPEIVM ſuum uehementius extollere, et tantum non diris deuo-

deuouere omnes, qui de proſapia illius dubitarent, adlegatis in rem ſuam uerbis Saluatoris: (*) *Si terrena dixi uobis, et non creditis, quomodo, ſi dixero uobis coeleſtia, credetis?* Sed manum de tabula.

Quin ad id potius me conuerto, cuius gratia hanc cathedram conſcendi. Nunc enim uos mihi compellandi eſtis, doctiſſimi Domini Candidati, qui ueſtrum in bonis literis ſtudium et induſtriam Excellentiſſimis Dominis Examinatoribus abunde probaſtis, eoque digni eſtis habiti, quibus ſuprema in Philoſophia laurea a Spectatisſimo Ordinis noſtri Decano in hac ſolenni Panegyri conferatur. Quare, pro ea, quae a Sereniſſimo Principe ac Domino, Domino MAVRITIO UUILHELMO, Duce Saxoniae, Iuliae, Cliuiae, Montium, Angriae et UUeſtphaliae, Poſtulato Adminiſtratore Epiſcopatus Martisburgenſis, Landgrauio Thuringiae, Marchione Miſniae, vt et ſuperioris et inferioris Luſatiae, Comite Principali dignitate Hennebergico, Comite de Marca et Rauensberg, Domino in Rauenſtein, Academiae noſtrae

(*) *Ioan. III, u. 12.*

Cancellario perpetuo, Domino meo Clementiſſimo, mihi clementiſſime demandata eſt, poteſtate, ego D. I. B. M. - - ad hunc actum conſtitutus Procancellarius, Uos, Philoſophiae ac Bonarum Artium Baccalaureos, Te - -

*

* *

Uos, inquam, numero XXX, Philoſophiae ac Bonarum Artium Licentiatos facio ac creo, factosque renuntio, tribuens uobis iura omnia, quae huic ordini conueniunt, idque in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. Amen.

Tandem ad Te conuertor, Uir Spectatiſſime, Domine N. N. hoc tempore Ordinis Philoſophorum Decane, Domine Collega, ac Fautor multis nominibus colende, tibique porro poteſtatem facio, his, a me modo renuntiatis, Dominis Licentiatis ſupremos in Philoſophia honores publice et ſolenni ritu conferendi. Deus faxit feliciter!

ORATIO

ORATIO IX.

DE GRAUITATE ERVDITORVM. (*)

Rector Academiae Magnifice,
Legate ſplendide,
Spectatiſſime Domine Procancellarie,
Uiri Ampliſſimi, Excellentiſſimique,
Tuque circumfuſa ſtudioſorum iuuenum lectiſſima concio.

Nolite exiſtimare, Auditores, me hoc die de re noua, et iucunda auribus ueſtris, ediſſerere, aut, hiſtoriolas de his, quae ad rem ludicram eruditorum ſpectant, narrando, riſus et cachinnos ciere, conſtituiſſe. Litatum ſatis eſt Deo riſui, cum abhinc triennio, et quadriennio, ex hac ipſa cathedra, in ſimili Magiſtrorum Panegyri, de circumforanea eruditorum uanitate, quam Charlataneriam uocabam, uerba facerem. Riſiſtis affatim, et plus, quam uellem. Neque

(*) Publice in ſolenni Magiſtrorum renuntiatione A. 1717 habita.

enim illa eo a me prolata ſunt, vt uobis riſum mouerem, uerum vt pudorem excuterem, moueremque uos, vt tandem miſeram ac deplorandam literarum, quales nunc ſunt, faciem flebili potius planctu mecum lugeretis. Enimuero, vt, quod res eſt, fatear, poenitet, piget, pudet declamationum illarum, quibus tot crabrones irritaui, tot cenſuras hominum ſapientium, inſipientiumue, prouocaui, tot tela et ſpiculas in me acui. Quare dabitis hanc ueniam mihi, Auditores, vt ſub exordium orationis huius, quae tanto olim plauſu excepiſtis, ipſe nunc publice deteſter, ac damnem. Nam, ſi magnum AVGVSTINVM *retractationum* libros ſcripſiſſe non piguit, nec mihi diuidiae fuerit, non modo retractare mea, uerum et conuellere ac oppugnare. Primum ipſa barbara uox *Charlataneriae* offendit caſtas aures. O ſcelus horrendum, ferro vtique ac igne expiandum! Quis vnquam elegantiorum hominum uocem adeo ſcabroſam, hibridam, ſpurcam, in Latium inferre auſus eſt? Ueſtram teſtor fidem, terſiſſimae ac detornatiſſimae Latinitatis promi condi, qui CICERONEM totum deuoraſtis, qui ſputa lambitis COR-

NELII

NELII ueſtri, aut TERENTII, qui NIZOLIANAS offas continuo reſorbetis, an vnquam quiſquam in re literaria facinus magis probroſum ac uecors aggreſſus eſt, quam nefandus ille *Charlataneriae* ſcriptor? Qui nimirum non ueritus eſt a Gallis, qui toties patriam noſtram dulciſſimam impune laceſſiuerunt, toties agros maiorum noſtrorum depopulati ſunt, uocem inſulſam mutuari, quaſi ſterile adeo atque inops uerborum ſit Latium, vt non multo meliora, et ad rem magis apta, ſuppeditare queat. Poſt rubrum tam inficetum, quid aliud in nigro inuenias, quam nigra, tetra, horrida omnia? Logicorum ineptias et quiſquilias, Oratorum ſymbola, et emblemata, Poetarum furorem, riſit cenſor importunus; at, ſi illas e Dialecticis, haec ex eloquentia, iſtum denique e Poeſi, demas, ecquid hodie reliqui futurum eſt in optimis ac praeſtantiſſimis diſciplinis? Iam totum Criticorum agmen irruit, Belgarum inprimis, qui publice in ſuis Diariis bellum indixere cruentiſſimum, quod deprecationem PERIZONII, et latratus GRONOUII, tetigerim. O me miſerum, atque infortunatum, qui mihi tot hoſtes, tam ualidos,

lidos, tamque formidandos, temere concitauerim. Nec Uenetos certe, ſi magnis parua componere licet, cum Pontificem, Caeſarem, Gallos, Hiſpanos, ac plerosque Italiae Principes, coniuratione quadam facta, hoſtes experirentur, nec Belgas ipſos, cum a Gallis, et Anglis, aliisque potentiſſimis gentibus, totis uiribus oppugnarentur, adeo, vt iam Amſtelaedamo imminerent hoſtes, pari in diſcrimine fuiſſe, putaueris. Quid faciam? Nulla ſalus bello; do uictas manus, pacem anhelo, quauis prece ac pretio redimendam. Leges imponite; ſubſcribam. Primum, ne quid in titulo deſideretis, uiri *κριτικώτατοι*, fatebor uos orbis terrarum, qua patent bonae literae, dominos, dicam, imperium habere in belluas et monſtra Grammatica. Deinde concedam uobis libertatem, nullis omnino legibus circumſcriptam, nullo iudicio fraenandam, immo litem, ſi poſcitis, mouebo HVBERO, qui literariam cauſam ciuili iurisdictioni ſubiicere, et PERIZONIVM, quem vtique impune in illum debacchari par erat, ad palinodiam adigere, auſus fuerat. Denique GRONOVIVM, cuius ſemper eruditionem magni feci, nunc etiam praedica-

dicabo omnium, quos ſol adſpexit, modeſtiſſimum, et mitiſſimum, qui, cum alios ſimias, ueſpertiliones, ſcabiem, alios inſipidos, ſtultos, bardos, hebetes, ſtipites, appellat, laudat, et, cum in patrios cineres mingit, rem agit cane Critico dignam. Sed, praeter alia innumera, quae obiiciuntur, in eo peccatum inprimis eſt, quod uiros Theologos non plane intactos reliquerim. Enimuero, vt ſerio agam in re ſeria, hic culpam fateri, ac reum me ipſum agere, nequeo. Meminiſtis enim, Auditores, quanta ſacri huius Ordinis ueneratione iis, quae de Pſeudo-Theologis attuli, praefatus ſim, nec me profecto quisquam profundius ac religioſius colit ſanctos atque ſapientes Eccleſiae Antiſtites. Ecquis uero imprudentiorum dicta omnia et facta albo lapillo notauerit, qui, cum ſe ſacro habitu indutos uident, illico immunitatem ſibi conceſſam arbitrantur, vt affectibus ſuis, quibus aeque, ac alii mortales, reguntur, liberrime indulgeant, et ſatyram impune exerceant in eos, quibus male cupiunt, aut aniles fabellas effutiant, vt inconditam plebem his ueluti terriculamentis fallant. At, ais, haec atra nocte ſepelire,

lire, quam in apricam lucem producere, praeſtat, ne paucorum delicta ordini vniuerſo noceant; haec non aperte proferenda in forum, in theatra, in compita, uerum leniter in aurem inſuſurranda, et muſſitanda potius, quam declamanda, ſunt. Premantur itaque per me etiam, quae premi, religionis intereſt; fruantur ruditate et impudentia ſua, qui, rerum diuinarum parum gnari, ineptiis et garrulitate inſanae plebeculae illudere, quam diuina myſteria rite animis inſtillare, aut prauos hominum mores emendare, ſatius habent. Fuere denique, qui hoc, quod ſectatus ſum, dicendi genus leue, et non ſatis dignum, cenſerent, uiro graui, et in publico muniere conſtituto. Recte monetis, grauiſſimi ſenes, qui cothurnum magis, quam ſoccum, amatis, nihilque magis a ueritate alienum exiſtimatis, quam quod eſt apud Poetam:

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Iam corrugate frontem, Auditores, rem ſeriam aggredior, dicturus quippe de grauitate eruditorum, ſed ita dicturus, vt, neglectis ceteris omnibus, quae iucunditatem aliquam afferre Auditoribus poſſent,

ſent, praecepta potiſſimum in medium proferam, qualia decora et pudica oratio poſtulat. Quod dum paro, primum illud a uobis contendo, Auditores, ne turgidum et ſublime dicendi genus, uerborumque ac ſententiarum pondera, a quibus abhorret animus meus, deſideretis, deinde, ne uoluntate et beneuolentia ueſtra, quam ambitioſius aucupari non audeo, me deſtituatis.

Cum multum referat in omni uita, quo quisque loco habeatur apud alios, quanto magis enitendum putatis, Auditores, uiro bonis literis erudito, vt laudem et exiſtimationem, quae literis debetur, fortiter tueatur, nec aliorum contemptum factis ſcriptisue parum decentibus prouocet. Scilicet grauitate opus eſt, qua cunctas actiones ſuas ita moderetur ac regat, vt decori leges ſtudioſiſſime obſeruet, nec quidquam admittat, quod aut a perſona, quam induit, aut a rebus ipſis, de quibus agere inſtituit, alienum uideatur. Quae cum ita ſint, duo potiſſimum perpendenda nobis eſſe intelligimus, quorum alterum ad mores, alterum ad ſcripta, eruditorum pertinet. Equidem plerumque hoc uitium eſt

erudi-

eruditis, vt, quo magis ſe totos literis immerſerint, eo minus ad res gerendas idonei deprehendantur, adeo, vt ab hominum conſuetudine propemodum abhorreant, et, quoties in ſummorum uirorum conſortio uerſantur, cunctis ſe deridendos propinent. Quo fit, vt argutulis ac delicatulis aulae uiris, aliisque, quibus rerum ſumma demandata eſt, ſordeant homines vmbratici, et ipſae paulatim artes ac literarum ſtudia faſtidiantur. Quare mature adſuefaciendus eſt animus, vt non tam ſibi ſeruiat, quam aliis, ad aliorum ingenium probe ſe attemperet, nihil aut timiditati det, aut arrogantiae, et non minus eruditionis opinionem docto et prudenti ſermone ſibi conciliet, quam oſtentationem omnem, quae eruditis hominibus perfamiliaris eſt, longiſſime abs ſe abeſſe iubeat. Nihil enim indecentius ac probroſius, nihil uiro graui indignius, quam cum naſutuli homines, ſiue in conſortio uirorum ſpectatiſſimorum, ſiue in corona rudis et inconditae plebis, ſedeant, antiquitates continuo, philoſophemata, κριτήρια crepant, uelut, ilia ſibi rumpi, metuentes, niſi, quae uel fando acceperint, omnia inſulſiſſime effutierint.

Cui

Cui rei affine eſt ſtudium ἀιθολκῆς, quo nonnulli adeo non trahuntur, ſed rapiuntur, vt ne uerbum quidem proferre quemquam patiantur, quin illico bellum illi indicant, atque, ita potius, nec aliter, rem ſe habere, quouis pignore certare geſtiant; deinde futiles multas et ineptas ratiunculas comminiſcuntur, quibus ſententiam ſuam, quantumuis abſonam, ac ueritati contrariam, ſuffulciant, magno clamore magnas nugas agentes, ſimilesque campanis, quae moleſto tinnitu aures obtundunt. Fallor? an hoc uitium trahunt e frequentiori diſceptationum illarum vſu, quae in Academiis ad comparandam uerborum et argumentorum copiam inſtitui ſolent, in quibus pro iuuenili ardore acrius depugnant plerique, laureolam quippe quaerentes in muſtaceo. Etenim in his ipſis concertationibus nihil vtique magis, quam grauitatem, deſideres; quandoquidem, egregie ſe rem ſuam geſſiſſe, exiſtimant fortiſſimi athletae, ſi ſophismatibus, argute confictis, aduerſarium ſuum ad ſilentium, et auditores ad riſum, et tumultus, pedumque pulſationes, adegerint. At uiri grauis eſt, non de lana caprina, ſed

de re graui ac ſeria, nec ficulneis, uerum ponderoſis, rationibus depugnare, nec per ambages, ſed regia ad ueritatem uia contendere. Sunt porro inter eruditos, qui, cum ſe paullo magis, quam alios, ſapere putent, perpetuam ſatyram exercent, nec quidquam aut audiunt, aut uident, quod non et illico rideant riſu plus quam Sardonio aut Megarico. His nimirum parum eſt, iis, a quorum ore paullo ante pependerant, quibus cuncta ſua debent, ruditatem ſuam ac ſegnitiem exprobrare, in aliis omnibus probitatem, diligentiam, iudicium, deſiderare: quin immo, mundum ipſum parua ſapientia regi, querentes, cuncta Principum Regumque conſilia examinant, nec ea tantum diiudicant, quae publice, et in conſpectu omnium, aguntur, uerum et intimos aulae receſſus penetrant, ac, omnium arcanorum ſe participes factos, per Deos Deasque peierantes, adſeuerant. Quod uitium quondam fuit Athenienſium, atque adeo ipſius SOCRATIS ſapientiſſimi, quem ideo *Scurram Atticum* fuiſſe dictum, TVLLIVS nobis auctor eſt. Alii cum CATONE, et ANAXAGORA, Philoſopho, nunquam rident, ſed rebus

bus mortalium perpetuo illacrymantur ac ingemiſcunt. Hi miſeram nimirum literarum noſtrarum ſortem deplorant, ſeculi genium ac temporum fatalitates, Maecenatum penuriam, iuuenum ignauiam, accuſant. Contra ſuperiorum temporum felicitatem mire praedicant et extollunt, ac ſolos beatos uocant, qui in illam aetatem inciderint, qua nec miſeris patroni, nec honores, aut opes, defuerint. At ego HERACLITOS iſtos non minus arbitror reiiciendos, quam DEMOCRITOS illos, de quibus paullo ante dixi. Nam, vt riſus et cachinni graui uiro uehementer indecori perhibentur, propterea quod uidentur ab animo impotente proficiſci, ita foeminarum eſt, plorare, atque eiulare. Quo magis uero ſupra communem hominum ſortem poſitus uidetur homo literatus, hoc illi ſolicitius curandum, vt honeſtatis ac uirtutis laude coruſcet, nec, quam ſibi comparauit, literarum gloriam turpi uita commaculet. Quomodo enim grauitatem tueri potuit DOMINICVS BAVDIVS, aut IOANNES BERONICVS, qui quotidie uino madebant. Maior PETRO ABAELARDO, MARCO ANTO-

NIO DE DOMINIS, PETRO BEMBO, PERRO SCRIUERIO, AVGVSTINO NIPHO, ANGELO POLITIANO, PETRO CASTELLANO, aliiſque uiris doctiſſimis, fuiſſet auctoritas, et apud probos exiſtimatio, ſi optimam doctrinam amoribus non commaculaſſent. Quis uel auaritiam IOANNIS CAPELLANI, et IACOBI SYLUII, uel paraſiticam PETRI MONTMAVRI, quem *Patrem eſuritionum* uocatum accepimus, quis PROSPERI FARINACEI diſſolutos mores, quis denique faſtum HENRICI STEPHANI, IOSEPHI SCALIGERI, SCIOPPII, DANTIS, TIRAQUELLI, PHILELPHI, aliorumque, ferat. Equidem, quod ad faſtum attinet, non ignoro, multos in ea eſſe ſententia, quaſi ſolicitare potius in eruditis et prouehere, quam opprimere, ambitionem par ſit, quod nemo facile ad literarum culmen peruenerit, quem non immortalitas nominis, et gloriae cupiditas, exſtimulauerit. Nam, cum alii, qui mercaturam exercent, uel militiam, aut aliud uitae genus, ſequuntur, rerum omnium abundantia et deliciis fruantur, ſolam fere literarum cultores pro tot rerum faſtidiis, tot

tot laboribus et impenſis, famam, inane nomen, lucrantur. Quam ſi aliorum liuor rodere tentauerit, tum uero habent, cur iraſcantur, ac fraenum mordeant. Hinc tot lites atque iurgia, de quibus alio tempore dictum eſt ſatis. Neque ſane is ego ſum, qui calcaria quaſi gloriae demam, ac iuuentuti eripiam hos ſtimulos, quibus ad magna quaeque et eximia impelluntur. Immanem tantum illam animi elationem, qua nonnulli inflati, reliquos omnes longe infra ſe deſpiciunt, et Thraſonicas gloriationes, quibus ſua in immenſum euehunt, aliena deprimunt, a grauitate uiri eruditi longiſſime abeſſe, nemo ibit inficias. Quo loco non abs re fuerit, FABIVM (*) audire, qui, cum Oratorem habuit ante oculos, bene conſulere uidetur eruditis omnibus. *In primis igitur*, inquit, *omnis uitioſa iactatio eſt, eloquentiae tamen in Oratore praecipue: affertque audientibus non faſtidium modo, ſed plerumque etiam odium. Habet enim mens noſtra natura ſublime quiddam et erectum, et impatiens ſuperioris.*

(*) *Inſt. Or. L. XI Cap. 1.*

ris. Ideoque abiectos, aut ſubmittentes ſe, libenter alleuamus, quia hoc facere tanquam maiores uidemur, et, quoties diſceſſit aemulatio, ſucceſſit humanitas. At, qui ſe ſupra modum extollit, premere ac deſpicere creditur, nec tam ſe maiorem, quam minores ceteros, facere. Inde inuident humiliores. Hoc uitium eſt eorum, qui nec cedere uolunt, nec poſſunt contendere. Hactenus QUINTILIANVS. Uerum multo magis circa decorum uerſatur iſta grauitas, quod cum uarium ſit et multiplex, nobis hic pauca quaedam ſtrictim et per tranſennam contueri ſatis erit. Etenim, quanto ſtudioſius in emendanda mente, et ingenio formando, occupantur eruditi, tanto negligentius cetera curant plerumque, quae ad externum corporis habitum pertinent, parum quippe de aliorum iudicio ſoliciti, modo ſatis ſibi conueniat cum Apolline et Muſis ſuis. Quae dum memoro, non poſſum, quin LVCIVM ANNAEVM SENECAM (*) adhibeam in conſilium, qui, *id agamus*, inquit, *vt meliorem uitam ſequamur, quam uulgus, non vt contrariam: alioquin, quos emendare uolu-*

(*) *Epiſt. 5.*

uolumus, fugamus, et a nobis auertimus. Illud quoque efficimus, ut nihil imitari uelint noſtri, dum timent, ne imitanda ſint omnia. - - Uideamus, ne iſta, per quae admirationem parare uolumus, ridicula et odioſa ſint. Nempe propoſitum noſtrum eſt, ſecundum naturam uiuere. Hoc contra naturam eſt, torquere corpus ſuum, et faciles odiſſe munditias, et ſqualorem appetere, et cibis non tantum uilibus vti, ſed tetris et horridis. Illud autem te admoneo, paullo ſuperius ait idem SENECA, *ne eorum more, qui non proficere, ſed conſpici, cupiunt, facias aliqua, quae in habitu tuo, aut genere uitae, notabilia ſint. Aſperum cultum, et intonſum caput, et negligentiorem barbam, et indictum argento odium, et cubile humi poſitum, et quicquid aliud ambitionem peruerſa uia ſequitur, deuita. Satis ipſum nomen Philoſophiae, etiam ſi modeſte tractetur, inuidioſum eſt.* Quibus uerbis uir ſapientiſſimus ueteres inprimis Philoſophos tangere uidetur, qui vt aliis perſuaderent, ſe uoluptates omnes, et ipſum hominem, exuiſſe, pallio ſordidisſimo amicti, cum pera et baculo ambula-

bant; de quibus pariter dictum eſt alio tempore. Et haec forte barbaro illo et obſcuro ſeculo grauitatem illis conciliabant apud ſtupidos et inficetos; at noſtri homines, paullo comptiores ac elegantiores facti, e conſuetudine uicinarum gentium, ueſtitum ſincerum, et cultum corporis nitidum, uenuſtumque, et accuratum, amant, et HORTENSIVM potius, (*) quam L. TORQVATVM, imitantur. Quantum uero ad grauitatem amictus conferat, ex eo quoque intelligitur, quod tot gentes diuerſiſſimae in hoc ab omni aetate conſpirarunt, vt ſacrorum miniſtros decoro, et ad uenerationem et cultum compoſito, habitu, ſtola nimirum, collariis tubulatis, et planis, et id genus aliis, a reliqua plebe diſtinxerint. Sed, quemadmodum diuerſiſſima eſt pro tempore ac loco decori ratio, ita uiro erudito non minus, atque aliis, qui grauitatem tueri uelint, qua aetate, et inter quos uerſetur, attente conſiderandum eſt. Quod ſi enim in corona militum de arduis Theologorum controuerſiis differat, uel inter rudes ac imperitos Graeca continuo, aut Latina,

(*) GELL. *N. A. L. I Cap. 5.*

tina, crepet, ac ſententias loquatur, aut inter puellarum choros profunde philoſophetur, omnium haud dubie ludibria prouocabit. *Inſigat Orator animo*, (FABII (*) praeceptum eſt,) *quae in decoro uirtus, quid perſonae cuique conueniat, quid in ſenſibus laudandum, quid in uerbis.* Atque alio in loco, (**) *prouidendum eſt*, inquit, *ne, quae dicuntur, ab eo, qui dicit, diſſentiant.* Qua in re, ſi quid uideo, ſaepiſſime peccant illi, qui e ſacro ſuggeſtu ſermones ad populum habent, cum pauci officii ſui grauitatem, rerum diuinarum maieſtatem, ac loci, in quo conſtituti ſunt, ſanctitatem, prout decet, perpendant. Nota eſt de paſtore pagano fabula, qui uehementer increpabat ruſticos, quod bombycina uel ſeracea toga, auroque, et argento, et lapide pretioſo, toti fulgerent, dapesque Siculas aut Sardanapaleas apponerent ſuis hoſpitibus, nec tam ſuis pedibus, quam ſplendido curru, aut baſternis, incederent. Nimirum in Poſtillas inciderat hominis, in lauta et opulenta ciuitate uiuentis, cuius

(*) *Inſt. Or. L. I Cap. 8.*
(**) *L. 3 Cap. 1.*

ſermonem, cum ipſe ſuo ingenio vti neſciret, integrum recitabat, (*) ſed nec ipſi ſatis primi ordinis Theologi quidam, quid ſuis auditoribus conueniat, obſeruant, quorum cum plerique plebeii ſint, non tam curant id, vt ſalutem illorum pia ac facili meditatione promoueant, quam vt allegatis Auctorum, et locis Patrum, quae, ne quisquam intelligat, Graece recitant, uaſtam eruditionem oſtentent. Alii, ſui penitus obliti, rebus ludicris, paene dixerim, ſcurrilibus, indulgent, ſententias ridiculas immiſcent, fabellas lippis et tonſoribus dignas narrant, vt non in ſuggeſtu conſtitutos, ſed in iucundo et hilari conuiuio inter familiares uerſari, putares. At nolite hos imitari, per Deum immortalem uos obteſtor, amiciſſimi iuuenes, nec ſacra profanis, et rem ſeriam ioco, miſcete, ne grauitati, non dicam Theologi, ſed hominis Chriſtiani, uim faciatis, ac fidem omnem in rebus diuinis amittatis. Sed et illud monendi eſtis, ne, idem uobis in hac aetate licere exiſtimetis, quod uiris canitie ac longo

(*) Anon. *de l'Eloqu. des Bienſeances* §. 23.

go in re ſacra vſu conſpicuis; vtque adeo moderate cenſuram adhibeatis, ne iuuenili ardore, et animi quadam impotentia, potius, quam ſacro in uitia odio debacchari uideamini. Nihil enim mea ſententia magis abſonum, quam imberbes iuuenes, atque eos, qui nondum ſacris rite initiati ſunt, cum ſe eo in loco conſtitutos uident, quo nullius opprobria timeant, contra luxum et uoluptates, quibus quidem haec aetas praecipue obnoxia eſt, procacibus dictis, nec ſine ſatyra, declamare. Dicendum et hic nonnihil de pronuntiatione et geſtu, de quibus non minus Eccleſiaſticum, quam Oratores alios, apprime ſolicitos eſſe conuenit, cum vtrumque ad titillandas aures, et oblectandos oculos, tum et ad mentem ipſam percellendam, ingentem uim habeat. Etenim, vt in his praecipuum decus a naturae bonitate prouenit, ita, nonnihil quoque artem ac exercitium conferre poſſe, exempla luculentiſſima demonſtrant. De ipſo CICERONE PLVTARCHVS refert in eius uita, quod, cum initio vteretur uoce paullo nimis agreſti et uehementi, illam poſtea, itinere in Graeciam facto, ita emendauerit, vt aures ſuauiſſimo ac gratiſſimo ſo-

no demulceret. Et, vt noſtri temporis exemplum addam, de B. IOANNE BENEDICTO CARPZOVIO noſtro, (at quanto uiro!) relatum accepimus, quod, quo tempore concionatoris Sabbatici munere fungeretur, uoce gracili ac tenui admodum vſus fuerit, quam, cum primum Eccleſiaſtes factus eſſet, ita emendauit, vt uiuida ac tonanti oratione omnes in admirationem raperet. Cauendum inprimis miniſtro eccleſiae, ne horrida, et minus grata auribus, pronuntiatione nauſeam creet auditoribus. Vnde uix ſatis demirari poſſum, inclutos olim fuiſſe Monachos quosdam, qui tuſſim, tanquam rem gratam, et quae grauitatem ſermoni conciliare queat, ſuperſtitioſius affectarunt; quos inter celebratur OLIVARIVS MALLIARDVS, qui ſermoni ſuo, quem Brugis anno milleſimo quingenteſimo nono habuit, vbicunque inter loquendum tuſſiendum eſſe exiſtimauit, inſeruit *hem, hem, hem*, vti ea ipſa, quae typis excuſa ſunt, teſtantur. (*) Ceterum ſunt, qui uocem ad planctum et lacrymas compoſi-

(*) *Traité de l'Action de l'Orateur Cap. 5 §. 4.*

poſitum commendant Oratori ſacro, maxime cum de aerumnis uitae humanae, de aegritudine et morte, de doloribus, quos pariunt delicta mortalium, et id genus aliis, uerba facienda ſunt: a quorum ſententia non multum decedo, modo ita in his uerſetur Orator, ne affectationi, quod uitium eſt turpiſſimum, locus vllus relinquatur. Quod idem de geſtu tenendum, in quo naturam ipſam, quam artem, ſequi, multo ſatius eſt; inprimis et illud curandum, vt iis rebus, de quibus loqueris, accommodatus ſit. Quid enim ineptius, quam ſi, vt de ueteri Sophiſta PHILOSTRATVS teſtatur, defixo in terram uultu, *o Iupiter!* rurſusque ſublatis in coelum oculis, *o terra!* exclames. Quemadmodum uero in oculis, ita in manibus quoque, haud exigua uis eſt; quas tamen loquaces nimis et garrulas eſſe, grauitati Theologi maximopere repugnat. Sed malo, uos, Auditores, in his, quae ad ſacros Oratores pertinent, ex ERASMI *Eccleſiaſte*, aureo libello, ſapere, quam inoportuna oratione nouas imprudentiorum ſatyras in me prouocari. Vnum reſtat, quod ad mores uiri eruditi generatim ſpectat, nimirum vt curam dili-

gentem

gentem adhibeat, ne, dum grauitatem parare ſibi ſtudet, in ſeueritatis nimiae, aut moroſitatis, uitium incidat. Sunt enim, qui ſe uiros grauiſſimos ſomniant, ſi crine adſcititio prolixo, ac pallio ad ſeram uel calcaneum vſque demiſſo, induti, lento gradu ac e teſtudine, ueluti pomparum fercula, incedant, ſi praetereuntes omnes toruo oculo intueantur, et ſalutantes ambitioſiſſime reſalutent, ſi denique rariſſime uerbum proferant in aliorum hominum conſortio, et, cum loquendi neceſſitatem ſibi impoſitam uident, ſesquipedalibus uerbis, et glomeratis ſententiis, vtantur; quos graues profecto uiros nemo dixerit, cum ſint omnium maxime ridiculi et inſulſi. Quod idem uitium in iuuenibus praecipue reprehendit FABIVS, (*) qui, *ſiccum*, ait, in illis, *et ſolicitum, et contractum, dicendi propoſitum plerumque affectatione ipſa ſeueritatis inuiſum eſt: quando etiam morum ſenilis auctoritas immatura in adoleſcentibus creditur.* Poſtquam itaque de eo diximus, quod graue eſt in moribus, reliquum eſt, vt pariter de grauitate, quae in ſcri-

(*) *Inſt. Or. L. XI Cap. i.*

ſcriptis ſpectatur, pauca uerba faciamus. Etenim duo ſunt in vniuerſum, quae ſcriptis grauitatem conciliant, tum dictio, tum res ipſa, de qua agitur; quae ita ſane comparata ſunt, vt, ſi per omnia ire mihi conſtitutum eſſet, atque ea tradere, quae Philoſophum, Oratorem, Poetam, Hiſtoricum grauem in oratione decent, citius dies me, quam dicendi materia, defecerit. Sed, vt reliquos mittam, non poſſum, quin de grauitate hiſtorica, de qua pauci hactenus literis commentati ſunt, quae in mentem uenerunt, addam hoc in loco. Uitanda uero praecipue, vt de cortice primum dicam, omnis Hiſtorico uentoſa loquacitas, ſententiarumque uaniſſimus ſtrepitus, leues nimirum et inanes ſoni, quibus corpus orationis eneruatur et cadit, ſententiolae uibrantes, uitrea fracta, et ſomniorum interpretamenta, melliti denique uerborum globuli, et dicta factaque quaſi papauere et ſeſamo ſparſa, quae cuncta facundiſſimus uerborum arbiter non vno in loco grauiter deteſtatur. Nam, quod ſuo etiam aeuo QVINTILIANVS (*) agnouit, *plerique nouo-*

(*) *Inſt. Or. L. I Cap. 8.*

nouorum omnium operum ſolam uirtutem ſententias putauerunt. Quo magis AVGVSTVM praeſtat, quam PAMMACHIVM, imitari, quorum ille, teſte SVETONIO, (*) *genus eloquendi ſecutus eſt elegans, et temperatum, uitatis ſententiarum ineptiis, atque inconcinnitate;* hic uero, quod ab HIERONYMO (**) obiectum legitur, *more puerorum argutas ſententiolas in clauſulis ſtruere* conſueuit. Deinde in rebus ipſis prouidendum Hiſtorico, ne obuia nimis et uulgaria, quaeque neminem ſcire multum intereſt, liberalius apponat. Quo nomine IVNIVS CORDVS notatur apud CAPITOLINVM, (***) quippe qui multa *ridicule ac ſtulte de domeſticis ceteriſque infimis rebus* hiſtoriis ſuis intulit, et, *quos ſeruos habuerit vnusquisque Principum, et quos amicos, et quot penulas, quotue chlamydes, quorum ſcientia nulli prodeſt*, diligentius adnotauit. Nec in portentis et ominibus nimium eſſe decet Hiſtoricum, ne, vt in his credulitatis facile conuincitur, ita in cete-

(*) in *Aug. Cap. 86.*
(**) *Epiſt. ad* PAMMACH.
(***) in GORDIANO *Hiſt. Aug. T. II p. m. 109.*

ceteris quoque imprudentius fidem adhibuiſſe iudicetur. (*) Quo pertinent PROCOPII, non inepti Scriptoris, ridiculae triginta porcorum et ſtatuae THEODORICI coniecturae, quodque cineres Ueſuuii montis, qui citra Neapolin ſitus eſt, Byzantium vsque uento delatos, et populum ita exterritum, tradit, vt annuis ſupplicationibus Deum placaret. Quae prodigia ſapiunt Graecam uanitatem, et Hiſtoricis non modo profanis, uerum etiam Eccleſiaſticis, fidem ſaepe derogarunt. Plenus eſt eiusmodi fabulis NICEPHORVS CALLISTVS, quibus etiam ZONARAS, alioquin probatus Hiſtoricus, et NICEPHORVS GREGORAS, ſaepe delectantur, ac interdum EVSEBIVS CAESARIENSIS: cuiusmodi eſt illud, quod ſe uidiſſe omni aſſeueratione confirmat, plantam in baſi, qua nitebatur aenea Chriſti ſtatua, (quam ante annos trecentos foemina ſanguinis profluuio curata Seruatori dicauerat,) ſponte natam, quae, cum primum extremam ſtatuae ueſtem attigiſſet, omnia morborum genera curabat. Neque id forte probandum, quod PETRVS BEMBVS, qui ſingu-

(*) BODINVS in *Meth. hiſt. p. 71 ſq.*

larem eloquentiam ad hiſtoriam attulit, alicubi teſtatus, in Apulia bello Ueneto coruos ac uultures tanta ex aere ui, tantisque agminibus, inter ſe conflixiſſe, vt carri duodecim eorum cadaueribus explerentur. Sed quis tantam in Scriptoribus illis ἀκρίβειαν deſiderauerit, cum in ipſo quoque LIVIO, grauiſſimo alioquin Hiſtorico, ſuperſtitionem nimiam, quae in auguriis et portentis uerſatur, quidam non immerito notauerint. Taceo eos, qui fabellas immiſcere hiſtoriae non uerentur. Quis enim PAVLVM UENETVM, aequo animo ferat, qui refert in Annalibus, mare Caſpium piſcibus ſemper uacuum eſſe, praeterquam ieiunii temporibus; vrbis Quinſeae ambitum ſuperare milliaria ſeptuaginta; eandem duodecim millia pontium habere tantae altitudinis, vt naues onerarias explicatis uelis facile admittant; Zipangrinos aduerſus hoſtium exercitus annulis vti, quorum ea uis ſit, vt ſint inuiolabiles, et quae ſunt eius generis alia. Praeterea, cum praecipue curandum ſit iis, qui hiſtorias tradunt, vt poſteritatis commodis ſeruiant,

(*) BODINVS *l. c. p.* 72.

uiant, ea maxime ſectari conueniet, quae ad uirtutem incitare lectorem, et a uitiis deterrere, ualeant. Haec vna enim uia et ratio eſt, vt loquitur Scriptor prudentiſſimus, (*) qua euadere poſſimus ad illam rerum diuinarum humanarumque cognitionem, quae noſtros animos alte ſublatos in excelſa quadam ueluti ſpecula collocare poſſit, ex qua circumſpiciamus, quicquid in orbe terrarum iam inde, ex quo ille eſt conditus, geſtum eſt, quod quidem ſit dignum animaduerſione memoriaque noſtra. Quare Hiſtoriam non tantum *teſtem temporum*, *lucem ueritatis*, *uitam memoriae*, *nuntiam uetuſtatis*, uerum et *magiſtram uitae*, grauiſſime pronuntiat Romanae eloquentiae princeps. (**) Quamuis enim nihil eorum diſſimulandum ſit Hiſtorico, quae uel bene, uel ſecus, geſta ſunt, attamen nec effutienda ſunt omnia, quae aut oculos pudicos, aut aures, offendant. Nec temere in SVETONIO reprehenſa eſt nimia illa in Principum flagitiis exponendis mora, qua fit, vt, quae uitia diligenter narrat, etiam docere uideatur.

(*) BALDVINVS *de Hiſt. L. I p. 609.*
(**) CIC. *L. II de Orat.*

tur. Sed in eo genere longe a LAMPRIDIO ſuperatur. Is enim tot portenta nouarum uoluptatum ab HÉLIOGABALO inuecta deſcribit, vt non magis ea narrare, quam vnicuique ad imitandum proponere, cenſeatur. Atque is fere Scriptorum huius ſeculi morbus chronicus eſt, qui in *Memoriis*, quas uocant, et Hiſtoriis ſecretis, id tantum ſpectant, vt delectationem afferant lectoribus ſuis, eoque non modo molliſſima dictione omnia inuoluunt, nec tantum exſultationes diurnas affabre depingunt, uerum et nocturnas ſubſultationes, et ſacra Ueneris intima, curioſo oculo rimantur; quo, tantum abeſt, vt inſtruant hiſtoriarum cupidam iuuentutem, vt potius in alia omnia trahant et corrumpant. Iam ad alia dicendi genera deſcendendum erat, niſi haec ipſa aëris inclementia, et quae in ſolenni hac Panegyri peragenda reſtant, breuitatem mihi ac ſilentium quodammodo imperarent. Itaque conuertor ad Uos, lectiſſimi iuuenes, quibus decretos a Senatu Philoſophico ſummos in Philoſophia, ac bonis artibus, honores publice nunc a me conferri par eſt. etc.

Reliqua, ab argumento Orationis aliena, conſulto praetermittimus.

ORATIO X.

DE UARIIS EXIMIISQVE COMMODIS, E BONARVM LITERARVM INSTAVRATIONE IN PVRIOREM EUANGELII DOCTRINAM DERIUATIS. (*)

Rector Academiae Magnifice,
Spectatiſſime Domine Pro-Decane,
Proceres Grauiſſimi,
Tuque ſtudioſa fauentiſſimorum lectiſſimorumque iuuenum concio.

Quod ſi longiſſime reſpicientes, prima Chriſtiani cultus initia contuemur, Auditores, non ſine diuino quodam nutu atque conſilio factum deprehendimus, vt eo prorſus tempore in terras deſcenderet ſanctiſſimus Seruator, quo, vt nihil non magnum et excelſum habuit orbis Romanus, ita bonis literis atque omni ſcientiarum genere feliciſſime floruit. Ceſſerat

 nuper

(*) Recitata eſt in Iubilaei Euangelici ſecundi celebritate A. 1717.

nuper terſiſſimae Latini ſermonis puritati Etruſca ſcabrities ac ruditas, iacebant ENNIVS PACVVIVSque, et ſi qui alii his paullo magis fuêre incompti, quorum ne nomina quidem ad nos peruenerunt. Contra perſonabat in foro incomparabilis TVLLII eloquentia; in Hiſtoria LIVIVS, in Poeſi FLACCVS et VIRGILIVS triumphabant, vt PLINIOS, SENECAS, OVIDIOS, aliosque, qui haud paullo poſt optimas artes ac ſcientias in lucem extulerunt, praetermittam. Quae tametſi documento quodammodo eſſe potuere primis Chriſtianis, quod ab omni ſqualore alieniſſima ſit ſancta religio, id tamen mature ſibi curandum exiſtimarunt, vt homines a Scriptorum ethnicorum ſtudio auellerent, ne ſcilicet his deliciis paullatim ad cultum quoque gentilium ac ſuperſtitionem reuocarentur. Itaque primum omnium CICERONEM e iuuenum manibus eripiendum cenſuerunt; eoque proceſſit ipſe HIERONYMVS, (*) vt, quo

(*) *Epiſt. XXII T. I Oper. p. 94 edit. Francof.* Conf. Cl. HEVMANNI, Amici noſtri aeſtumatiſſimi, Programma *de Ecſtaſi Hieronymi Anti-Ciceroniani.*

quo magis alios abſterreret ab illius lectione, diuinitus,ac uelut per ecſtaſin, ſe monitum, comminiſceretur, vt et TVLLIO, et aliis gentilium ſcriptis, ocyus nuntium mitteret, eaque omnia deponeret e manibus. Digna ſunt eius uerba, Auditores, quae hoc loco repetamus: *In media ferme quadrageſima,* inquit, *medullis infuſa febris, corpus* (meum) *inuaſit exhauſtum, et ſine vlla requie, (quod dictu quoque incredibile ſit,) ſic infelicia membra depaſta eſt, vt uix oſſibus haererem. Interim parantur exſequiae, et uitalis animae calor, toto frigeſcente iam corpore, in ſolo tantum tepente pectuſculo palpitabat, cum ſubito raptus in ſpiritu ad tribunal iudicis pertrahor, vbi tantum luminis, et tantum erat ex circumſtantium claritate fulgoris, vt proiectus in terram, ſurſum ſuſpicere non auderem. Interrogatus de conditione, Chriſtianum me eſſe, reſpondi: at ille, qui praeſidebat, mentiris, ait, Ciceronianus es, non Chriſtianus; vbi enim theſaurus tuus, ibi et cor tuum. Illico obmutui, et inter uerbera (nam caedi me iuſſerat,) conſcientiae magis igne torquebar, illum mecum uerſiculum reputans: in inferno au-*

tem quis confitebitur tibi? Clamare autem coepi, et eiulans, dicere: Miſerere mei, Domine, miſerere mei. Haec uox inter flagella reſonabat. Tandem ad praeſidentis genua prouoluti, qui adſtiterant, precabantur, vt ueniam tribueret adoleſcentiae, et errori locum poenitentiae commodaret, exacturus deinde cruciatum, ſi gentilium literarum libros aliquando legiſſem. Ego, qui in tanto conſtrictus articulo, uellem etiam maiora promittere, deierare coepi, et nomen eius obteſtans, dicere: Domine, ſi vnquam habuero codices ſeculares, ſi legero, te negaui. In haec ſacramenti uerba dimiſſus, reuertor ad ſuperos, et, mirantibus cunctis, oculos aperio, tanto lacrymarum imbre perfuſos, vt etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Hactenus graphice ſatis omnia Stridonenſis Presbyter, ſed parum quidem, vt arbitramur, ex grauitate tanti uiri. Nam, cum is haberi cuperet, qui ſerio rem ageret, ac uera narraret, tantum abeſt, vt iſta perſuaſerit prudentioribus, vt, ſi RVFINO (*) fidem habeamus, ne iuratus quidem ipſe a lectitandis

(*) *Lib. I fin. contra* RVFINVM.

tandis uolutandisque Ethnicorum libris prorſus abſtinuerit. Enimuero nec omnium primae Eccleſiae Doctorum mens ea fuit, vt uel ab omni ſermonis elegantia, uel rerum, qui in ſcriptis gentilium abundat, apparatu, cauendum Chriſtianis exiſtimarent, quandoquidem et BASILIVS luculentiſſimam de *gentilium libris cum fructu legendis* Orationem reliquit, et LACTANTIVS, qui *Ciceronis Chriſtiani* elogium meruit, exemplo docuit illuſtri, quantum ſacra Chriſtianorum compta ac pura dictione inuolui expediat. Et, quamuis non minus ueteri, quam recentiori, aetate reperti ſint, qui caſti ſermonis, ac uariae eruditionis, opes caeco nimis amore deperirent, et, quod de ANGELO POLITIANO (*) circumfertur, diuinis Dauidis Pſalmis Pindaricas Odas longiſſime anteferrent, attamen id in vniuerſum animaduertimus, quo propius ad barbariem uergerent bonae literae, hoc magis ipſum ſanctiſſimae doctrinae lumen fuiſſe obfuſcatum, rurſusque cum ipſa literarum inſtauratione caput ex-

 tuliſſe

(*) LVD. UIUES *Lib. II de uerit. fid.*

tuliſſe religionem, vt incertum fere uideatur, vtrum illa huic, an haec illi, plus adiumenti aut praeſidii attulerit. Quae dum apud animum meum reputo, rem nec auribus ueſtris, Auditores, prorſus ingratam, nec ab huius diei Panegyri alienam, me facturum confido, ſi paullo plenius demonſtrauero, quantopere ex illo tempore, quo diuus LVTHERVS doctrinae ac morum emendationem feliciter reuocauit, politiorum literarum, artium, ac ſcientiarum, ſtudium inter Germanos, et in Saxonia potiſſimum noſtra, fuerit excultum, et quantum ex eo commodi ad propaganda ſaluberrima Chriſti praecepta redundauerit. Quod cum argumentum ſit arduum, et longe ingenio meo maius ac praeſtantius, antequam id aggrediar, Uos, Patres conſcripti, Auditores optimi, exoratos cupio, vt, ſi minus, quam res poſtulat, apte ac ornate, pro uirium mearum, quarum mihi conſcius ſatis ſum, imbecillitate dixero, id uoluntati et obſequio meo benigniſſime condonetis.

Quoties ſubit triſtiſſima temporis illius imago, quo omnis literarum uenuſtas atque elegantia, non dicam e Germania, uerum ex orbe propemodum vniuerſo

uerſo, exulauit, uix mihi temperare queo, quin miſeram illorum hominum ſortem deplorem, qui in media luce caecutire, quam rectae rationis ingenium ſequi, maluerunt. O ſecula barbara atque inficeta! o noctem! o tenebras plus quam cimmerias! Qui ſicca quaedam et emarcida Latini ſoni uocabula, prout ſors ferret, in chartam coniicere, aut balbutiente lingua in publicum proferre, auderet, nae is profundiſſime doctus habebatur. De Graecis uero notum illius aetatis prouerbium, quod nec legi, nec intelligi, potuerint. Ad Homiliam confarciendam vnus illis Stagyrita ſufficiebat, neque tamen, quae in eo praeſtantiora ſunt, ſed Logicas futilitates, quisquilias, ſordes, ſectabantur, et, cum aliquem forte Scripturae locum inſpergerent, nequaquam ipſum ſacrum Codicem, quem nunquam uiderant, ſed Canonem aliquem, aut Decretum, adducebant. (*) Plena omnia *Thomiſtarum*, *Scotiſtarum*, *Albertiſtarum*, qui in ſcholis, in pulpitis, in theatris, late dominabantur. Sed de his etſi res ipſa loqua-

(*) Uid. HERM. UON DER HARDT *Hiſt. lit. Reform.* paſſim.

loquatur, et a *Moriae*, et *Epiſtolarum obſcurorum uirorum*; quas uel in commendationem ſuam ſcriptas, abſurdiſſimi monachi arguebant, Auctoribus dictum ſit apertius, vt tamen paucis multa complectar, eloquar elegantiſſimi uiri, IOANNIS ANTONII CAMPANI, de Germania agentis, uerbis, qui, *incredibilis eſt*, inquit, *hic ingeniorum barbaries; rariſſimi norunt literas, nulli elegantiam.* (*) Vtebatur inter haec aliena inſania Romanus Pontifex, caecasque Germanorum mentes, prout libitum erat, circumducebat, nunc ſummos Principes ſacro fulmine territando, nunc emungendo miſerorum hominum crumenas nefaria indulgentiarum nundinatione, nunc commenta alia, miſſam, transſubſtantiationem, purgatorium, et ſi qua rerum, in quibus plurimum horroris ineſt, nomina his ſunt horridiora, ſummis pariter, atque infimis, per tyrannidem obtrudendo. Equidem nec defecere inter haec uiri ſapientiſſimi, qui, malis iſtis mature medelam afferri, opta-

(*) *Epiſt. L. VI Ep. 2.* Conf. noſtram de *Odio* CAMPANI *in Germaniam* Orationem.

optarent; (quid enim tot acerbiſſimas in Clerum inuectiuas, tot publicas de peruerſo Eccleſiae ſtatu querelas, quid ipſa Concilia, Conſtantienſe inprimis, ac Baſileenſe, memorem, in emendanda potiſſimum Eccleſia occupata?) at, cum uana eſſent omnia atque irrita, fata, quod aiunt, uiam inuenere, factumque eſt tandem diuina prouidentia, vt cum amore literarum ipſum etiam uerae pietatis ſtudium quaſi poſtliminio reduceretur. Nimirum, Conſtantinopoli ab atroci Scytha, ingenti Chriſtianorum damno, expugnata, uiri complures, Graece doctiſſimi, duro neceſſitatis telo adacti, in Italiam exules conceſſerant, qui mox illic ſcholas aperuere, magno hominum omnis aetatis et conditionis, vt fit in re noua, concurſu. Horum aemulatione ipſi paullatim Itali accenſi, vt ſuae gentis decus pari animi ardore tutarentur, cultiſſimi Latii ueneres ac delicias omnes denuo ſolicitantes, quicquid eſt literarum elegantiorum, communi uelut conſilio excitarunt. Nec potuit Italiae finibus contineri nobilis impetus; quin ad exteras gentes, quas adhuc promiſcue barbaras uocare conſueuit effraenis Italorum ambi-

ambitio, citiſſime peruaſit, ita, vt in prouerbium abierit, Graecas Latinasque Muſas Alpes transuolaſſe. Ingens tum inprimis, vt ceteras omittam cultioris orbis partes, Germaniae noſtrae lumen affulſit, cum et VLRICVS HVTTENVS, Heros in toga aeque, ac ſago, eximius, (qui uariis in Italiam ſuſceptis itineribus ingentes literarum opes ſecum adduxerat,) ridiculis *Epiſtolis* illis, quas ſupra memorauimus, publice deridendos propinaret monachos inſulſos et inertes; et in ſuperiori Germania IOANNES REVCHLINVS, in inferiori DESIDERIVS ERASMVS, omnes ingenii, quod maximum illis natura dederat, uires eo intenderent, vt, pulſa barbarie, optimis literis artibusque decus ſuum conſtaret. Pateret hic nobis ſpatioſiſſimus diſſerendi campus, ſi cuncta tantorum uirorum merita iuſtis laudibus extollere animus eſſet; at, cum id minime patiatur temporis, quod huic Panegyri conſecratum eſt, anguſtia, illa tantum hoc loco uel leuiter attingemus, quae a REVCHLINO praeſertim et ERASMO pari in eccleſiam ac bonas literas vtilitate ac fructu ſuſcepta ſunt. Nam, cum

ſatis

ſatis intelligerent duumuiri iſti, non per ſaltum,ſed lento pede, progredi rem literariam, robuſtiorumque hominum pertinax ingenium difficillime frangi, et ad manſuetudinem adduci poſſe, de eo maxime laborarunt, qua ratione tenerae aetati literarum amorem inſtillarent; eoque ita inter ſe quaſi partiti ſunt laborem, vt ERASMVS Graecas potisſimum et Latinas literas, REVCHLINVS uero Hebraicas, e ſitu et ſqualore excitatas, in illuſtri poneret. Itaque hic, quamuis ſeueriori legum ſcientia occupatus, vt ſanctae linguae ſtudium proueheret, primus, editis praeceptis luculentisſimis, illius fundamenta feliciter iecit, diligenterque, pro ſumma, qua in Imperatoris et Principum aulis ualuit, auctoritate, laborauit, quo minus, quod HOCHSTRATVS, et alii, minus cauti, ſuaſerant, Hebraei Iudaeorum codices igne cremarentur, et ex hominum memoria tollerentur. Ille autem de literarum aeque, ac religionis, dignitate uel eo non parum meruit, quod pueris in ſcholis proponenda curaret Colloquia familiaria, quorum dulcedine allecti, dum dictionis elegantiam iucunde deguſtarent, doctrinae ſimul ae morum in

Clero turpitudinem exhorreſcere ac deteſtari diſcerent: vt proinde nonnulli dubitandum exiſtimauerint, vtrum plus damni LVTHERVS Romanenſium dominatui tot diuinis ſcriptis, an ERASMVS (qui nondum quidem ipſe uel agnouit ſatis, uel agnoſcere auſus eſt, purioris doctrinae ueritatem,) ſuauisſimis illis *Dialogis*, attulerit. Nec minora ſunt huius uiri in rem ſacram merita(*). Nam et primus Scholaſticorum tricas et ineptias magno animo e ſcholis et Academiis eiecit, et primus uim atque neruum diuinorum oraculorum non ad uulgatam, quam uocant, uerſionem, uerum ad ipſos fontes, metiendum eſſe docuit, immo et primus nouam noui Foederis, eamque emendatiſſimam, uerſionem Latinam magno perſpicaciorum hominum plauſu concinnauit. Vrgebat inter haec paullo feruentius rem eccleſiae diuus LVTHERVS, et, cum minime ignoraret, quantum ad tollendos ſanctae doctrinae naeuos intereſſet, vt Philologiae et linguarum ſtudia pulcre florerent, nihil antiquius

(*) HERM. UON DER HATDT *Praef. Partis I Hiſt. cit.*

quius habebat, quam *vt, reiectis,* vt ipſe loquitur, (*) *ineptis illis Petri Hiſpani, Tartareti, Ariſtotelis, lectionibus, lectiones vtriusque, immo triplicis, linguae, Latinae, Graecae, ac Hebraicae, Plinii item, Mathematicarum, Quintiliani, et nonnullae aliae, inſtituerentur.* Nec res euentu caruit. Nam, etſi cuncta perfici, et ad ἀκμὴν eodem tempore perduci, haud poſſent, quod periculo plena uideri poterat ſubita ac enormis rerum conuerſio, mox tamen, fauente curia, PHILIPPVM MELANCHTHONEM, uirum bonis literis promouendis natum, ſocium adſciuit, cui nouo exemplo Graecarum literarum Profeſſio demandata eſt, tanto ſucceſſu, vt, ipſo iterum teſte LVTHERO, (**) *ſtudioſi iuuenes, mox pertaeſi ſophiſtici illius antiqui ſtudii,* cupidiſſime anhelarent eas literas, quibus ad limpidos ſacrae Scripturae fontes quaſi manu ducebantur. Nec defuere per eadem fere tempora in Philurea noſtra, qui doctrinae ac literarum glo-

V ria

(*) *A. 1718 M. Martio Tom. Ep. I p. 55.*
(**) in *Epiſt. l. c.*

ria maximopere florerent, RICHARDVS nempe CROCVS, Anglus, vtriusque linguae Profeſſor, eiusque ſucceſſor, PETRVS MOSELLANVS, et ingens inprimis Germaniae lumen, IOACHIMVS CAMERARIVS, in quo uiro, cum alia eius exſtent merita longe plurima in Rempublicam literariam, (*) quam Sereniſſimorum Ducum ac Electorum nutu prudentiſſime, miſſis in alias vrbes literatorum hominum coloniis, gubernauit, tum illud laudem praecipuam meretur, quod, quo felicius opprimeret barbariem, optimos Auctores, omni apparatu inſtructos, compteque et eleganter editos, magna copia uelut in aciem eduxerit. Quo loco non poſſum, quin artis quoque typographicae aliquam mentionem faciam, quae, cum ante annos haud ita multos inſigni mortalium beneficio eſſet inuenta, exquiſitum hoc ipſo tempore ornatum ac ſplendorem accepit, adeo, vt ad ueterum Scriptorum, quos certatim

(*) Uid. noſtram Diſſert. *de Graecarum et Latinarum literarum in Miſnia Inſtauratoribus*, et Orat. Secul. *de Uiris eruditis, qui Lipſiam ſcriptis atque doctrina illuſtrem reddiderunt.*

tatim CAMERARII amici et diſcipuli in lucem emittebant, lectionem cuncti non aliter, atque faſcino quodam, illicerentur. Nec foris, quam intus, ornatiora prodiere uolumina. Nihil enim omittebatur, quod ad integritatem, facilemque uocum omnium ac ſententiarum euolutionem, ac reliquam literarum ſupellectilem, pertinere uideretur. Itaque diligens inprimis et accurata Codicum perquiſitio inſtituta, perreptatis et excuſſis omnibus clauſtrorum loculis: protractos e pulueribus, longoque carcere liberatos, auide in manus ſumere eruditi, cunctosque literarum apices curioſo oculo rimari, tum diuerſos Codices incredibili labore inter ſe committere, aliosque ex aliis, ſuſpectos e uetuſtioribus, hiulcos et exoſos e ſanioribus, reſtituere, atque emendare. Quae res mire promota fuit, cum paullatim literati non tantum in Germania, uerum in orbe, qua patet, vniuerſo, in vnam velut Rempublicam communi conſilio coirent, et, ſuſceptis itineribus, commerciisque paſſim inſtitutis, ſuos mutuo conatus adiuuarent, ac proueherent. Ita enim factum eſt tandem, vt, nullo uel gentis, uel religionis, habito diſcri-

mine, collatisque vltro citroque, ac liberaliter communicatis, Codicibus, ad integritatem ac ſplendorem librorum deſiderari poſſet omnino nihil. Quae eam maxime ob cauſam hic commemoramus, vt appareat, quantum vtilitatis iſta ingeniorum concertatio ad ipſam Religionem et cultum ſacrorum puriorem attulerit. Nam, quo maior aliorum de aliis cura ac ſolicitudo fuit, eo acrius pro ſua parte Theologi quoque contenderunt, vt non modo vtriusque Foederis tabulae ad uetuſtiſſimorum Codicum fidem quam emendatiſſime prodirent, uerum et ſanctis Patribus, haereticorum ueteris aeui perfidia, ac monachorum ruditate, miſere detruncatis, caſtimonia ſua et ſanctitas priſtina redderetur. Etſi enim non erubuerint ſummi Pontifices, quaedam Patrum loca, quae manifeſto repugnarent ſuis erroribus, in Indices expurgatorios referre, pari forte impudentia ex ipſis ſacris literis eraſuri non pauca, niſi ſuo ſe pondere tueretur inuicta ueritas: et praeterea Loyolitis id ſolenne ſit, vt in ſplendidiſſimis ſuis Patrum editionibus, quae hominibus parum emunctae naris facile nitore ſuo ſe commendant, liberrime addant,

mutent,

mutent, expungant; nunquam tamen defuere ex ipſis etiam Pontificiis homines cordatiores, qui, uaferrimis illorum fraudibus oportune in apricam lucem productis, ſanctiſſimorum uirorum famae ac gloriae optime, quantum in ipſis fuit, conſuluerunt. Nec quisquam hodie tam ignauus ac ſtupidus deprehenditur, qui fidem habeat IOANNI HARDVINO, Loyoliticae in Gallia cohortis primipilo, quando is, horrendi carminis auctor, non modo pleraque ueterum alia, atque adeo plurima Patrum, inprimis AVGVSTINI, Opera a neſcio quibus Seculi XI tenebrionibus excogitata et ſuppoſita fuiſſe, temere comminiſcitur, uerum etiam ipſum Hebraeum Codicem, Graecamque LXX uirorum uerſionem, apud uiros probos in ſuſpicionem adducere, nefarie laborat, ſcilicet vt uulgatae auctoritatem, quam vnam ueneratur, vnam deperit, hoc magis ſuffulciat, et extollat. Sed mittamus nugas illas, HARDVINVMque cum paucis aliis, qui ſputa illius lambere nati, genio ſuo abundare patiamur. Quoniam autem uentum eſt ad librorum ſuſpiciones, non erit ab hoc loco alienum, vt uel uerbo

dicamus de arte Diplomatica, a IOANNE MABILLONIO in Gallia noſtra fere aetate feliciter reperta, et in Italia a IVSTO FONTANINO, Amico noſtro, in Germania ab HERMANNO CONRINGIO et UUILHELMO ERNESTO TENTZELIO, atque alibi ab aliis, magna ingeniorum aemulatione promota, quae uiam aperiat facilem ad diiudicandam aetatem ac fidem manuſcriptorum codicum, dubium nullum eſt, quin multum eadem momenti paullatim quoque afferat ad aſſerendam ſacris literis, quibus vnice, ceu fulcro certiſſimo, innitimur, integritatem.

Proxima huic eſt ars critica, in qua ingenio potiſſimum opus eſt, quod non defuiſſe Germanis noſtris, tot optimorum Criticorum exempla facile probant. At, cum ita fere comparatum ſit cum ſacris literis, vt ſubtilitates omnes, quas ratio humana nectere conſueuit, reſpuant et auerſentur, ſuperuacaneum fuerit, de eius artis incrementis, quae cepit his Seculis longe maxima, apertius ediſſerere. Ad Eloquentiam pergo, qua nihil ſpecioſius, nihil praeſtantius. Nam, etſi ſuo nitore, ſuis radiis, coruſcet ſancta ueritas, multum tamen etiam

etiam in re ſacra intereſſe uidetur, vt apte omnia et ornate, prudenterque, efferantur. Etenim, ſi denuo ſuperiorum temporum ruditatem reſpiciamus, bone Deus, quantum vbique deprehendimus crepundiorum. Tantum enim abfuit, vt e diuinis oraculis uim atque pondus quaererent ſuis ſermonibus Oratores ſacri, vt nunquam crederent ſe efficacius commouere poſſe hominum animos, quam cum inſulſiſſimis argutiolis, facetiisque plus quam inficetis, eo adduxiſſent auditores ſuos, vt riſu plauſuque cunctos templorum arcus atque porticus implerent. Ecquis uero inficetam illam ac geſticulatoriam deblaterandi rationem, eloquentiam, ecquis ſacram, dixerit? quam grauem vtique et ſacro homine dignam eſſe conuenit, plenam pondere uerbi diuini ac maieſtate. Itaque, cum ueterem Graecorum atque Romanorum eloquentiam reuocandam cenſuerunt elegantiſſimi literarum inſtauratores, ſubtilitatem LYSIAE, acumen HYPERIDIS, ſonum AESCHINIS, lenitatem LAELII, grauitatem AFRICANI et PERICLIS, cunctasque TVLLII artes, commendantes, nihil omnino admiſerunt, quod non idem et religio-

ni noſtrae eſſet accommodatiſſimum. Eadem propemodum Poeſeos eſt ratio, praeſertim Germanicae, cuius in hymnis ſacris uim atque efficaciam vſque adeo non inficiantur ipſi Pontificii, vt, nonnullos uel noſtrorum hymnos publice in templis ſuis decantari, haud aegre patiantur. Qua in re non parum quoque, vt in multis aliis, incomparabili uiro, MARTINO LVTHERO, debemus, qui, cum ipſe nondum ſatis omnes uernaculae poeſeos lepores, primis illis omnis nitoris initiis, adſecutus eſſet, rhythmi raucitatem magno rerum et argumentorum pondere penſauit, et poſteris reliquit exemplum, quod pari fructu, at maiori pro ſeculi noſtri elegantia felicitate, ſequerentur. Sed de aliis quoque diſciplinis, quae paullo maiorem in omni uita vtilitatem praebent, nonnihil dicendum, de ſtudiis inprimis Phyſices, et Matheſeos, quae omnium confeſſione tam grauiter ducentis his a debellata barbarie annis a maximis ingeniis exculta ſunt et expolita, vt nec ſuperiora tempora habeant, quo cum noſtris componi poſſint, nec poſteris ſeculis quidquam, praeter putidam imitandi gloriam, relictum uideatur. Quid enim

enim memorem tot nouas methodos expeditiſſimas, tot obſeruationes, incredibili pertinacia ſuſceptas et continuatas, tot praeclara inuenta Chymica, Optica, Mechanica, atque alia innumera, quae ſi uel obiter attingenda eſſent, dies me citius, quam dicendi copia, deficeret? Quid memorem Naturae curioſorum, Regiamque Boruſſicam, et alias Germaniae Societates, quae, Anglorum, Gallorumque, et Italorum, exemplo, felici ſidere coaluere, tantosque paullatim in ſcrutandis naturae arcanis progreſſus fecere, vt non minus inter ſe, quam cum exteris, de inuentionis gloria haud improſpere certare uideantur. Neque uero exiſtimetis, Auditores, nullum ex his omnibus fructum ad dextrum diuini Numinis cultum perueniſſe. Nam, cum id fere ſolenne ſit aduerſariis noſtris, vt, dum ad ſua iuga pertrahere imprudentes conantur, omnem in iis Dei ter Opt. Max. ſenſum exſtinguant, et, religionem ad coercendam plebem excogitatam eſſe, improba ac nefaria ratione iactitent, quod non ignorent, proximam ab Atheiſmo ad ſuperſtitionem uiam patere, nullum opportunius huic malo remedium afferri po-

terat, quam vt homines, ad intimos rerum, non diuinarum modo, uerum et humanarum, receſſus admiſſi, immenſas naturae opes ſtuperent, atque ita demum ſummum, quod omnia moderatur, Numen profundiſſimo cultu proſequerentur. Quibus rebus apte deducendis cum Angli praecipue magna cum laude allaborauerint, in quibus BOYLEVM, BENTLEIVM, PARKERVM, GASTRELLIVM, DERHAMIVM, et nuper admodum UUALLESTONVM, omnem mouiſſe lapidem conſtat, vt e mira rerum creatarum concinnitate optimi Creatoris ſapientiam ac prouidentiam declararent; Germani quoque noſtri, ne tantis theſauris carerent, nihil omiſerunt, vt aurea illorum ſcripta uel recuderent diligentius, uel Germana ciuitate donarent. Quo maior porro moralis quoque diſciplinae, quae uirtutem contemplatur, cum rebus ſacris eſt affinitas, eo maiora profecto has ipſas e ſaniori illius cultura tuliſſe commoda, nemo ibit inficias. Etenim, qui ante magnam illam, de qua diximus, literarum cataſtrophen Ethicam attingebant, vnam illam ARISTOTELIS uiam

dogma-

dogmaticam (*) premebant, adeo inſuper ſucceſſu temporis futiliſſimis quaeſtiunculis deprauatam et corruptam, vt nobiliſſima diſciplina tantum non penitus fuerit amiſſa. Itaque paullo aliter rem aggreſſi ſunt STVRMIVS, CASELIVS, aliique optimae doctrinae inſtauratores, qui paraeneticam, quam uocant, tradendi moralia rationem in uiam quaſi reduxerunt. Sed multo quidem reliquis, qui praeceſſerant, expeditius ea in re uerſatus eſt SAMVEL PVFENDORFFIVS, cuius etſi non omnibus omnia probentur, tanta tamen tamque eximia exſtant in morum diſciplinam merita, vt, lectis ipſius ſcriptis, facile careamus cunctis aliis, quantique illa facienda ſint, uel ex eo intelligatur, quod etiam ab exteris, quibus pleraque Germanorum faſtidiuntur, magno in pretio habeantur, et in uernaculas ipſis linguas transfuſa, in omnium manibus uerſentur. Ceterum non contemnendum plane eorum conſilium uidetur, qui tabulas Moſaicas, ceteraque, quae a SALOMONE et SYRACIDE ſapien-

(*) PASCHIVS *de uar. mod. trad. Mor. in Praef.*

ſapienter dicta ſunt, ad publicam doctrinam transferri ſuadent. Quis enim elegantiſſima illic ac ſaluberrima morum praecepta contineri neget? Vt adeo Noribergenſes nequaquam arbitremur ſua laude fraudandos, qui, a Moralis Philoſophiae in Academia Altorffina Profeſſore (*) diligentem inter doctrinam de moribus et Decalogum collationem inſtitui, ad hunc, ceu omnium uirtutum fontem, omnia reduci, et in traditione uirtutum non tantum ad finem politicum, ſed etiam Chriſtianum, reſpici, ac uirtutes ad Deum et proximum ſedulo dirigi, ſancta ac perpetua lege ſanxerunt. Iam, vt cetera quoque, quae ſuperſunt, abſoluamus, nihil ad religionem magis profuit Hiſtoriae cultura, quae ita fere antehac a Germanis noſtris contempta et neglecta iacuit, vt MAXIMILIANI I, Imperatoris, aetate, qui primus MVTIVM, CVSPINIANVM, et quosdam alios, ad tabularia intromiſit, plerique Principes ipſa etiam auorum ſuorum nomina, nedum res geſtas, ignoraſſe memorentur. (**) Pluri-

(*) Id. *Inu. Nouant. Cap. 4 §. 25.*
(**) MVTIVS in *Praef. Chron.*

Plurimum uero intererat, homines nouos, et iugi Romani nondum penitus deſuetos, e ſuperiorum temporum hiſtoria, luce illa ueritatis, ac magiſtra uitae, luculentius cognoſcere, qualis olim fuerit ſacerdotii et Imperii facies, quibus artibus et technis ad ſummum in rebus diuinis ac humanis dominatum peruenerint Pontifices, vt corrupti paullatim fuerint mores Cleri, luxusque, et inertia, et ſupina rerum omnium ignorantia, introducta. Proinde non id tantum operam dedere eruditi, vt, quicquid vndique corradi poterat monumentorum ueterum, uaſtis uoluminibus digererent, quales ſunt REINECCII, FREHERI, PISTORII, VRSTISII, REVBERI, aliorumque, theſauri, uerum et, quae tum Eccleſiae, tum Reipublicae, inde a primis initiis ad noſtram aetatem fuerint fata ac uiciſſitudines, iuſto ordine exponerent, tanta quidem fide ac perſpicuitate, vt, ſi eos legeris, rebus ipſis intereſſe, et cuncta oculis uidere, et manibus quodammodo palpare, uidearis. Uix enim dici poteſt, quanta optimorum ingeniorum contentione prouectum in hunc diem fuerit nobiliſſimum Hiſtoriarum ſtudium; quanta

quanta ſolicitudine omnia Bibliothecarum, quae immani ſumtu congeruntur, ſcrinia, omnes loculi, expilentur, atque e ſchedis palantibus, e marmoribus, nummis, diplomatibus aliisque uetuſtatis reliquiis, quotidie eruantur, quae maioribus noſtris ſors iniqua inuidit, aut ſurripuit; adeo, vt nihil omnino reliquum fecerint Scriptores, quod inſatiabilis illorum curioſitas non fuerit callidiſſime expiſcata. Neque ea tantum, quae tempore et loco remotiſſima ſunt, in Annales referunt, uerum, quo magis poſteritati conſulant, ſui inprimis temporis hiſtorias diligentiſſime condunt, eoque, Gallorum exemplo, ſummorum in aula et militia uirorum Commentarios promunt, quo fit, vt non tantum rerum geſtarum ordo et euentus, uerum et clandeſtinae machinationes, et ſecretiora conſilia omnia, manifeſtiſſime reuelentur. Acceſſit his nouum, et maioribus noſtris uix tentatum, Hiſtoriae genus, quod literarium uocamus. Cum enim ingens eſſet his duobus tribusue Seculis librorum, omni literarum apparatu inſtructiſſimorum, prouentus, de eo paullatim ſoliciti fuere haud pauci, vt commodas

das ad comparandam tot Auctorum notitiam uias harum rerum cupidis aperirent. Itaque nonnihil quidem iam olim GESNERVS, LYCOSTHENES, LIPENIVS, et his ſimiles, tentarunt, qui *Bibliothecas*, et *Catalogos vniuerſales* non poenitendo labore congeſſerunt, mox alii, praeſtantiſſimorum uirorum fata ignorari indignati, tum Epiſtolas illorum, monumenta item ſepulcralia, atque alia, in lucem protulere, tum uitas quoque ipſas iuſtis uoluminibus conſignare aggreſſi ſunt, quas rurſus deinde alii, in compendia ſcite redactas, et in vnum aliquod corpus compactas, uel *Proſopographiis* ſuis, vt HENRICVS PANTALEON, uel *Theatris*, vt FREHERVS et PLACCIVS, uel *Memoriis*, vt ADAMI, UUITTIVS, PIPPINGIVS, GOEZIVS, aliique, uel denique *Dictionariis*, vt e Gallis MORERIVS, et BAELIVS, e noſtris HOFFMANNVS, et BVDDEVS, inſeruerunt. Iactis his muſarum amoeniorum fundamentis, ad maiora progreſſi ſunt harum cupediarum amantes, primusque DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS, uir ſtupendae eruditionis, Polyhiſtorem nobis inſtruxit, cuncta harum literarum praeſidia complexum, quem noſtro

noſtro tempore STRVVIOS, REIMMANNOS, HEVMANNOS, STOLLIOS, aliosque, (quis enim omnes enumeret?) non ignobili ardore aemulatos fuiſſe, publice conſtat. Ita uero paullatim plerorumque animos mira illius ſtudii iucunditas faſcinauit, vt Scriptorum, ante annos, uel Secula, editorum, cognitione neutiquam ſatiati, nouis potiſſimum, et uix natis, libellis inhiarent, eosque uel hedera, ſi meruiſſent, ornarent, uel, ſi minus, prudenti iudicio damnarent. Itaque coeperunt libros quoscunque ad Diaria referre, inde a PHOTII aetate fere ignorata, ſed tanto mox numero protruſa, vt plura dixeris in ipſa Germania Diaria pullulaſſe breui tempore, quam fungi naſcuntur vna nocte. Quorum vtilitatem etſi ipſa quodammodo copia imminuerit; illud tamen non eſt praetermittendum ad rem noſtram, exoptatiſſimos ex ephemeridibus literariis fructus ad ipſam religionem hactenus perueniſſe; quandoquidem et noſtri ex illis diſcunt, quae ueritatis hoſtes producunt, et alieno cultui obnoxii, dum a ſcriptis Theologorum noſtratium ſeuere prohibentur, excerpta tamen il-

lorum

lorum in Diariis in ipſa ſuperſtitionis arce, Roma, nedum alibi, impune legunt. Praeterea, ne quid ad Hiſtoriae literariae faſtigium deeſſet, *Noua Literaria* hebdomatim apud nos coeperunt euolare, quibus id fere conſecuta eſt Respublica literaria, vt et, quae paſſim in illa obueniunt memoratu digna, pleraque omnia, et quam citiſſime, innoteſcant; quae quidem tanta a multis auiditate arripiuntur, vt dubitari propemodum poſſit, vtrum plus hodie interſit, Regnorum ac Rerumpublicarum uiciſſitudines, et res pace belloue nuper geſtas, uel gerendas, an literarum ſtatum, doctorumque uirorum praeclara facinora, amicitiasque, et odia, habere explorata. Quo loco non poſſum tamen diſſimulare, nimium Iuuenum quorundam in haec ſtudia pruritum fraenandum potius, quam excitandum, aut inflammandum, uideri, cum multi ita ſe horum dulcedine ineſcari patiantur, vt, ſpretis atque inſuper habitis ſeuerioribus ſtudiis, ad ſummum ſe literarum culmen perueniſſe, putent, ſi ſciuerint, quot vxores CALOVIVS duxerit, uel quot pocula exhauſerit BAVDIVS, aut ſi ad vnguem edidicerint, quot annis

eodem calamo vſus fuerit, et quot lacrymas, eo demum perdito, effuderit LEO ALLATIVS; quot baculi ictibus GASPAR SCIOPPIVS, iuſſu Legati Anglici, fuerit laceratus; uel quot pilos FRANCISCVS PHILELPHVS, grammatica lite ſuperior, e barba TIMOTHEI, aduerſarii, euulſerit. At iſti ſunt, qui, nubem pro Iunone amplexi, et falſa quadam uaniſſimae eruditionis ſpecie deluſi, poſt longam in Acamiis moram, nihil ſe eorum, quae ad publicum vſum pertinent, addidiciſſe, ſero intelligant. Longe plura dicenda ſupereſſent, niſi uel ex his, quae ſtrictim, ac uelut per tranſennam, conſiderauimus, abunde uobis patere exiſtimarem, Auditores, nec religionem ſine bonis literis, neque has ſine illa conſiſtere ac florere ſatis poſſe, vt inde haud uane augurari queamus, nunquam Germaniae, nunquam Saxoniae, defuturam ueritatis lucem, donec ſuum in ea optimis ſtudiis decus ſtatuetur. etc.

Reliqua, quae nihil ſcire intereſt Lectorum, hic, vt ſpatii rationem habeamus, praetermittimus.

ORATIO

ORATIO XI,

QVAE EST PRIMA

DE

EO, QVOD RIDICVLVM EST

IN REPVBLICA,

SIVE

DE HISTRIONIA POLITICA. (*)

Magnifice Academiae Rector,
Procancellarie ſpectatiſſime,
Patres Academiae vtriusque Reipublicae grauiſſimi, plurimumque uenerandi,
Tuque, florentiſſimorum Iuuenum lectiſſima concio.

Cum nuper ſerio atque diligenter apud animum meum deliberarem, Auditores, quod potisſimum argumentum in ſplendidisſima hac bonae mentis palaeſtra producerem, incidi forte in lepidam ac perfacetam Scriptoris cuiusdam Galli de LVDOVICO XIII, Galliarum Rege, narrationem. (**) Ludorum ſcenicorum actores, qui Regis ſtipendiis alebantur Pariſiis,

 nouam

(*) Recitata eſt haec Oratio in ſolenni Magiſtrorum Panegyri A. 1721.
(**) *Heures perdues p. 388.*

nouam in theatro fabulam repraeſentabant, qua mores iudicum peruerſos acerrimo ſale perfricabant. Subornauerant iidem asſidentem inter ſpectatores in cauea uirum, adſpectu grauem, ac ipſo ueſtitu, qualis magiſtratum vrbanum decet, uenerabilem. Is clam primum obmurmurare ſcenae, mox acrius obſtrepere, ac poſtremo ſe ex ſede ſua proripere repente, ac publica uoce exclamare: *Obducite ocyus ſiparia, atque hinc faceſſite, mortalium nequiſſimi; idque uos iubeo pro auctoritate, qua magiſtratum in hac vrbis uico ſuſtineo. At ego,* Rex interpellabat, rem ſerio agi ratus, *uos porro fabulam ludere, nec turbari iubeo inani hominis interdicto.* Enimuero ſuppuduit mox Regem erroris, re detecta. Et quis non miretur, Principem ſummae grauitatis, et ſermonis inſuper parcisſimi, ſubito e ſpectatore factum actorem. Sed ita fit profecto, vt, quo conſpectius ludunt in amplisſimo hoc orbis terrarum theatro ſummi in Republica uiri, eo apertius, nihil humani a ſe alienum eſſe, prodant, riſumque ſpectatoribus, uel inuitis, extorqueant. Quod eo dictum neutiquam exiſtimetis, Auditores, quaſi diui-

nae

nae Principum maieſtati, quam profundiſſimo obſequio ueneror, detractum quidquam uelim, uerum vt intelligatis, nihil eſſe in rebus humanis ſolidum, et ab omni parte beatum, nec noſtris conſiliis, quae lubrica plerumque ac fallacia, ſed vna diuini Numinis prouidentia, cuncta gubernari. Uere enim dixit, quisquis dixit, *mundum parua ſapientia regi,* (*) quod adeo non diſſimulauit ſuo tempore MAXIMILIANVS I, Imperator, vt, mirari ſe, fateretur, (**) Eccleſiam a ſtolido monacho, (IVLIVM II innuebat,) et orbis imperium ab improuido damarum ſectatore, (ita de ſe ipſo loquebatur,) regi feliciter poſſe; facile enim ſumma imis permixtum iri, niſi Deus ipſe ſapientiſſime cuncta moderaretur. Et neſcio, an non eodem potiſſimum reſpexerit ADOLPHVS, Cliuiae Comes, qui nouam ſocietatem, quam *ſtultorum* dixit, (***) in-

(*) Cum PHILIPPVS III, Rex Hiſp. Olyſſipone tot arcus triumphales, a Luſitanis magnifice exſtructos, ingrederetur, ſe neſciuiſſe hactenus, dicebat, quod tanta ipſe ſit potentia et uirtute.

(**) HOFFMANNVS *Obſ. Pol. p. 16.*

(***) HELYOT *Hiſt. des Ordr. T. VIII p. 326.*

ter Ordines equeſtres uulgo relatam, inſtituit, publicoque Diplomate (*) muniuit Anno 1381, quo nobiles triginta quinque, quorum ueſtibus pictus comparebat morio, notis decorus, fructusque corbe deportans, quotannis die S. Cumberti, ſeu prima poſt feſtum Michaelis Dominica, in arce Cliuenſi conuenire, ac conferre inter ſe conſilia, iuſſi ſunt. Etſi enim de inſtituti Ordinis huius ratione nihil vtique certi pronuntiari poſſit, procliue tamen eſt, vt, ADOLPHVM uel ſua, uel aliorum, conſilia, eorumque ſtoliditatem, lepide riſiſſe, credamus. Sed memoranda inprimis eſt hoc loco Babinenſis in Polonia Reſpublica, (**) quam iuuenes quidam ingenioſi, ac nobili genere nati, SIGISMVNDI AVGVSTI, Regis, aetate, in oppido Babina condere coeperant. Hi, quem omnium nouerant ambitioſiſſimum, Regem eligebant, aulica uero munia ita diſtribuebant, prout quemque rebus gerendis idoneum iudicabant. Qui continuo crepare artes aulicas, arcana in re aperta et omnibus obuia rimari, callida,

(*) *Codex Dipl. Cliu. n. 64.*
(**) CONNOR *Hiſt. Pol. P. I p. 102.*

da, ſi Diis placet, conſilia uenditare, ac de rebus publice geſtis naſutule ratiocinari, conſueuerat, ſanctiori Senatui adſcribebatur, et, qui ceteris omnibus in his antecelleret, Magni Cancellarii titulo compellabatur. Qui pompam, et magnificum rerum apparatum, amabant, Camerarii, qui equos, Mareſchalli, aut Magiſtri Stabuli, qui canes, ſupremi uenationum Praefecti, qui aues, Falconarii, cluebant. Qui ceteris audacior, de praeliis et expugnationibus vrbium, de duellis, de caede, et uinculis, debacchari ſueuerat, ſplendido Ducis exercituum ſupremi honore haud aegre mactabatur. Denique, cum quis de rebus ſacris frequenter ſermones moueret, eum par erat infulis Epiſcopi, aut Archi-Epiſcopi, decorari. At horum quisque, quoties conuentus ſuos celebrarent, tanta ſeueritate ſuo defungebatur officio, vt, qui adfuiſſent, nihil omnino ludicri admixtum, ſed, ſerio acta eſſe omnia, peierarent. Quod ſi quis munus aliquod, communi Procerum conſenſu ſibi delatum, detrectaret, is naſo adunco ſuſpendebatur, et ſibilis traducebatur, donec, opprobriis uictus, onus immenſum imponi humeris ſuis, pateretur. Quibus rebus quid innuere

Babinenſes uoluerint, ipſi haud obſcure prodiderunt. Nam, cum ſumma aliquando contentione inter illos diſputatum eſſet, quaenam inter Monarchias fuerit et uetuſtisſima, et potentisſima, atque alii pro Graeca, aut Perſica, alii pro Romana, declaraſſent, tum quidam, ceteris feſtiuior, aſſurgens, ita affatus fertur ſocios : Ecquid de imperiorum horum antiquitate ac uiribus contenditis, cum, Babinenſe hoc noſtrum ceteris omnibus antiquius eſſe fortiusque, nemo inficiari posſit. Nam, cum e Dauidis ſententia omnis homo mendax ſit, quotusquisque eſt, qui non, amplisſimos omni tempore patentisſimosque Regni huius limites fuiſſe, ſponte atque vltro fateatur ? Nimirum id Babinenſibus propoſitum uidebatur, vt docerent, ne quidem ex ſummorum Principum aulis exulare homines febriculoſos ac ſtolidos, et a magnis quandoque uiris magno molimine magnas nugas agi. Quare, cum iam olim ARBITER(*), *totum fere mundum*, cenſuerit, *mimum implere, atque exercere hiſtrioniam*, non erit, ſpero, diuidiae, ſi, qui nuper de Char-

(*) *Fragm. p. 673, Ed.* BVRM.

Charlataneria,quam uocabam, Eruditorum, ſeu ſcholae, uerba feci, nunc de Hiſtrionia politica, ſeu aulae, ſermonem ad uos inſtituam, Auditores. Neque tamen me tam arrogantem putetis, ac parum prouidum, vt noſtri temporis naeuos attingere audeam, probe quippe gnarus, quam periculoſae plenum opus aleae aggrediantur, qui aduerſus eos ſcribere non uerentur, qui poſſunt proſcribere: uerum muneris mei memor, Annales excutiam praeteriti aeui, atque illuſtria quaedam, riſuque digna, exempla in ſcenam producam, nihil vtique admiſſurus, quod a probi dextrique Hiſtorici officio alienum ſit. Quoniam uero ipſa argumenti dignitas haud publici ſaporis dictionem, terſumque ſententiarum ornatum, requirere uidetur, id primum omnium a uobis expetendum mihi uideo, Auditores, vt nonnihil mihi hac in re condonetis, et inconditum meum, raucidum, et ad rem minus accommodatum, dicendi genus non prorſus faſtidiatis, deinde uero vt non minus animos beneuolos, quam attentas aures, per breue temporis ſpatium mihi, Oratori marcido ac indiſerto, commodetis.

Ex quo homini a Deo immortali datum eſt imperare ceteris hominibus, nunquam defuere, qui Principes ſupra humanam ſortem longisſime extollere, eosque Diis reddere quam ſimillimos, auſu plus quam temerario tentarunt. Itaque iam pridem inter gentiles haud pauci, Poetae inprimis, qui, vt lucelli quidpiam deportarent, ſputa lambere imperantium conſueuere, eos e coelis delapſos, Deorumque ſanguine procreatos, finxerunt, credulaeque plebi haud difficulter perſuaſerunt; PHILIPPVM quippe, Macedoniae Regem, Iouis Ammonis *κριοπροσώπȣ*, cuius adeo cornu arietinum ALEXANDER, LYSIMACHVS, ac ceteri eius ſucceſſores, publico aere monſtrabant, (*) et ROMVLVM Martis filium, turpiſſima adulatione ſalutantes. Traxit id uitium et ſequior aetas, et, cum, a Diis natos dici, religio prohiberet, turpe ſibi duxerunt Principes, niſi inter maiores ſuos Magnum

(*) De Mexicanis Regibus, quos ſemel coronatos, ceu Deos, non adſpicere audent ſubditi, quique ſe curaturos iurant, vt Sol et Luna currant, etc. Uid. MONTAGNE *Eſſais* *p. 946.*

Magnum aliquem uel CONSTANTINVM, uel CAROLVM, uel OTTONEM, numerarent. Vt taceam, integras gentes uel ab inſigni aliquo Heroe, Francos a neſcio quo FRANCIONE, Priami, uel Hectoris, filio, Britannos a BRVTO, Teutones a TVYSCONE, natales ſuos repetiiſſe, uel, cum nulla praeclari ſanguinis ueſtigia comminiſci auderent, αὐτοχθόνες ſe iactaſſe, uelut homines, Deucalionis quondam arte ſubito e terra prognatos. Sed, vt ad Principes redeam, quis non miretur, quosdam adeo ſuae ſortis oblitos, vt pro Diis ſe haberi, diuiniſque honoribus coli, gauderent. ALEXANDRVM M. (*), conſtat, Filium Iouis ſe appellari, non ſolum paſſum eſſe, ſed etiam iuſſiſſe, nec inuitum diuinum cultum, artibus ſacerdotum ab oraculo decretum, admiſiſſe, et, quaſi animis perinde imperare poſſet, ac linguis, credi quoque ſe Deum praecepiſſe. (**) Nec deerant, qui, Herculem, et Patrem Liberum, et cum Polluce Caſtorem, nouo Numini ceſſuros, iactarent; quibus rebus ita

(*) CVRT. *L IV Cap.* 7.
(**) Idem *L. VIII Cap.* 5.

ita ſibi placebat, vt ante ſe hominem non fateretur, (*) quam incidentis in ſuram teli dolorem perſentiſceret. Quid abſurdius CALIGVLA, (**), qui cum ad minima tonitrua et fulgura conniuere, caput obuoluere, ad maiora uero proripere ſe e ſtrato, ſub lectumque condere, cogeretur, diuinam tamen maieſtatem impudentiſſime ſibi aſſerebat. Itaque Iouis Olympii ſimulacro, dempto capite, ſuum imponere, (***) Iouis Latialis nomen ſibi ipſi ſumere, in aede Caſtoris et Pollucis medium inter fratres Deos ſe adorandum adeuntibus exhibere, templum etiam, ſuo Numini proprium, et ſacerdotes, et excogitatiſſimas hoſtias, inſtituere, noctibus plenam fulgentemque Lunam inuitare aſſidue in amplexus atque concubitum, interdiu uero cum Capitolino Ioue ſecreto confabulari, modo inſuſurrare, et praebere inuicem aures, modo clarius, nec ſine iurgiis, auream barbam monſtrare inſtar Iouis, aut fulmen manibus tenere,

(*) Idem *L. VIII Cap. 10.*
(**) SVETON. *Cap. 51.*
(***) Id. *Cap. 22.*

-e, (*) aut fuſcinam, aut caduceum, Deorum inſignia. Nec paullo moderatior NERO, (**) qui Apollinem cantu, ſolem aurigando, aequiparare, et Herculis facta imitari, animo praeceperat. Cui non immerito et COMMODVM (***) addimus, Imperatorem, qui HERCVLES, filius Iouis, quam COMMODVS, M. Aurelii filius, dici maluit, eoque, abiecta purpura, quae Imperatorem decet, habituque Romano, pellem leoninam induit, et clauam manu prehendit. Quin et cum gladiatoribus publico certamine congreſſus, cum nemo eſſet, qui non a tanto Principe ſuperari uellet ac uinci, coloſſum Solis capite truncabat, ſuumque ſubſtituebat, addita Inſcriptione: *Commodus de mille gladiatoribus triumphans.* Et quis riſum teneat, vbi XERXEN legit montem Athon perſcriptis literis prouocatoriis ad duellum prouocaſſe, aut Helleſponto, (****) quod, coorta tempeſtate, operas ſuas obruiſſet, trecenta uerbera flagello infli-

(*) Id. *Cap. 52.*
(**) Id. in *Ner. Cap. 53.*
(***) HERODIAN. *L. I.*
(****) HERODOT. *L. VII n. 35.*

inſligi, et par compedum demitti in pelagus, iusſiſſe, immo et tortores miſiſſe, qui ſtigmata inurerent Helleſponto; aut cum CYRVM uidet, (*) intermiſſa, quam parabat, Babylonica expeditione, toto fere anno ad Gyndis amnis littora haerere, eumque in trecentas et ſexaginta foſſas diducere, nimirum vt equi ſui, fluuium laſciuiuſcule ingresſi, abreptique profundo gurgite, et ſubmerſi, necem vlciſceretur, fluuiumque aqua, qua nocuiſſet, multaret. Qua in re etiam aliquando et IVLIVM CAESAREM, et AVGVSTVM, (**) deſipuiſſe, accepimus, quorum ille, cum inter diras procellas ſe Uenere natum meminiſſet, uelut fragoribus coeli terminos, et buccato Aeolo compedes, ipſique Deorum ſenatui leges, poſiturus, uectorem Amyclam tumidis uerbis alloquebatur: *Quid times, Caeſarem uehis;* hic uero, clasſibus tempeſtate perditis, etiam inuito Neptuno, uictoriam ſe deportaturum, iactabat, ac die Circenſium proximo ſolenni pompae ſimulacrum Dei huius detrahebat. Non referam, quae de Prin-

(*) Id. *L. I n. 189.*
(**) SVETON. *Cap. 16.*

Principe quodam non tam narrat, quam fabulatur, MICHAEL MONTANVS, (*) qui, cum a Deo ſe flagris caeſum ſomniasſet, non impune id laturum iurabat Numen, publicoque mox Edicto prohibebat, ne quisquam integro decennio Deum inuocaret, et ne nominaret quidem, aut crederet. De Thracibus denique compertum eſt, eos inter fulgura et tonitrua coelum ſagittis continuo laceſſere, quaſi Deum minis ſuis in ordinem redacturos. Sed et fuere Principes, qui, alia omnia, pro ſuprema, qua pollebant, poteſtate, licere ſibi, exiſtimarunt. Quo loco iterum commemorandus CALIGVLA, (**) qui non modo de HOMERI carminibus abolendis, ſed et VIRGILII, et LIVII, ſcriptis ac imaginibus ex omnibus Bibliothecis amouendis, cogitauit, quorum alterum vt nullius ingenii, minimaeque doctrinae, alterum vt uerboſum in hiſtoria negligentemque, carpebat, uerum et de Iurisconſultis, quaſi ſcientiae eorum omnem vſum aboliturus, ſaepe iactauit, ſe mehercle effecturum, ne quid reſpondere poſſent,

(*) *Eſſais de* MONTAIGNE *L. I Cap. 4.*
(**) SVETON. in *Calig. Cap. 34.*

poſſent, praeter eum. Cui non iniuria SIGISMVNDVM addimus, Imperatorem, qui, cum in Concilio Conſtantienſi ſchiſmatis uocem efferret foemininam, eoque admoneretur a Cardinale PLACENTINO, proxime adſtante, quis ita ſtatuit, quaerebat, et, cum hic ad PRISCIANVM prouocaſſet, haud parum excandeſcens, anne tibi, inquiebat, maior uidetur PRISCIANI, quam Caeſaris, auctoritas? Et quidni Grammaticae dominaretur, cuius Imperio Germania vniuerſa, tum et Bohemia, et Pannonia, parerent? (*) Etenim eo proceſſit impia ac peruerſa quorundam aſſentatio, vt non ſolum nihil non in Principibus magnum atque excelſum, tantoque faſtigio dignum, agnoſcant, ſed ipſa etiam uitia eorum ac naeuos pro uirtutibus uenditent, eos imitati, qui, cum, DIONYSIVM caecutire, animaduerterent, (**) caecitatem et ipſi fingebant, errabantque hinc atque inde plena meridie, ac pedibus ceſpitabant. ALEXANDRI proiectam ceruicem tanta ſolertia,

(*) Adde omnino e SPARTIANI *Adr. p. 150.* Conf. *p. 158 ſq.*
(**) MONTAIGNE *Eſſais L. III Cap. 7 p. 930.*

tia, tam grauiter, ſectabantur ſucceſſores, vt manifeſta eius rei ſigna publicis nummis impreſſerint, ſcilicet vt priſtinam maieſtatem ceruicibus ſuſtinere, nec deteriori poſt eum Principem, cuius uix vmbram ferebant, loco haberi, uiderentur. Et quis credat, ANNA Auſtriaca, Galliae Regina, ex apoſtemate, quod in infimo uentre contraxerat, exſtincta, omnes fere foeminas aulicas, quaſi eodem morbo laborarent, inguina Empyrico curanda dediſſe, non modicam lepida et inutili cura ſtipem lucranti. (*) Et, cum UUILHELMVS, Angliae CONQVESTOR, Baſtardi nomen inter ipſos honorum titulos admitteret, nemo erat, qui non illegitimis nuptiis ſe natum gauderet, et publice gloriaretur. De IACOBO uero primo, Rege Angliae, conſtat, quod, cum is amaret literas, adeo, vt Magiſtri honores capeſſeret, vnde uulgo ab HENRICO IV, Galliae Rege, non alio, quam *Magiſtri Iacobi*, titulo nuncupatus dicitur, nemo fuerit in aula, in militia, in foro, qui non gradus Academicos ſtudioſiſſime ſectaretur. Sed oportune ad titulorum pompam

(*) Uid. MENAGIANA *T. II p. 125.*

pam delabimur, qua nimium luxuriantes deprehendimus quoſdam Principes, non tam rebus glorioſe geſtis, quam ſpecioſis, et ad ambitionem compoſitis, titulis, ſe efferentes, in quibus, etiam cuſtodiendis adeo ſunt tenaces ac circumſpecti, vt principatibus ipſis haud difficulter careant, modo uana eorum nomina ſarta tectaque conſeruent. Quae titulomania vt Regibus Orientalibus pleriſque omnibus, ita Turcis praecipue, familiaris eſt, qui et *Dii terraquei, Fratresque Solis et Lunae*, (*) dici a ſuis amant, et, cum epiſtolas ſcribunt ad ſummos Principes, hoc eas elogio ornare conſueuerunt: (**) *Per Dei omnium maximi ineffabilem gratiam, et miracula magni Prophetae, Mahumetis, decoris huius et futurae uitae, cuius benedictio ſupra nos ſit, ac maneat. Ego, qui omnium potentium potentiſſimus ſum Imperator, diribitor et donator coronarum inter Principes, vmbra Dei, radius ſupra diuinam et propheticam domum Meccae et Medinae, Domi-*

(*) *Ottoman. Pforte p. 4.*
(**) Ibid. *p. 198 et 447.*

Dominator nobilis Hieruſalemi, Conſtantinopoleos, Maris nigri et albi, Romaniae, Natoliae, Cappadociae, Caramaniae, Gordianae, Goriſtanae, Atropatenae, Abamiae, Zuledaniae, Cairi, Damaſci, Alepponis, Arabiae, Bagadeti, Baſſarae, Adeni, Cemzui, Tartarorum, Chiraci, Barbariae et Zer, Moldauiae, Uallachiae, Bogdaniae, et innumerabilium regionum, inuincibilis acinacis noſtri acie partarum; Dominus Dominorum, Rex ad Imperium totius terrarum orbis euectus, perpetuo Victor, ac Triumphator. Nec paullo moderatior hodierni Perſarum Regis titulus, quo compellari eum a ſubditis, recens Scriptor teſtatur. Nimirum ita inſcribunt Perſae literas ſupplices ad Regem: *Per Dei gratiam exaltatae et per benedictionem Regis coelorum conſtitutae Vmbrae Dei, Domino totius mundi, orbis Dominatori, omnium Dominorum Domino, Centro, quod profunde uenerantur omnes gentes, Recuperatori celeberrimae Monarchiae Perſicae, Succeſſori Darii et fortiſſimi Chosrei, qui occupat ianuam coelorum, Sereniſſimo et omnium ſupremo Schach Sultano Schuſeni, cuius equi ueſtigiis ſa-*

cra facere omnes decet. Is tamen ipſe tanta eſt modeſtia, vt ſe *omnium uiliſſimum Canem Sereniſſimi Prophetae Aly* dicere haud uereatur. Non memoro Chinenſes, (*) Reges ſuos *Tun cu*, h. e. *Coeli filios*, appellantes, nec Moſcos, ueteres quidem illos, rudes, ac nouaculam nondum expertos, qui, cum, eandem ſemper Principum ſuorum, ac Dei, uoluntatem eſſe, crederent, (**) eos clauigeros et cubicularios Dei, diuinique nutus interpretes, et coeleſtium decretorum executores, uocabant, haud paullo prudentiores Mexicanis, quos iureiurando obſtringere Reges ſuos ferunt, effecturos ſtrenue, vt currat Sol, luceatque Luna, ac tempeſtiuae cadant pluuiae, nec riui, nec flumina areant, ſed inexhauſta vbertate cuncta affluant. Sed peruulgata haec ſunt, nec in barbaris adeo miranda. Illud forte non aeque uobis perſpectum omnibus ac manifeſtum eſt, Auditores, nouum nuper in media Germania exortum ſubito Regem, cuius non uerebor uobis et nomen, et titulos,

(*) CONFVC. *L. I p. 5.*
(**) PONTANI *Progymn. L. IV p. 495.*

tulos, enarrare. Ita uero ſe habent: *Nos, Renatus Ioſephus, ex Hacbartis de Brangelia, Dei gratia Rex Inſularum Anglepontii, reliquarumque, quae in mari Auſtrali et Pacifico, ac magno Oceano Aethiopico, ſitae ſunt, fortiſſimorum item ac generoſiſſimorum ductorum naualium, ſeu Flibuſterorum, qui Inſulas iſtas noſtro nomine, et ſub auſpiciis noſtris, gubernant, primus Dux Bucatoris et Antillarum in mari Mexicano, vt et partis Thereſiarum in mari Noruagico, natus Princeps Antiochiae et Ciactus Chabanenſis, Marchio Balanzae et Oleroniae, Comes Mottius Hachotus de Plibouthо, Minxio, Sangeonio, Moriaco, et Leininga, S. Rom. Imp. Princeps, etc. etc.* Delirare hominem dixeris, aut ſomniare; ſed uigilat, et plus forte, quam uellet, nec tam helleboro opus eſt Cappadocum Regi, quam rerum gerendarum neruo, vt, quas ſubiectas in oris remotiſſimis iactat Inſulas, in fide retineat, reliquas, adhuc renitentes, in poteſtatem redigat, eoque nouum hoc Regnum, quod ab vxoris, *Angelae Pontiae*, nomine *Anglepontinum* dixit, ſtabiliat porro, ac firmet. Neque deeſſe audiui-

 mus,

mus, quorum animos tantus titulorum ſplendor ita faſcinauit et perſtrinxit, vt Regi huic opes ſuas omnes et fortunam credant, ſpemque inanem ingenti pretio redimant. Sed, miſſo, atque intra carceris clauſtra, quibus LANGALLERII ſocietatem nunc luit, relicto, miſerrimo Agyrta, in ordinem reuertamur. Quemadmodum uero titulis, ita ſymbolis quoque, nummis, ac ſtatuis, ſummos interdum Principes fragilitatem ſuam prodidiſſe, atque humani aliquid paſſos eſſe, obſeruamus. Quid enim, ambitioſius dicam, an abſurdius, excogitari poteſt HENRICI II, et LVDOUICI XIV, Galliae Regum, ſymbolis, quorum ille Lunam creſcentem pingebat, cum lemmate: *Donec totum impleat orbem;* hic uero Solem, terrarum orbem colluſtrantem, repraeſentabat, additis uerbis: *Nec pluribus impar;* quibus quantum inſit inane ac riſu dignum, haud difficulter euoluere, et ad calculum reducere, poſſemus, niſi potior nobis breuitatis habenda eſſet ratio. Sed ohe! quam foecundam Sol iſte materiam nummis praebuit, in quibus modo oriens conſpicitur, in natiuitate nempe LVDOUICI, cum Inſcri-

ſcriptione: *Ortus Solis Gallici*, modo pleno lumine fulgens, cui nunc inſcriptum deprehendimus: *Omnia ſolus*, (adderes: hic Deus nihil fecit,) nunc: *Lucet agitque vnus*, nunc: *Per ſe cuncta uidet*, nunc: *Toto emicat orbe*, nunc: *Facit omnia laeta*, nunc: *Nusquam meta mihi*, nunc: *Audax ire uias*, nunc: *Uires acquirit eundo*, nunc: *Vt uidi, uici*, nunc: *Maior ab aduerſis*, et ſexcenta alia. Praetermittimus nummos, in quibus *Iupiter fulgurator*, *Mars inuictus*, *Apollo Muſis amicus*, appellatur, vnam tantum Inſcriptionem, ſatis, vt apparet, arrogantem, producemus, quae in nummo maiori, anno 1678, poſt pacem Neomagenſem, cuſo, comparet: *Ludouico Magno, qui, Batauis debellatis, Hiſpanis toties deuictis, Sequanis bis ſubactis, Germanis vbique ſuperatis, hoſtium claſſibus fugatis et incenſis, toti fere Europae coniuratae et foederatae pacem dedit, imperauit.* Nec de ſtatuis luculentius exemplum proſtat, praeter illud LVDOUICI huius decimi quarti, cui poſitam nouimus in Regia Lupara ſtatuam, humana forma longe maiorem auguſtioremque, cui Uictoria, pone adhaerens, coronam imponit, proiecti ad pedes Ger-

manus, Belga, Hiſpanus, Anglus, manibus poſt terga reuinctis, obſequium ac ſeruitutem fatentes. Delineantur in pede ſtatuae facta Regis heroica, ſuis quaeque Inſcriptionibus decorata, quae tametſi cuncta ita ſint ad aſſentationem efficta, vt longe, quam quae geſta ſunt, maiora repraeſentent, eoque longam nobis diſſerendi materiam praebere poſſint, vnum tamen e multis, quod ad rem noſtram facere apprime uidetur, commemorare non grauabimur. Factum forte Londini, vt, cum Legatus Gallicus ac Hiſpanicus, rhedis inuecti, ſibi mutuo occurrerent in publica platea, nec alter alteri de uia cederet, Hiſpanus tandem, diſciſſis ruptisque a ſuis loris equorum, Gallum trahentium, uelut per triumphum diſcederet, dum Gallum, nequidquam iter parantem, plebs circumfuſa rideret ac ſubſannaret. Ea contumelia percitus Rex LVDOVICVS, uix nuper Hiſpanis reconciliatus, nouum bellum, idque atrociſſimum, minabatur, a quo cum non vnam ob cauſam abhorrerent Hiſpani, res ita demum compoſita, vt Lutetiam mittendum decernerent, qui coram Rege publice declararet, curaturum deinceps ſedulo

lo Legatum Hiſpanum, ne compareret, quo loco Gallicum adfuturum reſciuiſſet. Itaque LVDOVICVS, cunctis Regii ſanguinis Principibus, Regnique Paribus, et quicquid tum fuit Lutetiae Legatorum et Magnatum, ad ſolennem pompam uocatis, et comparente coram throno regio, ac mandata exponente, Regis Hiſpaniae Legato, longe aliter, quam uellent Hiſpani, rem interpretatus, clara ac ſtentorea uoce, *intellexiſtis*, ait, *Amici*, *Regem Hiſpanum mihi loco cedere.* Nec paullo mollius haec in ſtatua:

Indocilis quondam potiori cedere Gallo,
Ponit Iber tumidos fluctus, ac cedere diſcit.

Vsque adeo multum intereſt, ipſos etiam Principes praecedentiae iura ſtrenue tueri, quae fruſtra quidem Politici noſtri a Chriſtianae religionis, aut Regiae dignitatis, uetuſtate arceſſunt, cum ſummum vtique robur ex armis nanciſcantur, vt publicis ſubinde pacis tractatibus inter Anglos Scotosque, Suecos ac Danos, Polonos et Moſcos, patuit, in quibus legem dantes principem, accipientes ſequiorem, occupaſſe locum, animaduertimus. Et, quoniam ad hoc argumen-

gumentum deuenimus, narrabo uobis, Auditores, rem non iniucundam, quam ante aliquot annos Lutetiae Pariſiorum accidiſſe ferunt. Licitabatur in foro gallinam coquus Legati Hiſpanici, nec ſatis de pretio conuenerat, cum et Anglici Legati coquus accederet, et duplum pretium offerret: Hiſpanus iterum duplum, Anglus iterum, et ſic deinceps; uerum, cum ad centum et vltra florenos immodica feruidaque licitatione uentum eſſet, Hiſpanus ad ſe redire, et, uelut tanti pretii pro re tantilla ſuppuderet, relinquere praedam Anglo. At uix ea res ad aures peruenerat Legati Hiſpanici, cum is, maximopere indignatus, coquum grauiter obiurgatum ocyus iuberet e familia faceſſere; neque enim deſiſtendum illi fuiſſe a licitatione, ſi uel aliquot millibus redimenda fuiſſet gallina. Facile credas, quantum gallorum gallinarumque proximis diebus, cum res percrebuiſſet, allatum in vrbem fuerit a ruſticis uicinis, qui, gallinas omnes tam immani pretio uendi poſſe, ſibi perſuaſerant. Proximum eſt, vt ad publicas aulorum cerimonias deferamur, quae, niſi vſu atque conſuetudine tegerentur, tantum abeſt, vt admiratione, quam

exci-

excitare debent, dignae haberi debeant, vt potius riſu et contemptu. Quod ſi curiam Romanam, illam cerimoniarum matrem, adſpiciamus, proh quantum illic moris inſipidi, ac parum ad rem ſacram accommodati! Quantum vbique magnificentiae et ſplendoris, cum ſeruus ille ſeruorum, (*) ad infimum humilitatis gradum ſe demittens, pedes pauperum, paullo ante bene vnctos, lauat die uiridium, eosdemque tanto ac opiparo conuiuio, quo primum cuique orbem, primumque poculum, porrigit, hoſpitis nomine excipit! Quis noſtrum riſum teneat, cum uiderit, Numen illud Romanum ſolenni ritu noui Cardinalis ora claudere, ac uelut ſigillo quodam obſignare, et poſt aliquot demum horas non minori ſolennitate iterum aperire? Nimirum quid faciat tam firmiter obfirmato ore Cardinalis, ſi aut oſcitatio obrepſerit, aut tuſſis inuaſerit, aut natura ructum uomitumue parturiuerit? Quid de ſanctiſſimo Canoniſationis ritu dicam? Neque enim exigui laboris res eſt, vt, apertis coeli ualuis, piam ani-

(*) *Tableau de la Cour de Rome P. VI Cap. 7.*

animam intromittat ſummus Pontifex. Profundenda ſunt aliquot centena aureorum millia, vt et ſanctitatis arbitri merita Beati agnoſcere, ac miracula manibus uelut palpare, et pompam pro rei dignitate inſtruere, poſſint. Quo in ritu id mihi uiſum eſt perridiculum, quod, cum omnia geſta ſunt inter ſuſpiria et ſingultus, ipſumque Decretum Pontificis promulgatum, quo receptus ab illo ipſo momento in Hieruſalemo coeleſti pronuntiatur nouus Sanctus, (*) poſtremo adſcendit ad Pontificem, throno inſidentem, Cardinalis Decanus, ac, praeter panes duos, et pateram uini modicam, tum et cereas tres, ac turturum par, uelut epulas ferales, aut uictimas, nouo Numini debitas, caueam ei offert argenteam, auibus quibusdam refertam, quarum aliquam, inde extractam, in liberum aerem dimittit Pontifex, ſignificaturus hoc modo, penes ſe vnum eſſe ius ac poteſtatem, animas piorum, purgatorio exemtas, aſtris pro lubitu inſerere, et ad dextram Dei optimi maximi collocare. Qua in re Pontifices pror-

(*) *Tableau err. l. c. Cap. 8.*

prorſus imitantur ueteres Romanorum Imperatores, quibus Principes anteceſſores ſuos, aliosque de ſe bene meritos, inter Diuos referre, iisque diuinum cultum, ſacerdotes, templa, ſacrificia, decernere, ſolenne fuit. Quemadmodum uero ſaepe factum legimus, vt, quos alter Diuis accenſuiſſet, alter, abrogato rurſus cultu, expungeret, ita nec Sanctis iſtis ſatis tutus coelo locus uidetur, poſtquam LAVNOIVS et PAPEBROCHIVS tot quotannis Sanctos impune coelo deduxerunt, ſeu potius deturbarunt, vt, ſi diutius eos ſuperſtites eſſe contigiſſet, coelum denique cunctis ſuis incolis nudatum, prorſusque inane ac uacuum futurum, crederetur. Sed, vt praemia, ita et ſupplicia, eccleſiaſtica in hunc cenſum referas. Nimirum et ſummos Principes, ſi haereſeos inprimis criminis rei putentur, publice uirgis a Clero, uelut a carnifice, ſed ad ſpeciem tantum, et quam molliſſime, caſtigatos legimus. Ita RAYMVNDVM, Comitem Toloſanum, (*) quod Albigenſium ſectae fauiſſet, a Nuntio Pontificis e palatio ad templum vsque uirgis caeſum

(*) BVSSIER.

caeſum accepimus, quanquam is, cum, non tam tergum, quam ditiones ſuas, peti, intelligeret, paternam illam animaduerſionem parum apud ſe ualuiſſe, mox re ipſa docuit. De CLEMENTE VIII uero, Pontifice, conſtat, eum PERRONII et OSSATI, Cardinalium, quos HENRICVS IV, Galliae Rex, Romam deprecatum, ac haereſin eiuratum, ablegauerat, humeros (nec denudatos quidem) leniter admodum uirgula perſtrinxiſſe, et ſic tandem abſolutionis formulam recitaſſe. Multa hic addi poſſent de HENRICO IV, qui media hieme, nudis pedibus, ieiunus, coram foribus GREGORII VII praeſtolatus eſt, donec in eius conſpectum admitteretur, de FRIDERICO BARBAROSSA, ab ALEXANDRO III pedibus, vt fertur, conculcato, de HENRICO VI, cui CAELESTINVS III diadema, quod modo manibus impoſuerat, mox pedibus excuſſit, aliisque longe plurimis, indignam ſortem perpeſſis. Sed meum non eſt, peruerſis Eccleſiae moribus immorari, quo et Iubilaei magni celebritas, campanarum baptizatio, ſacerdotum geſticulationes, atque alia ſexcenta, poſſent referri. Ad Hiſpanos conuertor,

uertor, uaſerrimos cerimoniarum artifices ac magiſtros, qui, in ſummo licet uitae diſcrimine conſtituti, a priſtini moris regula ne latum quidem vnguem diſcedere audent. Notum eſt PHILIPPI III, Regis Hiſpaniarum, miſerabile fatum. (*) Aſſidebat is dura hieme coram camino; cum uero prope Regem appoſitum forte eſſet batillum prunarum, nimio calore reuerberans, ita repente aeſtu afficiebatur, vt totus ſudore difflueret. Rex tamen, vt erat patientiſſimus, nequaquam ea re commoueri, et ne uerbo quidem conqueri. Id cum animaduerteret Marchio DE POBARIA, Ducem Albanum, vt batillum tolleret, hortatus, cum ille, non ſui id officii, ſed Ducis VCEDAE, eſſe, cauſaretur, ocyus diſcedere, Ducemque inueſtigare, cumque in rus abiiſſe comperiſſet, perſequi, et arceſſere. Interea temporis (facile enim aliquot horae praeterierant, donec VCEDA accederet,) Rex tota paullatim facie inflammari, eryſipelas contrahere, et graui morbo, quo paullo poſt exſtinctus eſt, corripi. Sed, vt

(*) D'AVNOY *Voy. d'Eſp. Lett. 5 p. 15.*

vt ipſi Reges nihil temere admittunt, quo grauitas, quae huic genti propria eſt, vtcunque laedi uideatur, ita ſummis in aula miniſtris, in conſuetudinis leges peccaſſe, capitale fuerit: id quod exemplo patebit. Cum diu inter Hiſpanos Anglosque de nuptiis CAROLI, IACOBI I, Regis Angliae, filii Principis, cum MARIA ANNA, PHILIPPI III, Hiſpaniarum Regis, filia, deliberatum eſſet, tandemque eo res deueniſſet; (*) vt ipſe IACOBVS, Rex, publice profiteretur, nihil huic matrimonio impedimento futurum, ſi uel omnes ex orco daemones recalcitrauerint, ſuſceperat demum in Hiſpaniam iter CAROLVS, conſpectaque Regia uirgine, tanto protinus amore incaluerat, vt nihil moleſtius ferret, quam quod nullam eius uiſendae copiam, niſi patre praeſente, poſſet obtinere. Proinde occaſioni auidiſſime inſidiatus, (**) cum, in horto regio deambulare Uenerem ſuam, reſciuiſſet, oppeſſulatis quidem foribus, muros morae impatiens transſilit: quem vt primum uidit appropinquantem

Dux

(*) ECHARD *Hiſt. of Engl. T. I p. 966.*
(**) HOUUEL'S *Letters Sect. 3 Ep. 18.*

Dux OLIUARIVS, princeps aulae, regiorumque conſiliorum adminiſter, illico Principi obuiam procedens, et ad pedes eius prouolutus, per Deos Deasque obſecrabat, ne hinc faceſſère grauaretur; ſibi enim capite luendum fore, ſi quemquam cum uirgine regia, remoto Patre, colloqui pateretur. Quibus precibus cum obtemperandum ſibi intelligeret Princeps, inuitus licet, triſtisque, uiam, qua uenerat, relegit. Enimuero haec ita comparata ſunt, vt facile tolerari poſſint; illud minus credibile, quod de habitu Regis, noctu in thalamum Reginae commeantis, relatum accepimus. (*) Nimirum, quoties cum Regina decumbere Rex conſtituit, pallio nigro humeris iniecto, demiſſisque ad crepidarum morem calceis, clypeolum brachio ſupponit, et, ſuſpenſa ex altero latere matella, dextra gladium arripit bene longum, ſiniſtra lucernulam obſcuriorem ſuſtinet, atque ita contra uim omnem ac dolos egregie munitus, ſolus ſubintrat conclaue Reginae. Illud quoque Hiſpanis moribus ſingulare, quod

(*) D'AVNOY *Rel. du Voy. d'Eſpagne Lett.* 15 *p.* 221.

quod nec Reginae, Rege mortuo, ſecundas nuptias inire, nec amaſiae, a Rege contemptae, nouis amoribus immiſceri liceat; quin immo equum quoque, cui uel ſemel Rex inſederit, a quoquam alio conſcendi, nefas habetur. Ceterum nec id animaduerſione prorſus indignum, quod, ingens auctoritati ſuae pondus addi, arbitrantur Hiſpani, cum naſum monſtrauerint perſpicillis probe inſtructum atque exornatum, vt, quo quis maiora ac ampliora geſtandi facultatem publico Regis Diplomate obtinuiſſet, hoc lautiori in ſorte conſtitutus, ceterisque honoratior, et uenerabilior, uideatur. Quae conſuetudo eo inualuit, vt non facile in Hiſpania iconem uideas uiri eximii, ſine perſpicillo pictam, ſiue aeri inciſam, in qua nulla compareant perſpicilla. Quid? quod ipſe Marchio ASTORGA, Pro-Rex Neapolitanus, (*) hoc quicquid eſt decoris atque ornamenti, in ſtatua marmorea, ſibi poſita, minime deſiderari paſſus eſt. Ad alia, et ex aula in campum, digredimur, de iis actu-

(*) D'AVNOY *Lettr. 8 p. 140.*

acturi, quae ad bellorum materiam, ad prouocationes, praelia, triumphos, ſpectant. Quanto olim uerborum ambitu ac tumultu bella per Feciales denuntiata fuerint, non repetam, maxime cum mos ille iamdum obſoleſcere ſuperiori Seculo coeperit, nouamque rationem, bella improuidis, abſque vlla denuntiatione, inferendi, repererint Principes. Illud uero non eſt tacendum, ſaepe montes parturiuiſſe, et natum murem ridiculum, ſaepe claſſica cantata fuiſſe ante uictoriam. Neque enim ignoratis, Auditores, quam immenſis ſumptibus, quot annorum labore, claſſem aduerſus Anglos inſtruxerint ſub PHILIPPO II Hiſpani, ita quippe hac confiſi, vt eam, nondum in hoſtes emiſſam, inuincibilem nuncuparent, Angliamque ſpe certa deuorarent. Certe SIXTVS V, (vt ſunt Pontifices in alienis donandis liberaliſſimi,) ELISABETHA diris deuota, vniuerſam Britanniam publico decreto donabat Hiſpanis, dominium tamen, quod uocant, directum, et annua centena millia, uiciſſim ab illis ſibi pactus. Fruſtra omnia. Nam et uinci ſe poſſe didicit claſſis inuincibilis, et, nulla re memorabili geſta, domum rediit prope inermis;

 nihil

nihil ex dono Hiſpani lucrati ſunt, nihil ex pacto Pontifex. Et quis credat, tam praeclaram ſuae uirtutis opinionem concipere potuiſſe Lubecenſes, (*) vt Daniam omnem tempore CHRISTIANI III in poteſtatem ſuam ſe redacturos ſperarent, eamque HENRICO VIII, Angliae Regi, accepta haud modica auri copia, ſolenni Diplomate uenderent. De M. ANTONIO (**) referunt, eum Cretam inſulam tanta uictoriae ſpe atque fiducia inuaſiſſe, vt plures catenas in nauibus, quam arma, portaret; exitu tamen infeliciſſimo. FLAMINIVS uero, Conſul, (***) in bello contra HANNIBALEM plures lixas, aliosque, qui, praedae auidi, extra agmen ſequebantur, catenis, uinculis, et id genus aliis, onuſtos, quam milites armatos, ſecum ducebat. Neque minus Germani (****) noſtri olim in clade HARMINII inter cetera ſpolia catenas relinquebant Romanis, quas in eos, vt non dubio euentu, portauerant. Ita Gallis

(*) PVFENDORFF *Introd. ad Hiſt. Suec. p. 355 ſeq.*
(**) FLORVS *L. III Cap. 5.*
(***) POLYB.
(****) TAC. *Annal. L: II.*

Gallis quoque GVASTIVS, (*) ſupremus exercitus Caeſarei in Italia Dux, fuit ludibrio, quod aliquot manicarum ex ferro millia, quibus Gallos uinciret, cum exercitu deduxiſſet, quibus quidem Galli, in pugna ad Cerizolam uictores, cum opima praeda potiti ſunt. Sed non minus MONLVCIVS, pater, (**) Gallici exercitus Dux ſtrenuus, Hiſpanis fuit deridiculo, qui, cum firmiſſime ſibi perſuaſiſſet, ſe exercitum Hiſpanum vna cum Duce, M. ANTONIO COLVMNA, in caſſes pertrecturum, adeo, vt iam captiuum tenere ſibi uideretur, et, redemtionis pretii, quod ad uiceſies centena aureorum millia aeſtimabat, ratione diligenter putata, quid in ſocios erogaturus, quid ſibi ſumturus, eſſet, et ampliſſima praedia, quae ex ea pecunia iuxta Lutetiam emturus eſſet, iam animo praeciperet, breui tamen ſpe, de repentinis his diuitiis concepta, excidit prorſus. Ita memorabile quoque uecordiae et iactantiae militaris exemplum produnt

(*) BVSSIER. *L. XVII p. 417.*
(**) THVAN. *Hiſt. L. XVII.*

dunt Scriptores Bohemi. (*) Succeſſerat, defuncto CREUOMYSTIO, filius NECLANI, qui cum eſſet imbella indole, vnde et nomen accepit, VLADISLAVS, propinquus eius, bello terrendum, principatumque illi armis extorquendum, putabat. Itaque hoſtilibus copiis Bohemiam ingreſſus, cum mox obuiam haberet Legatos NECLANI, pacem oraturos, eos, quaſi exploratum miſſos, coclites domum remittit, moxque aliis, qui etiam muneribus VLADISLAI amicitiam mercari conſtituerant, inter multa dicta, contumeliarum plena et minarum, reſpondet: *non muneribus, ſed toto Principatu miſſo, opus eſſe, ſi cupiditatem ſuam explere Neclan uoluerit.* Strictum deinde enſem per Lucenſem regionem cum mandato circumferri iubet: vt mares omnes, qui enſis longitudinem proceritate corporis adaequarent, militatum uenirent, ſi detrectarent, eodem enſe perituri. Ad hoc tam durum aſperumque Edictum, cum maior, quam animo praeceperat, multitudo conueniret, tum, quaſi de uicto-

(*) DVBRAU. *L. III,* COSMAS *Prag. p.* 7.

uictoria certus, multa uana gloriabundus iactat, et inprimis pedites ad barbaram crudelitatem acuit, iubens, nemini prorſus tam in uia, quam in acie, parcerent; tum ad equites conuerſus, abiicite, inquit, ſcuta, quibus in ſtrage et caede hoſtium nihil opus eſt, eorumque loco accipitres, falcones, ceterasque aues rapaces, in manus ſumite, vt illarum ingluuiem hoſtili carne ſaturetis. Quam parum uero res ipſa uerbis reſponderit, VLADISLAO quippe toto cum exercitu fuſo atque obtruncato, non eſt noſtrum, pluribus referre. Sed notanda quoque hoc loco VLRICI A IVNGINGEN, (*) Equitum Crucigerorum Magiſtri, petulantia, qui, cum aduerſus VLADISLAVM IV, Poloniae Regem, cum numeroſo exercitu in aciem progreſſus, eum pugnam detrectare, crederet, duos caduceatores in caſtra Regis mittebat, qui illum hortarentur Magiſtri nomine, ne tam cunctanter et meticuloſe pugnam iniret, et, quo alacrius id faceret, ei et VITOVDO, primario exercitus Duci, duos gladios ſtrictos et cruentos offerrent, vt uel his

(*) CROMERVS *Hiſt. Pol. L. XVI p. 264 ſeq.*

contra Crucigeros vterentur, denique promitterent, ne loci anguſtiam cauſari Rex poſſet, neue inter nemora latitaret, conceſſurum ipſi Magiſtrum plus campeſtris ſpatii, et paullum retroceſſurum cum exercitu. At VLADISLAVS, fauſtum e traditione enſium omen arripiens, ac protinus ducens in hoſtem ſuperbum, luculentiſſimam poſt breuem conflictum uictoriam deportabat, trucidatis Crucigerorum prope quinquaginta millibus. Iam de triumphis quoque aliquid dicendum, qui ſaepe de rebus exigui momenti longe maximo apparatu inſtituti ſunt, tum vt Ducum famae conſuleretur, tum vt populus, qui externa plerumque ſpecie luditur, ad ſumtus eſſet paratior. Non memorabo iterum Hiſpanos, quos, poſt uictum IOANNEM FRIDERICVM, et PHILIPPVM deluſum, tormenta bellica noua longe plurima, inſignibus Saxonicis Haſſiacisque decorata, fudiſſe, et in Hiſpaniam per triumphum tranſtuliſſe, ferunt, vt, aucta praeda, fama quoque uictoriae augeretur. Nec de CALIGVLA (*) dicam, triumphalem

(*) SVET. *Cap.* 52.

lem ornatum etiam ante expeditionem aſſidue induto; nec de TIBERIO, (*) qui ſolennem de domito Oceano, quem nunquam quidem hoſtem expertus fuerat, triumphum ſolenni ritu inſtituit. Vnus nobis hic inſtar omnium erit GALLIENVS,(**) Imperator. Is, cum de laſciuiente milite ſuo, qui Byzantionem vrbem deuaſtauerat, poenas ſumſiſſet, et inermem paucorum manum oppreſſiſſet, quaſi magnum aliquid geſſiſſet, Romam curſu rapido conuolabat, conuocatisque Patribus, decennia celebrabat, nouo genere ludorum, noua ſpecie pomparum, exquiſito genere uoluptatum. Praeterquam enim, quod, uiis omnibus ludis, ſtrepituque, et plauſibus, perſonantibus, ipſe medius cum picta toga, et tunica palmata, inter Patres ac Sacerdotes Capitolium peteret, haſtae quoque auratae quingenae, uexilla centena, tum et dracones, et collegiorum, templorum, omniumque legionum, ſigna comparebant, ibantque gentes ſimulatae, vt Gothi, Sarmatae, Franci,

 Per-

(*) SVET. *Cap.* 17.
(**) TREBELL. POLLIO inter *Script. Hiſt. Aug.* p. 202 *ſq.*

Perſae, eorumque Reges, manibus poſt terga reuinctis, quaſi bello capti, quos ille quidem populos nunquam oculis conſpexerat, nedum armis et inſtructa acie ſuperauerat. Superſunt exempla longe plurima, quae non minus memoratu digna ſunt, quam ea, quae modo pro ingenii mei modulo, ſine vllo uerborum aut ſententiarum apparatu, in medium protuli; uerum et Ueſtrum, Auditores, temporisque, habenda eſt ratio, et idem mihi quodammodo accidiſſe uideo, quod de HOMERO referunt. Quemadmodum enim, multorum, nec ignobili uirtute, Heroum in Iliade mentionem eam tantum ob caufam factam eſſe nullam, exiſtimatum eſt, quod nomina illorum minus ferrent metri ac numeri leges, ita mihi quoque non pauca, nec ea proletaria, fuere praetermittenda, quod locus iis ſatis aptus et accommodatus inueniri minime poſſet. Accedo iam, quod et tempus, et locus hic, iubent, ad lectiſſimos iuuenes, etc.

Reliqua conſulto praetermittimus, vtpote ab argumento Orationis aliena.

ORATIO

ORATIO XII,
QVAE EST SECVNDA
DE
EO, QVOD RIDICVLVM EST
IN REPVBLICA,
SIVE
DE HISTRIONIA POLITICA.(*)

Magnifice Academiae Rector,
Spectatiſſime Ordinis Philoſophorum Decane,
Examinatores grauiſſimi, Uiri optime meriti,
Uosque, Iuuenes florentiſſimi, ſpes patriae et incrementum.

Cum nihil ſit in rebus humanis, Auditores, quod non aut amorem, aut odium, plauſum, aut deteſtationem, praeconium, aut cenſuram, prouocare uideatur, fiatque ſaepe, vt improbe ac turpiter geſta aſſentatores ſuos inueniant, contra

uexet cenſura columbas,

patien-

(*) Recitata eſt in ſolenni Magiſtrorum Renunciatione A. 1723.

patientius tamen ferendos putamus eos, qui res praeclaras deprimunt, quam qui errores magnorum uirorum et flagitia laudibus immodicis ad coelum extollunt. Nam, ſi Romanis fuit opprobrio, quod Florae, meretrici, ſi Marſis, quod Medeae, magicis praeſtigiis deformi, templa atque aras poſuerunt, non minus profecto omnibus exoſos eſſe par eſt, qui hos, quos ſola natiuitas, aut fortuna, nulla uirtus, prudentia nulla, extulit, turpi adulatione Diis immortalibus aequant. Neque uero vllum hominum genus ad aſſentationem et palpum procliuius aptiusue inuenias, praeter illud, quod ab eruditione, a doctrina, a literis, nomen accepit. Hi enim omnes plerumque ingenii ſui neruos eo intendunt, vt immodicis ſuis laudationibus praemioli quidpiam Principibus extorqueant: nunc libros illis, quos nec legant, nec intelligant, ſplendidiſſimis titulis ac elogiis inſcribunt, nunc Iliada, uel Aeneida, conſecrant, nunc oratione phaleris et ſesquipedalibus uerbis tumida, res pace belloque proſpere, quanquam parum prouide, interdum etiam perquam ſtolide, geſtas, ebuccinant, ac poſteritati commendant. Nec parum iidem ſibi placent, dum

vngui-

vnguiculos explorant ſuos, probe nimirum intelligentes, penes ſe ſtare, vt, quod aiunt, e calice elephantum, e pygmaeis gigantes, efficiant, exiguasque Principum dotes ſolo uerborum apparatu in immenſum augeant, et, cum nullae adfuerint uirtutes, eas tamen liberali manu adſpergant, quin immo uiuis decus omne, mortuis uitam et aeternitatem, comparent. Et hanc nemo forte gloriam eruditis inuideat, quod, extollendo uirtutes eorum, quorum crumenis inſidiantur, parum prouidae poſteritati imponant; at, quod uires et potentiam Principum augere, exercitus inſtaurare, uictoriam conciliare, arte Dialectica ualeant, nemo hactenus uel per ſomnium cogitauit. Cuius rei ne documentum uobis deſit, Auditores, potentiſſimum ex Anglia Oratorem producam, RICHARDVM GARDINERIVM, Collegii aedis Chriſti, quod Oxonii eſt, Canonicum. Is, (*) cum CAROLVM I, Regem, ex aſpera pugna prope collem Edgehill Oxonium reducem, Academiae nomine exciperet, inter alia, non modo, *prae-*

ſto

(*) GARDEN. in *Specimin. Orat. p.* 22.

ſto eſſe, adiurabat Regi, *Legionem fulminatricem, denſa precum et lacrymarum agmina*, uerum et perridicule addebat: *Adeſt etiam in procinctu tota Stagyritae cohors, grex Ariſtotelicus, qui non ſolum* intentionali *conceptuum obſequio, ſed omni* rerum *conamine, et* totis praedicamentorum claſſibus, *Tuam colit Maieſtatem.* O militem uere glorioſum! Et quis credat, iſta coram Rege, natura ſubtriſti, toruo, ac graui, in rebus praeterea afflictiſſimis, proferri ab homine ſobrio potuiſſe. At inueniſſe ſibi, non quod pueri in faba, uiſus eſt lepidus Orator, quandoquidem tam eximium ingenii monumentum inter cetera, quae edidit, Oratoriae ſpecimina publice exſtare uoluit ad omnem poſteritatem. Sed a thraſone in uiam, et ad gnathones, reuertimur, genus hominum peſtilentiſſimum, qui, dum vnius fauorem ſolicitius ambiunt, dum vni bene placere cupiunt, ceteris omnibus odio ſunt atque execrationi. Quamuis ne vni quidem placeant ſatis: quandoquidem illi, qui ſe, non quales ſint, ſed quales eſſe debeant, depingi, eoque re uera occulto ſatyrae genere, quod per laudes dicitur, peti intelligunt, laudatores il-

los

los dicam, an monitores moroſos, faſtidiunt; ceteri uero, ſua ſe uirtute inuoluentes, vt omni laude digni ſunt, ita maxime fugiunt atque auerſantur. HENRICVS V, Angliae Rex, idemque iuuenis, (*) poſt debellatum ingentem Gallorum ad Azincurtium exercitum, nihil ſibi ex ea uictoria tribuebat, adeo, vt ſtatim poſt pugnam, quos ſub ſignis habebat, omnes in genua procumbere, ac decantare iuberet illud Dauidicum: *non nobis Domine, non nobis;* et de LVDOVICO Borbonio, Principe Condaeo, memorant, (**) quod, cum, rebus ſupra aetatem feliciter geſtis, luculentam ad Rocroiam de Hiſpanis uictoriam reportaſſet, atque inde Theonuillam, vrbem munitiſſimam, incredibili uirtute occupaſſet, Pariſios redux, grauiter edixerit, ne quisquam in publica panegyri ſui nominis mentionem faceret, rarum profecto in florenti iuuentute modeſtiae exemplum ceteris proponens. LVDOVICVS uero XIII (***) ſero

(*) BAKER *Chron. of Engl. f. l.*
(**) *Mem. pour ſervir à l' Hiſt. de Louis de Bourbon Pr. de Condé T. I p. 81.*
(***) MENAGIANA *T. III p. 38.*

ſero ſe deluſum intelligebat ab aſſentatoribus; quippe, cum aetate nondum adeo prouecta, inſpecto aliquando ſpeculo, canos in capite pullulantes adnotaret, hos, inquit, importuni elogiorum artifices mihi elicuerunt. Sed quorſum tandem haec omnia? An vt ſanctiſſimae eloquentiae templa ſacrilega manu euertam? Quid enim reliquum erit huic Deae, ſi encomia, ſi Panegyrici, qui bene et ornate dicendi argumentum fere vnicum ac praeſtantiſſimum continent, eripiantur. Enimuero gaudeant laude ſua, uulgique plauſibus feliciter fruantur, ſummi et principes in Republica uiri, dummodo nobis integrum ſit, ſcapham ſcapham appellare, et, quandoquidem Principum uitam uere et ingenioſe PLINIVS (*) *cenſuram* eſſe dixit *perpetuam*, ea nunc ex omni hominum memoria producere Principum facta, quae, vt eos homines eſſe produnt, ita iuſtis rerum aeſtimatoribus foecundiſſimam ioci riſusque materiam praebent. Scilicet, cum abhinc biennio (meminiſtis enim, Auditores,) de Hiſtrionia aulica uerba ex hoc ſuggeſtu fecerim, et multo

(*) *Paneg. Trai.*

multo plura tum ſupereſſe praedixerim, quae in illa Oratione locum non inuenirent, nunc ea ediſſerere, eoque telam illam pertexere, conſtitutum mihi eſt. In quibus ſi quis uilia quaedam ac memoratu uix ſatis digna deprehenderit, is cogitet TVLLIANVM illud: (*) *Vt in fidibus Muſicorum aures uel minima ſentiunt, ſic nos, ſi acres ac diligentes iudices eſſe uolumus animaduerſoresque uitiorum, magna intelligimus ſaepe ex paruis.* Ceterum, dum id paro, rogandi eſtis, Rector Academiae Magnifice, ceterique Auditores omnium ordinum honoratiſſimi, ne aut ordinem, quem tanta rerum uarietas ferre uidetur omnino nullum, aut ornatum, a quo me non neſcitis alieniſſimum, deſideretis, vtque nihilo ſecius (habetis Oratorem audaculum, ac parum uerecundum,) animos aeque ac aures attentas mihi praebeatis.

De HENRICO III, Poloniae, poſtea Galliae, Rege, perhibent Scriptores fide digni, eum, res grauiſſimas inſuper habentem, totos ſaepe dies in conclaui ſuo perarduis, ſi Diis placet,

(*) CIC. *de Offic. L. I Cap. 41.*

placet, deliberationibus feſelliſſe. Continuo enim ad ſpeculum adſtans, nunc oculos, nunc ora, torquebat, nunc criſtam erigebat, nunc demirabatur ueſtem holoſericam, auroque ſplendidam; tum conuerſus identidem ad circumſtantes, quae uobis de capillitio ſententia? Num accurate ſatis in gyros ſuos deducti crines? Num barba ſatis decore collecta? An collare rite compoſitum? Et haec omnia tanta cum grauitate, tam ſerio, ſciſcitababatur, vt ipſam ab his naeniis pendere putares vniuerſi Regni ſalutem ac tranquillitatem. Sed anne magis excuſandum putatis CAROLVM VII, qui, (*) dum AGNETIS ſuae belliſſimae amoribus frueretur, Biturici vniuerſae propemodum Galliae ad Anglos defectionem ſiccis oculis adſpiciebat, aut FRANCISCVM I, (**) qui nulla alia de cauſa inauſpicatam illam et feralem expeditionem Italicam, prudentioribus omnibus diſſuadentibus, tanta animi obſtinatione vrgebat, quam vt in foemi-

(*) DE LA THAVMASSIERE *Hiſt. de Berry L. I p. 91.*

(**) SVLLY *Mem. T. I Cap. 24 p. 61.*

foeminae cuiusdam Mediolanenſis formo-
ſiſſimae amplexus ueniret; aut denique
HENRICVM IV, quem luculentiſſimae ui-
ctoriae ad Cutias partae fructum omnem
amiſiſſe conſtat, quod, relicto campo, in Be-
arniam ſuam ſe conderet, trophaea et ſigna
militaria, in iſto conflictu parta, ad pedes
Grammontiae, quam tenerrime complecte-
batur, depoſiturus? Et quis riſum tenuiſſe
credat tum GABRIELIDEM ESTRAEAM,
quoties hunc eundem HENRICVM, Ma-
gnum, fortem, felicem, poſita cum ueſte
maieſtate, ſumtoque habitu ruſtico, et
ſuſcepto inſuper, quo magis tegeretur, in
tergum paleae aut foeni faſciculo, ad ſe
furtim arreptantem cerneret; tum VA-
LERIAM, cum coram LVDOVICO XIV,
et quanto Heroe, ad genua ſua humillime
prouoluto, perque Deos Deasque prae-
cordia ſua ſolicitante, nunc animulam, cor-
culumue, nunc regnum, et diuitias ſuas,
uocante, ſurdas aures, caeca lumina, ſe ha-
bere, fingeret, aegre poſt aliquot horarum
ſuſpiria, non tam promiſſis, et autoritate,
quam patientia, tanti Principis, uicta, vt
improbo tandem cederet amori? Eſt ni-
mirum hoc uelut proprium Galliae Regi-

bus et praecipuum, vt non magis amaſiis, quam pileo aut calceis, careant; nec multum aberrauerint, qui inter ſummos Coronae Francicae officiales meretricem regiam numerent, quippe quam in publica celebritate, et ipſa Regina praeſente, impune comparere, et liberrime Regi ſuo adhinnire, ad pompam et magnificentiam aulae pertinet. Quare poſt FRANCISCVM I et HENRICVM II, quorum ille perfidia Duciſſae Stampenſis, hic aemulatione periit DIANAE, Pictauienſis, ipſe etiam FRANCISCVS II, Princeps quantumuis frigidus, et ad opus faciendum ineptus, (*) ne morem tamen aulae migraret, filiam Mareſchalli SAN-ANDREAE in concubinae nomen uocabat, puellam, non ſuo arbitrio, ſed fatorum neceſſitate, et culpa Regis, caſtam et pudicam. Quid mirum, ſi Regis ad exemplum amoribus aula diffluat vniuerſa, isque habeatur ceteris uerſutior praeſtantiorque, qui faſtum ſuperare formoſae puellae, ac durum expugnare pectus, rurſusque mox fidem datam

(*) *Mem.* D'AMELOT DE LA HOVSSAIE *T. I p. 98.*

datam ingenioſe fallere, nunc alieno thoro inſidiari, nunc raptus ſubitos meditari, nunc alia, quibus inuidia, odium, dolor, inter foeminas prouocantur, callidiſſime excogitare, didicerit. Quibus rebus quantum inſit inane, uel uno Mareſchalli ANCREI (*) exemplo conſtat, uiri tantae uanitatis atque impudentiae, vt, quoties a MARIA MEDICEA, uel lecto forte decumbente, uel ſaltem remotis arbitris, ad colloquium fuiſſet admiſſus, in proximum inde conclaue rediens, braccas, quaſi luxatas, obligare ſueuerit, perſuaſurus ita aulicis praeſentibus, quod modo a dulci cum Regina conflictu prodiret. Et quid mireris, non eſſe flagitium, meretriculam alere, apud eos, qui ipſum matrimonium, quod ſacroſanctum eſſe debet, pro ludo ac ioco habent, pueroſque et puellas, amoris licet omnis expertes, et, quid de ſe agatur, neſcios, indiſſolubili ſcilicet uinculo iungunt. Nolo praeſentis temporis hiſtrioniam depingere, vt eadem ſemper fabula luditur; ad CAROLVM VIII prouoco, qui, MARGARITAM, MAXIMILIA-

(*) HOVSSAIE *l. c. T. II p. 126.*

NI Auſtriaci filiolam quadrimulam, ſibi deſponſari, inque aula ſua aliquot annos ad mores gentis ſolicite formari, paſſus, cum maturus annis lautiorem ex ANNAE Britannicae nuptiis dotem ſperaret, coniugalis fidei, MARGARITAE olim, infantulae, datae, parum tenax, eam, nihil cunctatus, patri remiſit uirginem. Quantum uero his crepundiis oblectentur Galli, non ignorauit CAROLVS V, Imperator, qui, hanc gentis ſtoliditatem in ſua commoda uertens, non modo in itinere Gallico, propoſitis identidem eiusmodi nuptiis, ſecuritatem ſibi et incolumitatem peperit, uerum et in ipſa pace Crepiacenſi, ſua, uel fratris, FERDINANDI, filia (neutra uero matura uiro) Aurelianenſi Duci cum Ducatu Mediolanenſi, aut Burgundia, promiſſa, cetera omnia prona et optata habuit, mortuo tamen mox Aurelianenſi, pollicitationum ſimul omnium uinculo ſolutus. Hactenus, neſcio, quo fato, ſoli fere Galli nobis dicendi argumentum praebuere; nunc ad alios delabimur, et, quoniam de nuptiis diximus, illum quoque ritum conſiderabimus, quo quidam per procuratorem ſponſas ſibi ſuas deſponſare ſolennius inſtitue-

ſtituere. Nimirum, cum SIGISMVNDVS II, Rex Poloniarum, (*) nuptias Uiennae cum ANNA Auſtriaca per Legatos, inter quos GEORGIVS Cardinalis RADZIUILIVS primas tenuit, publice celebraret, unus Legatorum, loricatus toto corpore ac ocreatus, conſcenſo thalamo, per aliquod tempus cum Regia ſponſa accumbebat. Nec minus ridicula cerimonia uiſa eſt multis, quam MAXIMILIANVS in nuptiis, cum ANNA Britannica per procuratorem celebratis, primus adhibuit, et, quo minus fraudi ſibi eſſet, nouo et inaudito conſummationis titulo inſigniuit. *Neque enim ſolum*, vt UERVLAMIVS teſtatur, (**) *publice deſponſata eſt, ſed etiam tanquam nupta per omnia tracta, atque in thalamo collocata: hic poſtquam decubuiſſet, ingreſſus eſt Legatus Maximiliani cum literis Procuratoris, et, adſtantibus multis tam uiris, quam foeminis, primariis, tibiam ſuam, ad genu vsque nudatam, inter lintea nuptialia inſeruit.*

 At

(*) Ex HERRERA id habet AMEL. DE LA HOVSSAIE *l. c. T. I p.* 74.

(**) *Uita* HENR. VIII inter *Opp. p.* 1042.

At, iſtud ſi ſit dulces amores carpere, atque omnino conſummare, ualde uereor, vt multi has delicias cupediasue magnopere expetant. Nec maior profecto in ea conſummatione uel ANNAE, quae, ruptis mox uinculis his imaginariis, CAROLO VIII, vt paullo ante diximus, delicatius nupſit, uel Legati, qui nubem uiſus eſt pro Iunone amplecti, uel MAXIMILIANI tandem, qui, quemadmodum Uos, Iuuenes praeſtantiſſimi, abſentes, tanquam praeſentes, Magiſtri, ita ipſe maritus fieri cupiebat, non maior, inquam, fuit uoluptas ac titillatio, quam ALBERTI illius, Sueciae Regis, (*) qui, cum a MARGARITA Danica, quam multis antea ſcommatibus exagitauerat, bello uictus, captusque, concubitum eius, ſiue uero, ſiue ficto, amore expetiuiſſet, uoti quaſi compos, in lectum Reginae accubantis repoſitus eſt, ſed manus pedesque arctiſſime uinctus, et, Tantali propemodum fato, inter plenas epulas fame marceſcens. Nimirum grauiter illa et falſe vlciſcebatur ALBERTI proteruiam. Nam, cum ille uotum feciſſet, ſe non prius cucullum, capitis regii ea aetate tegu-

(*) *Hiſt. Suec. Lib. IV p. 112.*

tegumentum, impoſiturum capiti, quam Reginae ſuperbiam caſtigaſſet, praeterea publicis ſcriptis laſciuos eius cum Abbate SORANO amores accuſaſſet, ab illa, vbi in conſpectum adductus eſt, uotiuo per ludibrium cucullo donatum, et ad ſuſcipiendos de ſacro fonte liberos, ex Praeſule SORANO genitos, inuitatum fuiſſe, tradunt. Quod dum memoro, recordor moris illius, quo Principes totas ſaepe Reſpublicas ac vrbes ad ſuſceptorum officium obeundum optant, quod in re tam ſacra non omni vtique opprobrio carere uidetur. Ita FRANCISCVS I (*) ad celebritatem, qua tres ſimul filios ſacro fonte prolui conſtituerat, teſtes aduocaturus erat Heluetiae pagos, niſi reſciuiſſet, eos pro more gentis nomina illis impoſituros, *Sadrach*, *Meſach*, et *Abednegon.* (**) Nec ſatis certe ex grauitate uidetur, quando MONTMORANTIVS, inuitata ad ſanctum munus vrbe Lutetia, Pariſienſes ciues omnes compatres ſuos ſalutauit. Ceterum, cum ſupra communem ſortem poſiti ſibi uideantur ſummi Princi-

 pes,

(*) *Menagiana T. I p. 352.*
(**) *Menagiana l. c.*

pes, quid mirum, quod nouas, et a publica conſuetudine alieniſſimas, uiuendi rationes comminiſcuntur, hyemem cum aeſtate, coenam cum prandio, dies cum noctibus, permutantes. Qua in re nemo olim ingenioſior fuit ANTONIO HELIOGABALO, (*) qui, mane bonae noctis, et ueſperi fauſtae diei, uota acclamari ſibi, geſtiebat. *Habuit et*, inquit LAMPRIDIVS, (**) *in calceamentis gemmas, et quidem ſculptas: quod riſum omnibus mouit, quaſi poſſent ſculpturae nobilium artificum uideri in gemmis, quae pedibus adhaerebant.* Iungebat idem ad currum Leones, (***) Matrem magnam ſe appellans, iungebat et tigrem, Liberum patrem ſeſe uocans, eodemque habitu agens, quo Dii pinguntur, quos imitabatur. Ad coenam nunc octo caluos rogabat, (****) nunc octo luſcos, podagroſos, ſurdos, nigros, longos, pingues; et quae ſunt alia, quae ſuperuacaneum fuerit inter eos referre, quibus haec omnia ſunt exploratiſſima. Non poſſum tamen, quin ipſum

(*) LAMPR. *p. 865.*
(**) *p. 853.*
(***) *Id. p. 864.*
(****) *p. 865.*

pſum etiam AELIVM UERVM (*) commemorem, qui curſoribus ſuis exemplo Cupidinum alas appoſuit, eosque uentoum nominibus, quaſi ita uelocius curſuros, ompellauit, Boream alium, alium Notum, t item Aquilonem, aut Circium, appellans, quo uero, cui Uolucris nomen dedeat, (**) paſſas vuas et nucleos in uicem iordei in praeſepe poſuit, eique mortuo epulcrum fecit in Uaticano. Neque illud ninus ridiculum, quod e bello Parthico Romam reuerſus, (***) hiſtriones e Syria, elut Reges aliquos, ad triumphum adduceet. Sed illis haud multo prudentior SEASTIANVS fuit, Luſitaniae Rex, qui, cum, lerosque alios ſerena tempeſtate ex mari ranquillo ad naues conſcendere, obſeruaet, Regium eſſe putans, mari, procellis et empeſtatibus agitato, ſe credere, nunquam lacrius nauem conſcendit, quam cum turines et fulgura uehementiſſime ſaeuirent. An forte IVLIVM CAESAREM (****) imitari uoluit,

---

(*) SPARTIAN. *p. 236.*
(**) CAPITOLIN. *p. 422.*
(***) Id. *p. 428.*
(****) FLOR. *L. IV Cap. 2.*

uoluit, cuius exſtat ad trepidum ſimili diſcrimine gubernatorem nauis uox illa: *Quid times? Caeſarem uehis.* Quod paullo faſtuoſius, vt ſolet, circumſcripſit LVCANVS: (*)

Fiſus, cuncta ſibi ceſſura pericula, Caeſar,
Sperne minas, inquit, pelagi, uentoque furenti
Trade ſinum. Italiam ſi coelo auctore recuſas,
Me pete. Sola tibi cauſa haec eſt iuſta timoris,
Uectorem non noſſe tuum; quem numina nunquam
Deſtituunt; de quo male tunc Fortuna meretur,
Cum poſt uota uenit; medias perrumpe procellas,
Tutela ſecure mea. Coeli iſte fretique,
Non puppis noſtrae, labor eſt: hanc Caeſare preſſam
A fluctu defendet onus. Nec longa furori

Uen-

(*) *Ciu. bell. L. V u. 577 ſeq.*

Uentorum ſaeuo dabitur mora: proderit vndis
Iſta ratis. Nec flecte manum: fuge proxima uelis
Littora: tum Calabro portu te crede petitum,
Cum iam non poterit puppi, noſtraeque ſaluti,
Altera terra dari. Quid tanta ſtrage paretur,
Ignoras? Quaerit pelagi coelique tumultu,
Quid praeſtet Fortuna mihi.

Enimuero, ſi haec recto oculo conſideremus, ecquid ineptius,leuiusue, aut ambitioſius, a CAESARE dici potuit? Nimirum, ſe hominem eſſe, neſciebat, certe, neſcire,ſtolide fingebat. Quo magis decebat, leges poſuiſſe pelago tantum Principem, cuius ſub imperio orbis continebatur vniuerſus? Et nunquam audiuerat, PHARAONEM mari rubro, eoque tranquillo, abſorptum; certe,ſe mergi poſſe, credidiſſet, turbido ac tumultuoſo. Praeterea nihil familiarius Principibus, quam vt res modicas, a ſe geſtas, mirifice extollant ipſi, et de his, quae

ſe

ſe geſturos minantur, magnificentiſſime glorientur. PIPINVS, Galliae Rex, (*) cum in ludicro quodam beſtiarum conflictu leoni, vrſum vnguibus tenenti, caput vno enſis ictu reſcidiſſet, tum conuerſus ad populum praeſentem, *num quid*, ait, *me dignum demum putatis imperio ueſtro?* Et HENRICVS II abſurde gloriabatur, *ſe tot haereticos rogis impoſiturum, vt cineres eorum altiſſimos Galliae montes longe ſint ſuperaturi.* Sed, vt HENRICVS crudelitate, ita perfidia non parum ſibi placebat FERDINANDVS CATHOLICVS. Nam, cum Legatus Gallicus, praeſente Rege, non diſſimulaſſet, LVDOVICVM XII grauiter conqueri, quod iam ter fuerit a FERDINANDO deluſus, mox ille ſubridens, ualde uereor, inquit, ne nimis indoctus Arithmeticus ſit LVDOVICVS; tantum enim abeſt, vt ter, vt decies eum me fefelliſſe, ſponte atque vltro profitear. Quod dum memoro, CAROLVS ſuccurrit, Burgundiae Dux, (**) qui, in Nurii oppidi obſidione occu-

(*) BVSSIER.

(**) AMEL. DE LA HOVSSAIE *Mem. hiſt. T. I p. 487.*

occupatus, Fecialem, a RENATO, Lotharingiae Duce, bellum, tradita pro more illius temporis chirotheca, ſanguine conſperſa, denuntiantem, non modo patienter audiebat, uerum et, audito nuntio, alacrior, uelut bona noua afferentem, argento et ueſte pretioſa donabat. Eſſet hic locus ea commemorandi, quae a belligerantibus vltro citroque glorioſe dicta reperiuntur; ſi omnia lambere, et in longam trahere orationem, conſtitutum mihi foret. Non poſſum tamen, quin aliqua eius generis exempla in medium proferam. Cum UUILHELMVS CONQVESTOR, Angliae Rex, bellum facturus Gallis, aliquamdiu Rothomagi ob morbum haereret, Fecialem mittebat PHILIPPVS I, qui ex illo quaereret, quamdiu tandem e grauiditate (erat enim admodum obeſus) decubiturus eſſet; ad quae UUILHELMVS, per Dei gloriam et reſurrectionem, quae conſueta illi formula, iurans, cum primum, inquit, partu liberatus fuero, mille faces ſuſpendam, vniuerſae Galliae exitiales. Pari modo HENRICVS V, Angliae Rex, denuntiato Gallis bello, a CAROLO Delphino, iuuentutem ipſi falſe exprobrante, aliquot pilis luſoriis per ludibrium donatus,

ſe

ſe pro luſoriis ferreas pilas redditurum, renuntiabat, effecturumque breui, vt atroces ſatis proteruiae ſuae poenas luat. Delphinus. At uix quisquam maiori faſtu hoſtem prouocauit, quam VLRICVS ille, (*) Crucigerorum per Boruſſiam equitum Magiſter, qui, cum copias aduerſus IAGELLONEM, Poloniae Regem, eduxiſſet, atque is, ſacris operatus, nonnihil praelium moraretur, caduceatores ad Regem miſit, qui eum ſuo nomine hortarentur, ne tam ſegniter ac meticuloſe ad praelium ueniret, et, quo incunctantius id faceret, duos gladios ſtrictos et cruentos, alterum Regi, alterum primario eius Duci, VITOVDO, traderent, quibus, ſi uellent, aduerſus Crucigeros vterentur: praeterea, ne anguſtiarum ad explicandos ordines excuſationem necterent Poloni, neue inter nemora latitarent, retroceſſurum paulliſper Magiſtrum cum ſuis et conceſſurum plus campeſtris ſpatii, ſponderent. Sed, quam uana haec omnia et inania fuerint, plerumque exitus docuit; quandoquidem et Gallos a VVILHELMO et HENRICO haud perfunctorie caſti-

(*) CROMER. *L. XVI p. 264.*

caſtigatos,et Crucigeros immani clade affectos, nemo ignorat, et nos ipſi alio tempore diligentius commemorauimus. Denique nec illud nobis praetermittendum, quod, cum ſe mortales vtique ſentiant Principes, id tamen vnice curent, vt uel nominis immortalitatem conſequantur,uel, nondum ſe cum morte omnem exuiſſe poteſtatem, credulae plebi perſuadeant. Vt praetermittam ADRIANVM, cuius non vna hodie exſtat Adrianopolis, uix quisquam COMMODVM ſuperauerit ſtultitia, (*) qui, non modo vrbem Romam coloniam Commodianam,et Carthaginem Alexandriam Commodam togatam, ſed et Auguſtum menſem Commodum,appellari,ſerio praecepit. De EDVARDO I uero, Angliae Rege, memoratur, quod inter maximos belli in Scotos apparatus lethali morbo decumbens, EDVARDO, filio, dederit in mandatis, vt oſſa ſua tam diu circumduceret per Scotiam vniuerſam, donec eam Anglorum arbitrio ſubieciſſet. Quo pertinet et IOANNES ZISCA, Huſſitarum Dux ferociſſimus, qui cadaueri ſuo cutem detrahi,eamque tympano

(*) LAMPRID. *p. 495, 506, 522.*

militari induci, uoluit, id ſibi quippe perſuaſum habens, uel ſolo eius pulſu audito, hoſtes ocyus ſe daturos in fugam. Nec tacendus hoc loco BAIARDVS, Gallis uulgo *le Cheualier ſans peur et ſans reproche* dictus, (*) qui, grauiter in conflictu ſauciatus, et aegre ſpiritum trahens, in libero campo ſub arbore, ſed obuerſa hoſtibus facie, terrae ſe mandari, iubebat. Et quis credat, inuentos fuiſſe, qui etiam poſt mortem de tradita ſibi vrbe triumpharent, aut regios honores, in uita negatos, ſolenni ritu ſuſciperent? Rara fuit BERTRANDI GVESCLINII, Galliae Coneſtabilis, felicitas. (**) Nam, cum is in ipſa oppidi arcisque Reudanenſis obſidione morbo exſtinctus eſſet, praeſidiarii, iam ad extrema adacti, vni GVESCLINIO, etiamſi mortuo, certis legibus deditionem facere, in animum induxerant, eoque, impetrata conditione, claues vrbis ad illius pedes, nouo et hactenus inaudito exemplo, in barathrum deponebant. Nec minus memoratu dignum, quod de

AGNE-

(*) LONUAL *Hiſt. de Bayard p. 334.*
(**) HAY DE CHASTELET *Hiſt. de Guesclin L. VI p. 269.*

AGNETE DE CASTRO narratur a Luſitanis Scriptoribus. (*) Hanc, amore ductus, PETRVS, ALPHONSI IV, Portugalliae Regis, filius, patre uiuo ac repugnante, clandeſtinis ſibi nuptiis deſponſauerat, iuſſu ALPHONSI poſtea interfectam, et nullo funeris honore tumulatam. At, patre ſexennio poſt mortuo, PETRVS non modo praeſtito iureiurando, ac Romani Pontificis confirmatione, teſtibusque, productis, AGNETEM legitimo ſibi matrimonio iunctam declarabat, eamque in faſtis publicis inter Reginas referri iubebat, uerum et, excitato in publico templo, quo ſepulta fuerat, throno Regio, poſitisque ſibi et AGNETI ſubſelliis, protractum e ſepulcro cadauer pretioſiſſima ac Regia ueſte indui, Regnique proceres fimbriam ueſtis, perinde vt manus Reginarum ſolent, deoſculari, eoque homagium mortuae quodammodo praeſtare, tum uero iterum cum ampliſſima funeris pompa terrae mandari, ſolicite curabat. Et, ſi mortuis tantus honor fuit habitus, nemini mirum

(*) NEVFUILLE *Hiſt. de Portugal L. II p. 220.*

uidebitur, Ducem DE LA FEUILLADE, Regi Galliae, LVDOUICO XIV, ſtatuam uiuo ponentem, (*) eam ſingulari plane ritu, et plus quam pagano, inauguraſſe, atque conſecraſſe. Nimirum ter cum tota legione, quam ducebat, ſtatuam circumibat, identidem ſe more Romanorum ueterum humillime proſternens. Et iam certam pecuniae ſummam deſtinauerat ad ſuſpendendas, non noctu modo, ſed et interdiu, ad ſtatuam lampades, quanquam diurnae Regio mandato fuere ſuppreſſae. Quin in animo habebat Dux ille, vt ſibi ſepulcrum a Patribus minoribus in templo uicino compararet, quod ita ſub terra continuare conſtituerat, vt ſub ipſa ſtatua corpus ſuum reponi olim poſſet. Sed nondum omnia abſoluimus. Supereſt enim, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi, vt in aulam uos deducam Romani Pontificis, quae, vt admirationi iam pridem fuit orbi vniuerſo, ita multis quoque ſubinde riſum et cenſuram elicuit. Primus, atque vnus fere, inſtar omnium, prodeat

(*) Uid. L'ABBÉ DE CHOISY *Mem. de* LOUIS XIV *T. II p. 61 ſeq.*

deat MONTALTIVS, ſeu SIXTVS V, uaferrimus immenſae, quam animo conceperat, ambitionis diſſimulator. Poſtquam enim is (*) uariis artibus ad Cardinalitiam dignitatem perueniſſet, tum multo, quam erat re uera, aetate prouectiorem ſe fingens, id vnum agebat, vt aliis perſuaderet, ſe nihil, praeter mortem, cogitare, humana omnia ſusque deque habere. Proinde continuo, inclinato, uelut ex ſenectute, in ſinum capite, lentoque, et identidem, ob raros, quos fingebat, anhelitus, remiſſo, gradu, incedebat; uix duo uerba faciebat, quin, acri, ac fere canina, praeſentemque mortem minitante, tuſſi interpellari ſe, ſimularet; quoties adſcendere ſcalas, uel deſcendere, oportebat, pedibus ac toto corpore uacillans, ad ſingulos gradus moroſe haeſitabat, nunc aegre ducendo ſpiritum, nunc tuſſitando, aut excreando. Itaque, ne quem in uia moraretur, nulla loci, aut ordinis, ratione habita, vltimus ſemper e Conſiſtorio Cardinalium egrediebatur. Praeterea eorum, quae publice, et in omnium oculis, gerebantur, nedum arcanorum,

 mini-

(*) LETI *Uita di* SISTO V *Parte II.*

minime curioſus, ad res uulgo notiſſimas attonitus, obrigeſcebat, moxque, uelut ad ſe rediens, continuo ſuas cantilenas, ſuſpiria, preces, querula uoce ingeminabat. Seruabat mores iſtos, qui iam prope quindecim annorum vſu in naturam degenerauerant, MONTALTIVS, cum, mortuo GREGORIO XIII, Pontifice, Conclaue iniret; quin, hoc ſcitius illis uerſutiusque vtendum ratus, quo certius ad faſtigium ſummi Pontificis ſe euolaturum ſperabat, ſi, nec diu ſe futurum ſuperſtitem, et negotiorum curam facile permiſſurum aliis, perſuadere Cardinalibus poſſet, ſua ſe cellula perpetuo continebat, nullius nomen ferens, rerumque omnium, quae inter ceteros agebantur, ignariſſimus, niſi quod, vbi occaſio ferret, nunc huic, nunc alteri, nunc tertio, uerbo, omnibus, ſuffragium ſuum ſanctiſſime addiceret. Quid fit? Poſt uarias ſagaciorum artes atque technas muſſitatur de MONTALTIO. Accedunt paſſim Cardinales gratulabundi, uelut per πρόληψιν, et beneuolentiam capturi; quibus ille multum adhuc de ſenectute, animique ac corporis imbecillitate, conqueſtus, quod ſi, inquit, tiaram mihi

obtru-

obtruditis, inane profecto nomen quaeritis, quod ueſtris conſiliis, opera, autoritate, in rebus uel minimi momenti carere nequeat. His, atque aliis, ſermonibus aures Cardinalium egregie demulcebat, vtpote qui nihil optabant magis, quam eum ſibi praeponi Pontificem, qui ſua potius, quam propria, uirtute Eccleſiam regeret. Colliguntur tandem uota, itur in ſcrutinium; quo prope abſoluto, cum FARNESIVS, qui Cardinalis Decani munere fungebatur, errorem in ſcrutinio deprehendiſſe ſibi uideretur, tum uero MONTALTIVS, (*) larua tandem detracta, plane alius, ocyus ſe de ſella ſua proripit, erigitque in pedes, et caput altius attollens, vt tertia ſui parte proceriorem diceres, nullus, inquit, in ſcrutinio error eſt, nullus mehercule; Pontificem habetis MONTALTIVM, vnum omnium digniſſimum. Mox, proiecto e manibus, quo maximo poterat niſu, in mediam aream baculo, cui hactenus, ceu fulcro neceſſario, inniti conſueuerat, alacri uultu hymnum Ambroſianum (quod Decani munus fuerat) primus ipſe elata quam maxi-

(*) LETI *p. 152.*

maxime uoce intonat. Quo inter ſtuporem, ac ſummam animorum perturbationem, finito, cum ad eum acceſſiſſet BOMBIVS, Cerimoniarum Magiſter, et ex more ueteri nomine Cardinalium poſtularet, vt, quoniam plurium ſuffragiis deſignatus eſſet Pontifex, publice declararet, vtrum munus hoc arduum in ſe ſuſcipere, an detrectare, mallet, uultu graui et auſtero in eum intuens, tantum abeſt, inquit, vt renuam munus, quod me modo ante promptiſſimo animo ſuſcipere teſtatus ſum, vt uel ad duos Pontificatus, ſi offerri vna potis eſſet, accipiendos paratum me profitear. Ita enim uirtutis et roboris mei mihi conſcius ſum, quidque a me ſperare poſſim, intelligo, vt, uel duobus mundis regendis, nedum vni Pontificatui, parem omnino me futurum, certiſſime confidam. (*) Ex his etſi ceu ex vngue leonem agnoſcatis, Auditores, eoque poſſim ego facile ſuperſedere ceteris recenſendis, quae a MONTALTIO noſtro ex eo tempore, quo SIXTVS V dici potuit, ambitioſiſſime uel dicta, uel facta, fuiſſe conſtat; non poſſum tamen mihi

(*) LETI *p. 156.*

hi temperare, quo minus ceteris uel vnum addam. (*) . Nimirum tres tantum, nec plures, eodem tempore dignos cenſebat imperio, SIXTVM, (nam ſe ipſum primo loco nominabat,) HENRICVM IV, Regem Galliae, et ELISABETHAM, Angliae Reginam; cumque, hanc, accepiſſet, aliquando per iocum dixiſſe: quod ſi omnino ineundum ſibi eſſet matrimonium, ſe nulli alii, praeterquam SIXTO, nupturam; in haec uerba mox prorupiſſe fertur: et, mihi ſi uel vnica nocte congredi cum ELISABETHA contingeret, minime dubitauerim, quin alter aliquis naſciturus ſit ALEXANDER Magnus. Et quid mirum, tam praeclare ſperare de ſuis facultatibus Pontifices, qui cuncta ſibi in coelis, et in terra, credita, cuncta ſuo nutu prudentiſſime gubernata, exiſtimant. Itaque clauibus, a Diuo Petro haereditario quodam iure acceptis, pro libidine, et ſacrae ſedis commodo, vtuntur liberrime, nunc parricidii, perduellionis, criminis laeſae Maieſtatis, adulterii, et flagitiorum omnium, reis non modo ueniam liberaliter largientes, uerum et

 infan-

(**) LETI *P. II p.* 425.

infanda ſcelera, quod in inceſtu HENRICI VIII, Angliae, et PETRI, Luſitaniae Regis, patuit, probantes, et Diplomatibus munientes; nunc, quaſi boni Patresfamilias, parcius diſpenſantes ſua bona, et, pro feſtiuitatis, quam celebrant, modulo, modo plura, modo pauciora, praeſenti populo peccata condonantes. Ecquis enim non parcos nimium, et donorum, quae ſpiritualia uocant, tenaces, dixerit VRBANVM II, et CALISTVM II, ſummos Pontifices, (*) qui in templi uel crucis conſecratione ſeptimam tantum peccatorum partem adſtantibus remiſere, quaſi eorum numerum definire, uel ad lancem appendere, drachmisque ac ſcrupulis aeque, ac pharmaca, diuidere, et metiri, delicta poſſis. Sed haec de claue ſoluente, vt cum ſchola loquamur; quid de ligante dicendum erit, quo Pontifices aeque, ac Tyranni, ferro atque flammis crudeliſſime ſaeuiunt? Nimirum non ſatis eſt, in ſummos ſubinde Principes, a quibus ne prouocati quidem vllo facinore fuerint, fulmina mittere, nec ſatis, maiorem orbis partem, quae nihil deliquit, niſi quod

(*) *Menagiana T. II p. 393.*

quod eius imperio nulla lege obſtringitur, ſemel quotannis ſolenni ritu, et exſtincta, proiectaque in medium, cerea, diris deuouere; (*) quin tanti Numinis ira in ipſa etiam (quis credat?) uiliſſima animalcula propagatur. Mos fuit iam pridem a Romanae Eccleſiae Epiſcopis, in Calabria inprimis, et Heluetia, receptus, vt, muſcis, papilionibus, et id genus aliis, agros ac prata per aeſtatem depaſcentibus, ſolenne contra ea, idemque perridiculum, inſtituant iudicium. Sedet pro tribunali Epiſcopus, accumbit longo ordine Clerus, adſunt coloni, uariarum criminationum libellum edentes, citatur inſectorum omne genus, et, cum neminem deceat indefenſum relinqui, quaeritur Aduocatus, qui cauſam eorum coram iudice ediſſerat. Sed operae pretium fuerit, vt tam bellae ac nobilis cauſae patronum audiamus. Quandoquidem, inquit ille, vniuerſus terrarum orbis, et praecipue, ſi quid uiui in illo eſt, quod hunc ſpiritum trahat, quodam inuicem uinculo et cognatione coniungitur, eoque non *homi-*

(*) Uid. *Nouv. de la Rep. de Lettres par Mr.* BERNARD *A. 1702 p. 63*, et *Mel. hiſt. p. 1 ſeq.*

hominem ſolum *homini*, ſed animal etiam animalibus, *inſidiari*, *nefas eſt*, non dubito, Iudices ampliſſimi, cauſam inſectorum, quam apud uos agendam mihi uideo, licet deſperata et extrema uideatur, et iuſtam, et inuiolabilem, futuram. (*) Enimuero, vt inde ordiatur mea oratio, vnde omnis ordo cauſarum atque iudicii deriuatur, eo, ſi quid uideo, porrigitis manum, Patres, vbi imperium uobis nullum eſt, eo inſurgitis, vbi quieſcere, vbi reprimere animoſos ſpiritus debebatis, ibi ſupplicia intentatis, ibi metitis, rapitis, ius redditis, quorſum alios non aduocare, et ſuis potius moribus, ſuo ingenio, relinquere, fas fuerat. Neque habetis certe, cur ad ueſtram cognitionem inſectorum trahere cauſam nequidquam moliamini. Non enim rei ſolum pares uobis numero, aequales origine, non armis a uobis uicti, neque pactionibus ſub iugum miſſi, et ad obſequium aduocati, ſed et omnes eodem uobiscum Creatore, eadem materia, compoſiti, ſuis tamen legibus, armis quoque, et iudiciis, inſtructi, atque diſpenſati, aliis moribus,

(*) *L. 3 ff. de Iuſt. et iur.*

ribus, alio ingenio, alia forma iudiciorum, alia tuba, aliis lictoribus, vtuntur, quae ad iura maieſtatis pleraque, ne dubitante quidem vllo, referri debent, atque ſuperioritatem territorialem, (*) ſeparatam rempublicam, peculiarem Imperii ſtatum, tuentur. Proinde ueſtris legibus iudicari omnino nequeunt; praecipue cum pro *libertate* praeſumtio militet, quae *omnibus rebus fauorabilior;* (**) atque adeo ſuis moribus rectius relinquuntur. Praeterea lingua ſunt a uobis diuerſi, vt ne leges quidem ueſtrae promulgari ipſis poſſint, atque inde certe tacito ſuperioris conſenſu, ac fori priuilegio, a uobis exemti, quia *leges, ſine promulgatione latae, nullae ſunt;* (***) et, qui illos patitur per immemoriale tempus moribus ſuis uiuere ſummus Legislator, cum prohibere poſſit, *mandare* (****) uidetur, nec ab *incompetente iudice* concepta ſententia *uires rei iudicatae* vllo modo *conſequetur.* (*****) Neque adeo, in

(*) ZIEGLER *Cap. V de Iur. Mai.*
(**) *Leg. 22 ff. de Reg. Iur.*
(***) *L. 12 ff. de LL.*
(****) *L. 18 ff. de Mandat.*
(*****) *L. 15 et 18 ff. de Iurisd.*

in aliena inuolare, neceſſe eſt; quin inter ueſtros cauſam agite, ueſtrorum facinora, rapinas, caedes, furta, adulteria, ſaeuitiam, rabiem, coercete. Quod ſi uero uel ſit aliquod ueſtrum in illos imperium atque poteſtas, ab hac certe cauſa uobis abſtinendum omnino eſt; neque uobis ipſis ius dicere, (*) vbi nobiſcum diſceptatis, et ueſtrae liti dicere ſententiam, poteritis; ſed remouendi a iudicio, tanquam ſuſpecti, iudices iſti; quod uel perhorreſcentiae iuramento noſtri confirmare non recuſant. (**) Quare uel Auſtregam conſtituere, quae inter partes, quippe aequales, ferat ſententiam, uel mixtum ex infectis et pari hominum numero iudicium, quod de controuerſia vtrorumque arbitretur, confirmare, iuris et legum ratio imperat, vt ita criminationibus ueſtris ne reſpondere quidem vlla neceſſitatis lege iubeamur. Attamen, vt ne adeo diffidere rebus noſtris uideamur, uel apud ipſos hoſtes, et iniquiſſimos iudices, feliciter actum iri cauſam noſtram, non deſperamus. Quis enim vnquam legiti-

(*) *L. 10 ff. de Iurisd.*
(**) *Cap. 2 de Reſcript. in ſexto.*

gitime ad forum citauit reos, qui ne linguae quidem ueſtrae uocem et ſententiam intelligunt, *ſine qua* tamen conditione *omnis actio nulla eſt?* (*) Quos habuiſtis interpretes? Quis traxit in iudicium? Quis docuit ordinem cauſarum? Ita in abſentes, et ingenuos, et nihil tale ſuſpicantes, eosque, quibus, ſi nihil aliud, *iuris* certe *ignorantia, prodeſſe* (**) debebat, inopinato et crudeliter, et inique, conſenſiſtis. Porro, ſi uel uocati legitime fuerint, quis confeſſus eſt crimen? Quis oſtendit facinus? Quis probauit cauſam? (***) Ita neque confeſſos, neque conuictos ducitis, imbelles proſequimini, neſcientibus inſultatis, nudos, atque extorres, deglubitis? Denique, ſi uel confecta ſit contra illos cauſa, et excuſſos dudum agros ueſtros, exanimatas ſegetes, defloratas arbores, deceptam meſſem, oſtendatis, quid eſt in illis rebus omnibus, quod atrox et horrendum, et duriori, quam minari uidemini, ſententia dignum, uidea-

(*) *L. 6 ff. de in ius uoc. et Clement. Saepe de V. S.*
(**) *L. 9 ff. de Iuris Ignor.*
(***) *Ordin. Crim. Art. 56.*

uideatur? Neque enim furtum eſt, quod imputatis, ſi exſugunt arua ueſtra: non furantur, qui interdiu, et aceruatim, et magno agmine, graſſantes, exquirunt ariſtas, tentant frutices, delibant herbas, deglutiunt ſpem ueſtram; non furtim, neque clanculo, rebus ueſtris inſidiati ſunt, ſed ſuas poſſeſſiones, ſuas ſedes, inuadunt, ſuis aruis inſultant, aliena non fatigant: at, ſi poſſideas, ſi aperte capias, non furaris. (*) Neque rapinarum poſtules, quia non rapiunt, neque latrocinantur: neque enim uim cuiquam faciunt, arma, ignes, ſaxa, bombardas, nemini intentant, uitam, honorem, famam, intactam atque inuiolabilem relinquunt: at raptor uiolenter inſultat, neque ſpolium ducunt, qui in re ſua, ſuis negotiis, ſua in patria, ſuo ingenio, uictum conquirunt. (**) Namque, vt dicam quod res eſt, uos, (parcite iuſto dolori, Patres,) uos, inquam, inuolatis in aliena, uos extorquetis ſua dominis, uos turbatis poſſeſſiones, abigitis colonos, et ex ſuo fundo inſe-

---

(*) CARPZ. *Qu. Crim.* 85, ANT. MATTH. *ad L.* 47 *ff. Tit.* 2 *de furt.*

(*) *L.* 2 *§.* 9 *et L.* 24 *ff. de ui bonor. rapt.*

inſecta depellitis. Scilicet iſtud latrunculorum eſt, non uirtutis et iuſtitiae, uicinis, ſi plus uiribus ualeas, inſultare, torquere inermes, rapinis, ui, poteſtate, innocentes opprimere. Ita ius datis egentibus! ita de iure reſpondetis! Quid enim uenit uobis in mentem, quod, illa haec, quae contemplamur oculis, palpamus manibus, labris et naribus haurimus, pertinere ad uos omnia ſolos, creditis, et vna quaſi tyrannide orbem terrarum complectimini? Sua cuique patria eſt, ſui fines, quibus continemur; et, ſi uos ſpiritum ducitis, neque illos adeo fruſtra natura progenuit, ſed, quia auram dedit, atque hos animos inſpirauit, eſſe etiam uoluit, et uiuere, et ſua in aula dominari. At ſeuiſtis forte, et ueſtra compoſitum eſt opera, quod animalcula iſta in ſuum uertunt compendium. Uerum et ueſter uentriculus deuorat et concoquit, quae ipſe non elaborauerat, et milites frugibus aluntur Reipublicae, quas neque coluerant ipſi, neque collegerant maturas, deſectasue domum portauerant; et iure tamen hiſce omnibus fruuntur. Hac lege omnes ſumus, et uiuimus, vt noſtra re alios quos-

que adiuuemus, neque, quod noſtro labore partum eſt, noſtra libidine conculcandum conſumendumue arbitremur. Recte etiam aliquid rerum noſtrarum ad inſecta iſta refertur, vt et ipſa noſtris ſtudiis ſuſtineantur. Tandem adeo, ne quid cauſae huic deeſſe uideatur, perſonae miſerabiles ſunt inſecta, ſurdae auribus multam partem, luſcae pleraeque et occaecatae, pedibus claudicantes, manibus truncae, imbelles, uiduae, furioſae, interdum multa ſtrage, multis inſidiis, profligatae, et ideo non vno priuilegio ac beneficio ſuae ſortis vtuntur. Uobis ſors ueſtra ſatis omnia largiter et copioſe ſuffecit; illorum conditio dura, et afflicta, et deſperata, et defectura propediem, ſi ueſtris opibus, ueſtra affluentia, depellantur. Nunc uero, cum uos de lucro captando, illa de damno uitando uobiscum decertent, (*) perſonae miſerabiles uobis praeferentur, atque adeo ueſtris commodis cedere non tenentur. Agite igitur, Patres, et, cum neque uos Iudices inſectorum ſitis, ſed incompeten-

(*) Arg. *Leg. 34 ff. de minor.*

petentes, ſed ſuſpecti, ſed perhorreſcendi, neque, ſi ſitis, legitime uocaueritis in iudicium reos, neque confeſſi ſint ipſi crimen, neque furti, neque rapinarum, neque ſpolii, conuincantur, ſed in ſuis poſſeſſionibus haereant, et, tanquam miſerabiles perſonae, uobis, de lucro certantibus, ipſa, de damno uitando ſolicita, recte praeferantur, abſtinete a gente aliena, vtimini legitimo iudicio, parcite innocentibus, relinquite ſua poſſeſſoribus, miſericordia amplectimini miſerabiles; recordamini dignitatis ueſtrae, iurium, pietatis, nominis, et, quod maximum eſt, exſpectationis, qua ſuſpenditur orbis terrarum. Hactenus Orator diſertiſſimus; ſed fruſtra, et incaſſum, omnia. Poſtquam enim ita ſurdis auribus oraſſet, proceditur ad ſententiam, ac dirum ab Epiſcopo horrendumque anathema publica et ſolenni formula pronuntiatur. Ite domum ſaturae, uenit Heſperus, ite capellae. etc.

Reliqua ad ipſam Renuntiationis Magiſtrorum ſolennitatem ſpectant, neque adeo hic mereri locum uidentur.

ORATIO XIII.

DE

PRAECIPVIS REI LITERARIAE HOC TEMPORE IMPEDIMENTIS. (*)

Auditores omnium ordinum ſpectatiſſimi, grauiſſimique.

Qui literarum hoc tempore ſtatum atque conditionem obiter tantum ac perfunctorie intuentur, miris modis extollere ſolent illarum decus, nec addi quidquam ad incrementum poſſe, temere iudicant. Enimuero, ſi quid ipſe uideo, tetra, horrida omnia, foeda, ſpurca, in literis ſunt. Iam iamque barbaries et tenebrae imminent, et tantum non incumbunt, non Saxoniae, non Germaniae, ſed Europae vniuerſae. Dicitis: nonne florent literarum ſedes, Academiae? Nonne creſcit in dies diſcentium aeque, ac docentium, numerus? Nonne tot libri, quot fungi, vno die naſcuntur? At ſolidam doctrinam, pulcerrimas artes, amiſimus; diſcimus, quae dedi-

(*) Recitata eſt in Promotione Baccalaureali A. 1724 d. 17 Iun.

dedidiciſſe praeſtaret, inania quippe, et parum fructuoſa, ſcribimus inepta, ridicula, nemini profutura, non, vt famam aliquam et gloriam, quae, vt uirtutis omnis, ita uerae eruditionis, comes eſt, conſequamur, uerum vt famem, crudeliſſimum meliorum literarum hoſtem, exſtinguamus. Excurrite paullum mecum, Auditores, in uicinam Galliam, quae, vt naturae bonis inſtructiſſima eſt, ita Muſis hactenus ſedes fere negauit. Graecae literae, quibus omnis conditur elegantia, uix apud Monahos quosdam Benedictinos receptaculum inuenerunt. In Latinis uero literis quotusquisque nunc eſt in Gallia, qui non malit rudere cum *Aſino* APVLEII, quam compte loqui cum *Oratore* CICERONIS, vt loquitur ex illa gente nonnemo; (*) plerique Romanam eloquentiam uix a limine ſalutant; qui prorſus aſſequatur, quantum ego ſciam, nemo deprehenditur. Adſpicite Italiam, amoeniſſimum quondam Muſarum domicilium. Uix nuper proſae orationis decus, GRAUINA, et uorſae GANNETASIVS, aut CAPELLA-

(*) Uid. LALEMANTII *Epiſtolam Mareſianis praemiſſam.*

RIVS aliquis, tuebantur. Atticas delicias faſtidiunt plerique omnes; exulant ALLATII, HOLSTENII, SCHELSTRATENI, et ſexcenti alii doctiſſimi uiri, quibus olim gloriari potuit Italia. Traiicite in ipſam Angliam, quae, niſi his ipſis paullatim bonis deſtitueretur, fortunatiſſima Inſula uocari iure meritoque poſſet. Audiui iam olim ſaepius querentes in ea eruditos, pulſas eſſe in exilium Graias Latinasque Muſas, nihil niſi Anglice ſcribi, et, ſi quis edere librum Latinum uelit, Bibliopolam non inuenire. Sed quid dicam tandem de Germanis noſtris? Idem dicam, quod trecentis abhinc annis ſuauiſſimus Orator et Poeta Italus, IOANNES ANTONIVS CAMPANVS, de patria noſtra cecinit:

Nec faciles hederas, nec opacas frigida lauros
Terra gerit: Muſis credis an eſſe locum?

Quae dum animo mecum perpendo, operae pretium me facturum, ſpero, Auditores, ſi, quae noſtrae calamitatis cauſae ſint, breui Oratione demonſtrem. Quemadmodum enim Medici eſt prouidi, vt, priusquam remedia afferat aegroto, cauſam morbi

bi curioſius rimetur et exploret, ita, ſi mederi malis noſtris cupimus, neceſſe eſt, vt in ipſam eorum originem ſtudioſe inquiramus. Quandoquidem uero, uos, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi, de tollendis malis illis inprimis eſſe ſolicitos, minime dubito, vt aures attentas et pacificas mihi praebeatis,non tam rogo,vt ſolent in corona orantes,quam,omnino praebituros, mihi perſuadeo, certoque confido.

Nunquam iucundius ſuccreſcere bonas literas, et florere, quam vbi felix aura fauoris afflauerit, longa temporum experientia comprobatum eſt. Triſtis et horrida Muſarum facies eſt, cum Maecenatibus et patronis deſtituuntur. At quotusquisque eſt hodie inter uiros Principes atque Optimates, qui literas uel primis, quod aiunt, labris deguſtauerit, nedum qui ſtudia eruditorum gratia et muneribus ſolicitare dignetur. O felicem olim terrarum gentiumque Deam, Romam! Florentiſſimus erat literarum ſtatus, cum FLACCVM inter et MARONEM maximus Imperator, AVGVSTVS, aſſideret, cum Conſule Romani vterentur eloquentiſſimo uiro, M. TVLLIO CICERONE, cumque is

inter ciues crederetur praeſtantiſſimus, qui oratione plurimum et ingenio ualeret. (*) Hi, inquam, Romani, omnium gentium, omnium populorum, uictores, vt a barbarie longiſſime abeſſent, dum Respublica magis floruit, quotidie magis literarum ſtudia coluerunt, et humanitatis nomine appellarunt, quod e fera agreſtique uita ad humanum cultum ciuilemque deducerent; ſine quibus qui eſſent, monſtra eſſent humana ſpecie et figura. Enimuero, cum horror paullatim et caedes curiam occupauit, auerſis ad alia Caeſarum animis, migrarunt Muſae, ueteresque ſedes deſtituerunt. Et forſan aeterna nocte ſepultae iacuiſſent, niſi eas ſummi Principes, uelut ex orco, reuocaſſent, reuocatasque in excelſa ſede collocaſſent. Nemo erat illo ſeculo inter maximos Imperantes, qui non eruditiſſimos quosque in conſiliis, in bello, in aula, adhiberet, foueret, ornaret. Plena erant uiris eruditis Principum in Germania, Gallia, Anglia, Italia, palatia, et tanto inter ceteros potentia et ſplendore excelſius eminere Principes credebantur, quan-

(*) PALEAR. *Or. VIII p. 138.*

quanto plures in aula uiros omnium ſcientiarum callentiſſimos alebant. Inter ipſum CAROLVM V, FRANCISCVM I, et HENRICVM VIII, aduerſis ſaepe conſiliis certantes, hac vna in re conueniebat maxime, quod, literarum decus promouere, communi omnes conſilio conſtituiſſent. Et, ſi cunctos memorare uellem, qui fauore in literas ad ampliſſimam dignitatem gloriamque peruaſere, nunquam Orationis meae finem atque exitum inuenirem. Uerum *ego ſatis nequeo demirari*, (vtor uerbis eiusdem, quem antea nominaui, CAMPANI, (*)) *Principes noſtros homines glorioſiſſimos, et laudis et dignos et cupidos, ea negligere ſtudia, ne dicam, contemnere, quae ſola et laudes, et gloriam afferant immortalem, hominumque memoriam faciant apud poſteros ſempiternam. Multi celſas turres erexerunt, domosque altiſſimas condiderunt: multi, ſtatuas ſibi, atque imagines, in templis, atque in ſepulcris, collocantes, nomen ſuum literis inuiderunt. Quae omnia etſi vmbram quandam gloriae prae ſe ferre uideantur, non tamen multum poſ-*

(*) CAMPAN. *Or. Studii p.* 72.

ſunt eſſe diuturna. At literarum et eloquentiae uis aeterna eſt ; non nomen ſolum, ſed laudes, genus, mores, facta, dictaque, oſtentant. Concidunt turres, domus, atque atria, ſaepe diripiuntur, ſepulcra uetuſtate conficiuntur; quos eloquentia ſemel extulerit, neque ferro dirui poſſunt, neque tempore labefactari, et, quo plus accipiunt uetuſtatis, eo maiora laudum praeconia conſequuntur. Quid eſſent Romani, niſi fuiſſent literae? Quid Camilli? Quid Caeſares? Quid Scipiones? Quid Alexandri? Quid denique tot maximi glorioſiſſimique uiri, qui nunc mortui eloquentiae uiribus uiuunt, et per populos, per ciuitates, perque omnium ora, uerſantur? At uos, o Principes, memoriam ueſtram, et maiorum ueſtrorum, in obliuionem ire, permittitis, neque ueſtrae, neque illorum, conſulitis poſteritati. Quid autem poteſt eſſe miſerabilius, et calamitoſius, quam ſi, qui heri in ampliſſimis uiuebant conſtituti dignitatibus, extemplo ita penitus moriantur, vt nulla vnquam amplius de eis futura mentio uideatur. At, multa conſequi mala, neceſſe eſt, ſi ſummi in Republica uiri ab optimarum literarum ſtudiis abhorrent.

Neque

Neque enim deligi, vt par eſt, ingenia, aptisque ſtudiis accommodari, poſſunt, cum ea amplecti quisque cogatur, quibus uictum, ac ceteras uitae commoditates, ſibi pariat. Hinc fit, vt, qui ingenio rerum Mathematicarum cupidiſſimo inſtructus eſt, quae paucorum eſt felicitas, ad alia omnia inuitum animum trahat, quem ſi ad illa ſtudia attuliſſet, aut afferre, ob rem anguſtam, potuiſſet, maiori longe vtilitati fuiſſet Reipublicae. Quod nullum haec aetas HOMERVM, aut VIRGILIVM, ferat, non tam ingeniorum, quam Maecenatum, paucitati tribuendum. Ecquis enim eſt, qui iuſtum hodie pretium carminibus ſtatuat? Certe illi fortiter eſuriendum fuerit, qui a poeſi quaerat, vnde ſpiritum trahat. Abiere felicia ſecula, cum gratus AMYNTAE, Regi Macedonum, eſſet EVRIPIDES, CHERILVS ALEXANDRO MAGNO, THEOCRITVS PTOLEMAEO, Aegypti Regi, eiusque vxori, BERENICAE. Fuit tempus, vt recentiora etiam attingamus, quo vnico ſonulo, quod genus carminis perexiguum eſt, ARETINVS Abbatiam, et DESPORTESIVS decem millium librarum praemium, totidemque Ioachimicos an-

nuos,

nuos, tulit. Nec indonatos Poetas ipſae etiam illuſtres foeminae dimiſere. Quis enim ignorat, MALHERBIVM vnico carmine tantam a MARIA MEDICEA gratiam iniiſſe, vt quindecim millia librarum annua ab ea reportarit? Et MARIAM quoque, Reginam Angliae, ferunt, UARGAE, Poetae Hiſpano, pro Epithalamio, quo iſtius cum PHILIPPO II nuptias celebrauerat, ducentos coronatos annuos conceſſiſſe. Nihil dicam de ELISABETHA, quae quanti OUUENVM, et eruditos in vniuerſum omnes, fecerit, quot muneribus exornauerit, tam eſt notum, quam quod notiſſimum. Nunc inculti iacent Poetae, ſqualore et macie enecti, et uix vnum noſtra aetas BESSERVM oſtentat, qui, quod in celebritate uerſatur, et ſummi Regis gratia floret, Muſis et Apollini debet. Nimirum, vt de ſua aetate olim queſtus eſt AONIVS PALEARIVS, (*) *magna fuit, et eſt, vbique copia ſtudioſorum, qui quaeſtum ſibi proponunt, quem, vt cito conſequantur, aut curſim arripiunt, aut omnino praetereunt, adiumenta et ornamen-*

(*) *Orat. VIII p. 140.*

namenta ad omnem uitam, ad omnes artes, ad omnia officia, accommodata: quae, in adoleſcentia honeſtiſſima, in iuuentute optima, iucundiſſima in ſenectute, Theologiam iuuant, Ius Ciuile exornant, illuſtrant Philoſophiam, cum legimus, delectant, cum ſcribimus, ſunt neceſſaria: quibus uel noſtra, uel aliena, reddimus melius, explicamus, interpretamur. Qui uero quaeſtui inhiant, ambitione quoque titillantur, et oſtentatione doctrinae. Quare, cum ſcribunt, aut diſſerunt, inopes ac ieiuni, Latinis uerbis non poſſunt, uulgaribus vti pudet: neceſſe eſt, tandem aliquid monſtri pariant, quod non modo alunt, ſed laudant, et quaſi belliſſimum obtrudunt iis, qui nullo vſu, nullo ſunt ingenio. Placet commentum deſidioſis, vt ſincera linguarum caſtitate, uelut religione, ſe exſoluant. Quid mirum, ſi, quibus libido pro labore, ſocordia eſt pro diligentia, optimum factu eſſe contendunt, ſi nullis legibus adſtringantur? Ea licentia pro bene ſonantibus uerbis horrida, pro vſitatis noua, pro exquiſitis uulgaria, attulit. Nullus Scriptorum delectus eſt, nulla numeri, nulla ſtili, ratio habetur: ſuo Regno pulſa elo-

eloquentia iacet in ſitu et ſqualore: ea caligo perſtrinxit mentes hominum, vt, qui peius dicant, melius loqui putentur, qui obſcurius, literatius, quam ceteri. Deinde illud, ſi ad diſciplinas deſcendendum eſt, haud minimo bonis literis impedimento eſt, quod, qui diuinis literis operam dare uolunt, nihil ſibi profutura humanitatis ſtudia putant, et ſatis ſe publicis muneribus aptos credunt, ſi decies, inmo centies, praecepta artis concionatoriae auidis auribus hauſerint, ſi tot plauſtra diſpoſitionum, quas uocant, ſacrarum collegerint, quae inter fumos et Cererem excutiant. Bone Deus! quantum hic Scriptorum Eccleſiaſticorum eſt, qui, quoad in Academiis uiuunt, nihil aliud agunt, quam vt ſermones ſacros, in templis ad populum habitos, calamo excipiant, quos olim abſurde ruminantes, populo iterum ogganniant. Neque tamen ego ſanctiſſimum ſtudium improbo: iſtud deteſtor, quod de formandis tantum ſacris ſermonibus ſoliciti adoleſcentes noſtri, ea tamen, vnde illis praeſidia petere poſſunt, linguarum inprimis et antiquitatum ſtudium, minus curant, ac uilipendunt: quaſi ad ueſtem facien-

ciendam ſartoris deſignatio,in menſa facta, aut ad calceum crepida,ſufficeret. Enimuero ea nobis comparanda ſtudia ſunt, lectiſſimi Iuuenes, quae ſermones hos non tam multa arte ſplendidos,quam rerum diuinarum ſcientia ponderoſos, ac graues, efficiant. Humaniores literas, Philoſophiam, ſanam quidem illam,atque incorruptam,Philologiae amoeniſſimum campum, ac cetera,ſectari uos decet, quibus ſi deſtituamini, cum Pontificiis,aut aliis purioris doctrinae hoſtibus,diſputaturi, gladiatoribus ſimiles eritis, qui ſine armis in aciem procedunt temerarii. Equidem audire nonnullos mihi uideor, qui,ſupra uulgus ſapientes,Herculeos labores, quos in lectione Rabbinorum ponunt,mirum quantum extollunt, et in illis,non quod pueri in faba, inueniſſe ſe putant. Nullus tam inficetus,tamque delirus,inter Rabbinos Scriptor eſt, cuius ineptias omnes illi ad vnguem non edidicerint. At ego hanc non poſtremam calamitatis noſtrae cauſam eſſe cenſeo, quod multi omnes facultates,atque omnia ſua ſtudia,eo conferant, vt micam ſalis in rebus inſipidis,et margaritam in ſterquilinio, inueniant. Quae enim

enim vſum aliquem habent in Theologia, vt habere nonnulla non diffiteor, ea uel exigui admodum momenti ſunt, uel a uiris doctis dudum enucleata, ſcriptisque obuiis inſerta, vt tantum temporis atque ſumtuum inutiliter a plerisque ac gratis profundi uideatur. Satis eſt profecto, e tanto eorum numero, qui eruditi eſſe colunt, vnum atque alterum literis Rabbinicis deditum, et quaſi immerſum, eſſe, ne omnino neglectum iaceat, quicquid eximium atque elegans inueniatur in Rabbinorum ſcriptis. Quod ſi autem, Auditores optimi, ideo me creditis contra ſtudia illa, quibus multos, haud ignoro, uelut faſcino quodam, illectos, declamare, quoniam nulla mihi vnquam cum illis conſuetudo fuit, quod ita ſe habere, citra infamiae metum ingenue fateor; quaeſo uos, vt B. LVTHERI uerba, libro *de Schemamphoras* inſerta, mecum conſideretis, quae ita ſe habent: *Qui Iudaeos conſulit in interpretatione Scripturae, plane iis ſimilis eſt, qui apud caecos uiſum, apud inſanientes ſapientiam, uitam in morte, et gratiam atque ueritatem apud inferos, quaerunt, neque iniuria illi fiet, ſi et ipſe, quemadmodum*

dum Magiſtri illi Rabbinorum, uiſum pariter, et rationem, omnem amittat. Vt plura taceam aliorum eruditorum teſtimonia, quae olim ſummus apud nos Theologus, DANIEL GRIBNERVS, in *Praefatione, Meditationibus mortis aeternae* praemiſſa, collegit. Sed quid de uobis dicendum, qui Iuri et legibus operam datis? Pace ueſtra dicam, eximium illud Iurisprudentiae decus non tam foedaſtis, quam perdidiſtis. Iurisperitus olim credebatur nemo, niſi qui literarum ueneres omnes ac delicias deguſtaſſet, quique idem et literator, et Philologus, et Criticus, et Polyhiſtor, eſſet. Quem enim lateant clariſſima nomina, CVIACII, ALCIATI, DVARENI, BRISSONII, TVRNEBI, SELDENI, et complures alii, qui immortalitatem, niſi tantis inſtructi praeſidiis, nequaquam fuiſſent aſſecuti. Nunc, vt ARBITER loquitur, *cruda ſtudia in forum propellimus.* Nec Latina plerique ſatis intelligunt, nedum Graeca: in Hiſtoria adeo hoſpites ſunt, vt leges duodecim Tabularum a Moſe in monte Sinai ſuſpenſas, et Feudalia Longobardorum iura in Graecia et Arabia deſerta obtinuiſſe, credant. At-

que id, meo iudicio, longe intolerabilius, quod hi ipſi iurium doctores, qui hortari, qui impellere ſtudioſos iuuenes debebant, vt et humanioribus literis et Hiſtoriarum cognitione ſe initiari prius curent, quam recondita Themidis adyta ingredi feſtinato nimis gradu, auſint, potius tamen auocant ab his ſtudiis miſeros iuuenes, et legibus vnice caeco obſequio ſe mancipare, et in forum confeſtim prorumpere, iubent. Dolent his merito et illacrymantur peruerſis ſtudiis, quibus de meliori luto finxit praecordia Titan. Detrahe Iuri ciuili Romano Romanam Hiſtoriam, quid obſcurius, magisque perplexum, erit legibus ciuilibus? Deme Iuri publico Germaniae Hiſtoriam Germanicam, et emarcidum habebis, et exſangue, corpus, cuius nullum robur, nullum decus. At quam exiguus hodie eſt eorum numerus, qui de Romana, aut Germanica, Hiſtoria ſint ſoliciti? Soli in ſcholis Profeſſores relinquuntur. O faecem temporum! O amurcam! O merdam! Uenio ad Medicos, quorum fateor hoc aeuo artem vſque adeo auctam eſſe, vt, exploratis tot rebus, antea minus notis, riſu nunc et ſibilis excipiantur GALENVS et HIPPO-

CRA-

CRATES, quorum olim in uerba iurare conſueuerant nobiliſſimae artis magiſtri. Nihil tamen aeque Medicinae, ſi quidquam uideo, profuit, ac ſummum eruditorum in excolendis Phyſices, vt uocant, et Matheſeos, diſciplinis, ſtudium dicam, an certamen. Eadem enim aetas excellentiſſimos in vniuerſa Europa Mathematicos et Phyſicos tulit, qui nihil inuium, nihil intactum, reliquerunt, tantoque curioſius etiam in rebus minimis ſunt uerſati, quanto maiora in dies inuenta ſunt, quae pronam vtilitatem in rebus grauiſſimis afferebant. Nimirum eodem tempore Gallia CARTESIVM, rerum naturalium nouum lumen, GASSENDVM item, feliciſſimum EPICVRI admiratorem, MERSENNVM, FERMATVM, alios, Italia GALILEVM, TORRICELLIVM, et CAVALLERIVM, ſummos uiros, Anglia BACONEM, NAPERVM, Logarithmorum inuentorem, HARRIOTVM, OVGHTREDVM, HORROXIVM, Belgium STEVINVM, decimalis Arithmeticae conditorem, et SNELLIVM, Dania TYCHONEM BRAHEVM, Germania KEPLERVM, atque alios, habuit, quorum nomen nulla vnquam delebit obliuio. Tum, ne quid de-

eſſet, inſtituta paſſim eruditorum Collegia. Et primum quidem in Anglia CAROLVS II, Rex, ſocietatem Regiam ſanxit, quoque maius eius decus eſſet, ipſe et fundator, et ſocius, audiit; quod exemplum mox ſecutus Galliarum Rex, LVDOVICVS XIV, inſtituta Regia Scientiarum Academia, ad quam eruditiſſimus quisque, etiam extra Galliam natus, COLBERTI inprimis auſpiciis, multis magnisque praemiis inuitabatur. Hinc et Florentiae Academia, quam *del Cimento* uocant, et in Germania Academia *Naturae Curioſorum*, et in ipſa Hibernia *Philoſophica Societas*, magno eruditorum commodo coaluit. Uerum, vt in moribus, ita et in literis, uiciſſitudo quaedam eſt et ſatietas, quaeque antea maxima ingenia exercuerunt, ea noſtra aetate, ceu inania, et parum vtilia, nauſeamus. Tantum enim abeſt, vt illorum induſtriam ſuperare noſtri homines cupiant, vt deferueſcere paullatim uideatur generoſus ille ardor, qui tantopere eruditos ad euoluendos naturae ſinus, et rimanda diuinae Matheſeos arcana, concitauit. Certe Medici ſe ſatis doctos arbitrantur, ſi vnius alteriusue herbae uires cognouerint, aut humani

mani corporis partes praecipuas in digito numerauerint, otioſis ingeniis Phyſicas atque Mathematicas tricas, quas uocant, relinquentes. Nihil dicam de humanioribus literis, quas Empiricos et circulatores nugiuendulos ignorare, parum profecto intereſt. Recte enim dixit, quisquis dixit, *Medicos non uerbibus curare, ſed herbibus.* De Philoſophis dicere reſtat, apud quos exulat omnis elegantia, omne literarum decus et uenuſtas, poſtquam Logici corneum atque inuolutum diſſerendi genus intulere. Orator olim is erat potentiſſimus, qui idem et Philoſophus egregius, eosque demum in Philoſophia haud perfunctorie uerſatos eſſe, exiſtimatum eſt, qui ſermonem habebant non publici ſaporis. Noſtris autem temporibus, qui optime philoſophari uolunt, a caſtitate Latini ſermonis quam remotiſſimi, horrido et inculto ſono vnice delectantur. Accedit peſſima philoſophandi, qualis hodie inualuit, licentia. Cum enim ſuperiori aeuo uiri nonnulli, ſupra uulgus ſapientes, pronam *Ariſtotelicorum* ſeruitutem petulantibus uerbis caſtigarent, et Rempublicam Literariam non minus, ac ciuilem, li-

beram uellent, mox ea libertas apud noſtros homines degenerauit in licentiam, adeo, vt nunc ueterum ſcripta non ſecus, atque toxicum, faſtidiant, et neſcio quid noui monſtri pariant, quo mire ſibi placent, quodque non aliter, ac vrſus catulos ſuos, lambunt ac demulcent. Nempe probroſum illis uidetur, ſententiam ſuam prudentum teſtimoniis confirmare. Itaque, quae ipſi abſurde inuenerunt, multo abſurdius literis mandant, et mille ſophiſticationibus inuoluta, ridicule tuentur. Dici non poteſt, quantam bonis literis cladem febriculoſiſſimi mortalium intulerint, doctores vmbraticos, ſeu, quod nouum ipſis uocabulum placet, pedantas eos appellantes, quorum in ſcriptis ueterum teſtimonia adducuntur. Nimirum, uanos eſſe, aiunt, eorum labores, qui crambem bis coctam apponant, et caeca ueterum legentes ueſtigia, memoriam miſere crucient, atque obruant, cum multo magis conueniat, excolendis ingenii uiribus, et formando, quod primum eſt, iudicio operam dare. At ego nec eos probo, qui nihil recte dictum putant, niſi quod uel e PLATONIS, uel ARISTOTELIS, aut UARRONIS, ſcriptis con-

confirmari poſſit, ac ſaepenumero in rebus uiliſſimis Graecos Latinosque Scriptores omnes in teſtimonium aduocant, nec poſſum tamen eorum laudare deſidiam, qui, cum legere antiquos nolint ipſi, aliorum induſtriam carpunt, eosque in turpiſſimam pedantiſmi ſuſpicionem adducunt. Quemadmodum enim pungit eruditos et incitat magnopere gloriae ſtudium, ita nihil aeque nobiliſſimos illorum conatus retundit, quam vbi ſe palam contemtos uident, et deriſos. Sed ohe iam ſatis eſt. Nam quis omnes corruptarum literarum cauſas enarrare breui Oratione ualeat? Multa adhuc reſtant dicenda, quae, cum temporis habenda ſit ratio, praetermittimus. Exitium literis afferunt tot eruditorum, maxime Theologorum, de rebus, quae fidei capita minime tangunt, rixae et uitilitigia, quibus fit, vt et ſtudioſi iuuenes factionibus implicentur, et imperiti homines, nihil certi ineſſe ſcientiis, credant. Quid memorem laxatiorem diſciplinam, ſocordiam, ignauiam iuuentutis, contumaciam, et morum laſciuiam, ingratum contemtum eorum, quibus omnia debent,

bent, neglectum lectionum publicarum, ſtudium diteſcendi, quod plerisque ab adoleſcentia familiare eſt, pauperum, et ſaepe ſtupidorum, hominum promiſcuum ad literas acceſſum, tum indulgentiam parentum, annonae caritatem, librorum copiam immenſam, et quae ſunt alia, quae ſi iuſta Oratione percenſere uellem, dies me deficeret. Nobis ſatis fuerit, etiamnum deprehendi felicioris ingenii iuuenes, qui barbariem omnem diſpellere, et longiſſime a finibus noſtris amouere, acerrimo ſtudio contendunt. Tales ſiſto hic uobis, Auditores, Iuuenes elegantiſſimos, numero quinque, qui nihil hactenus omiſere, quod ad bonarum literarum culturam pertineret. Qui, quoniam, inſtitutis priuatim examinibus, ſua ſtudia magnopere nobis probarunt, ſupereſt nunc, vt publica etiam eruditionis ſuae ſpecimina edant. etc.

Non, quae ſequuntur, ſcire intereſt Lectorum.

ORATIO

ORATIO XIV.

DE ORIGINE ET CAVSIS BELLORVM INTER ERVDITOS. (*)

Magnifice Academiae Rector,
Reuerendiſſimi Capituli Martisburgenſis Legate ſplendidiſſime,
Procancellarie ſpectatiſſime,
Magnifice vrbis noſtrae Conſul,
Uiri Excellentiſſimi, Ampliſſimi, Clariſſimique,
Tuque Studioſorum Iuuenum nobiliſſima concio.

Inter cunctas, quotquot ſunt in orbe vniuerſo, Respublicas, nulla facile deprehenditur, Auditores, quae aeque libera, nullisque prorſus legibus obnoxia, cenſeri poſſit, ac literaria haec, in qua uiuimus, et erudita. *Nunquam nos cuiquam mancipamus*, vt cum Comico loquar, *multum alio-*

(*) Recitata eſt in ſolenni Magiſtrorum renuntiatione A. 1725.

aliorum iudicio, aliquid et noſtro, tribuimus. Nulla apud nos imperii uox, aut magiſtratus, nulli Conſules, Quaeſtores nulli: nulla ceruicibus ſecuris imminet, nulla a Scabinis metuenda durior ſententia, non carceres, non exilium. Libere philoſophamur, libere ſcribimus, et ſentimus, ne parentibus quidem, ſi ratio iuſſerit, parcentes. Cuius quidem rei ſi exempla poſcitis, Auditores, IOSEPHVM SCALIGERVM, ISAACVM UOSSIVM, IACOBVM GRONOUIVM, uobis nominabo, qui, cum nihil diſſimulandum duxerint in iis, quibus doctrinam, fortunas, uitam ipſam, debebant, uiri profecto in Republica literaria ſummi, in patrios cineres, quod aiunt, mingere non dubitarunt. Enimuero, dum liberos pronuntiamus ciues noſtros, ingenuos tamen cupimus, non ruſticos, ac inficetos, inſulſos, procaces, latrones, qui nihil aliud agunt, quam vt, ſi quid praeclari et eximii argumenti in lucem emitti uideant, illud dente plus quam canino arrodant, lacerent. Nam, vt

Diuerſum ſentire duos de rebus iisdem,
Incolumi licuit ſemper amicitia,

ita

ita ſunt, contra, qui de rei, de qua certant, ueritate minus ſoliciti, ſed uel liuore, uel odio, uel inſatiabili quadam ambitione, excitati, nihil magis curant, quam vt aduerſarium aliquem ſibi eligant, cum quo caeſim punctimque congreſſi, illuſtre ſibi ex uili uictoria nomen comparent. Pauci ſunt oppido, quibus de meliori luto finxit praecordia Titan, et de quibus idem praedicari poſſit, quod de SIGISMVNDO GELENIO traditum accepimus, *in quo uiro mira fuit animi lenitas, naturaeque quaedam bonitas, vt uix iraſci poſſet etiam irritatus, cumque nemine vnquam ſimultates geſſerit, rerum alienarum minime curioſus, minime ſuſpicax, ſed antiqua, non tamen ſtulta, ſimplicitate praeditus.* De BALSACIO obſeruant, quod clariſſimi uiri, DANIELIS HEINSII, *de Herode Infanticida* Tragoediam ſub cenſuram uocans, nihil tamen admiſerit, quo laedi poſſet amicitiae, quod cum illo pridem contraxerat, uinculum, laudibusque eius detraxerit nihil. Et quanto melior ac moderatior IACOBO IOANNES FRIDERICVS GRONOVIVS, iuſtiſſimus ingeniorum aeſtimator, qui Satyram

ram (*) lepidiſſimam, quam olim in perſonatum *Mercurium Frondatorem*, Gallum, iuuenili leuitate procuderat, adeo poſtea per omnem uitam deteſtatus eſt, vt ne amiciſſimi quidem uiri, MEIBOMIVS, GRAEVIVSque, quibus nihil negabat, vllis precibus (quod ipſi mihi faſſi ſunt) ab eo impetrare potuerint, vt copiam ipſis faceret libelli. Ceterum, cum haec ipſa, de qua diximus, libertas infinita produxerit in hac literaria Republica bella et litigia, operae pretium me facturum, ſpero, ſi in hac ſolenni Panegyri tot malorum cauſas praecipuas diligentius inueſtigauero. Quod antequam in me ſuſcipiam, exorandi mihi eſtis, Rector Academiae Magnifice, Legate ſplendidiſſime, Uosque, quotquot ex omni ordine adeſtis, Auditores ſpectatiſſimi, honoratiſſimi, vt mihi, parum compta, et uix digna delicatis auri-

(*) Titulus eſt: I. F. GRONOVII *Elenchus Antidiatribes Mercurii Frondatoris ad P. Papinii Statii Syluas. Acceſſit Cl. Salmaſii Epiſtola ad Auctorem. Pariſ. 1640. 12.* Huic FRONDATOR poſtea repoſuit alium libellum ſub titulo: *Muſculus.*

auribus ueſtris, ſed pauca, uerba facturo, animis linguisque faueatis.

Non abſurde olim, Auditores, certaminum literariorum uanitatem atque futilitatem riſiſſe uiſus eſt ISAACVS CASAVBONVS, qui Sorbonam Pariſiis ſibi monſtranti, et, *en locum*, inquienti, *in quo per annos quadringentos magno animo diſputatum eſt; quid ergo*, regerebat, *decretum eſt tandem?* Ita enim euenit profecto, vt pleraeque eruditorum diſceptationes, poſtquam longo clamore et incredibili animorum concertatione agitatae ſunt, in nihilum poſtremo recidant, et vſum in re literaria praebeant omnino nullum. Quotusquisque enim eſt eruditorum, qui uel, cauſa cecidiſſe ſe, fateatur ingenue, uel procul omni affectu, et vnius ueritatis indagandae cauſa, in pugnam procedat. Qua de re conſtabit paullo apertius, quando bellorum horum originem, hoc eſt, affectus eruditorum, quibus abrepti, continuo in aciem prouolant, ob oculos uobis poſuero, Auditores. Prima inter cauſas prodeat,

Quae uidet ingratos, intabeſcitque uidendo,

Suc-

Succeſſus hominum, carpitque, et carpitur, vna,
Suppliciumque ſuum eſt,

Inuidia, qua non faber modo fabro, ac figulus figulo, uerum etiam, proh pudor! eruditus erudito, inſidiatur. Ingenioſus fuerit aliquis paullo ſupra uulgus ac perſpicax, ſtipitem et bardum, ſermonem habuerit non publici ſaporis, barbarum uocant; in lucem prodeat eximium quidpiam, concinnum, ac nitidulum, bone Deus! quam pleno agmine irruunt, nunc dictionem uel pinguem nimis, uel elumbem, accuſantes, nunc res ipſas temere ſugillantes, et nullam clamantes ineſſe in toto opere micam ſalis, plane ac ſi id muneris ſibi datum putarent, vt, cum ipſi nihil habeant, quo ornent iuuentue bonas literas, illos etiam, qui iis bene conſulere cupiunt, peſſundent, atque opprimant. Noſtis, Auditores, quae controuerſia SALMASIO quondam cum DANIELE HEINSIO interceſſerit; nimirum, ſi rem ſpectes, uiliſſima. Hebraiſmum enim in Nouo Teſtamento agnoſcebat vterque, tantum, lingua, an dialectus, dicendus eſſet, hinc inde, quaſi pro aris et focis, acerrime dimicatum, natus-

natusque SALMASIO primum *de Helleniſtica* iuſtus Commentarius, deducta deinde illa quaſi per *Funus* eſt, et, ne quid deeſſet, additum poſtremo *Oſſilegium.* At olfecerunt ſagaciores, non alia de cauſa motam hanc HEINSIO tam grauem litem fuiſſe a SALMASIO, quam quod illum inuidendo *Phoenicis literarum* elogio a nonnemine mactatum comperiſſet. Nam, etſi ab HEINSIO ipſe dictus fuiſſet *Uarro ſui ſeculi*, longe tamen id infra laudes ſuas putabat, cum, plures vno *Uarrones* Seculum integrum, vnicum uero plura Secula *Phoenicem*, ferre poſſe, cogitaret. Haec tanti odii cauſa, quod, conciliatis licet poſtea per HVGENIVM uiris doctiſſimis, manauit tamen etiam ad filium HEINSII, NICOLAVM, qui primus in cauſa SALMASII contra MILTONVM grauem illam pronuntiaſſe ſententiam fertur, quod hic *peſſimam cauſam optime*, ille uero *optimam peſſime*, defenderit. Sed nusquam magis inuidiae locus, quam apud uiros doctos, in Academiis uiuentes, qui, quo propius, eo magis liuidis oculis, adſpiciunt felices Collegarum progreſſus, et, quos maxime uel gratia Principis, familiaeque decoribus,

coribus, uel plauſu auditorum, florentes obſeruant, eorum famae, fortunis, uitae quoque ipſi, quantum in ipſis eſt, callidiſſime inſidiantur. Quid optimum uirum, IANVM PARRHASIVM, tanto Mediolani omnium concurſu docentem, vt inter iuuenes Auditores ipſe ſenex aſſideret TRIVVLTIVS, ſed continuis Ludimagiſtrorum quorundam calumniis exagitatum, cedere tandem vrbe coegit? Inuidia. Quid THOMAM CHOREAM in M. ANTONIVM MVRETVM, a quo plauſu ſe ſuperari aegre ferebat, exſtimulauit? Inuidia. Quid ipſi IOANNI PICO, Principi Mirandulae, tot ex eruditis conſciuit aduerſarios? Inuidia. Nimirum hic non tot annos, atque illi, in ſchola ſudauerat, et, uix ex ephebis egreſſus, theſes nongentas tanto animo, tanta alacritate, e cathedra propugnauerat, vt omnibus eſſet admirationi. Neque alia de cauſa POLITIANO ſuccenſuiſſe memoratur BARTHOLOMAEVS SCALA, quam quod literas ſuas, nomine Reipublicae Florentinae exaratas, non omnes LAVRENTIO Medicaeo fuiſſe ad palatum, et alias ſubinde, eius iuſſu, a POLITIANO ſubſtitutas, intellexiſſet; quamuis

uis huic graues, quae illi tam cum SCALA hoc, quam eius genero, MICHAELE MARVLLO, interceſſere rixae, minime obfuerint, quo minus ei interea cum ALEXANDRA, SCALAE filia, MARVLLI vxore, optime conueniret, miſſis et acceptis vltro citroque ſuauiſſimis uerſiculis Graecis, et Latinis. Et quis neſcit, quantas turbas AONIO PALEARIO, bonarum literarum inſtauratori praecipuo, Senis excitauerit MACHVS quidam blatero, qui id metuebat maxime, ne, quam ipſe inglorius ſuſtinebat, docendi prouinciam in PALEARIVM transferret Reſpublica. Sed, ne diutius moremur homines Italos, qui, vt maxima uulgo gloriae cupiditate, ita inuidia laborant non minori, e Gallis quoque exemplum afferamus. Iam pridem in eloquentia Gallica ſolus fere regnabat IOANNES LVDOVICVS BALSACIVS, ita, vt neminem in hac arte parem, nedum ſuperiorem, habere, communi fere omnium conſenſu crederetur; cum ſubito exſplendeſceret diſerta UETTVRII oratio, quae, quanto plus habebat ſalis et facetiarum, quam BALSACIANVS ille cothurnus, grauis ac nimis ſeuerus, tanto plures inueniebat

amatores. Quid faceret Orator depontanus? Bella ſtatuebat, non aperte quidem, ſed per cuneos, mouenda. Vt enim fieri ſolet inter ſummos Principes, (liceat parua componere magnis,) vt in eos, a quorum potentia ſibi maxime metuunt, hoſtes exſtimulent formidoloſos, et accidendis illorum opibus pares, ſed clandeſtinis conſiliis, ne ipſi iram eorundem atque indignationem prouocare uideantur; ita BALSACIVS, poſtquam PAVLVM THOMAM A GIRACO, ſui ſtudioſiſſimum, ad edendam VETTVRII cenſuram ſolicitaſſet, mox idem COSTARO auctor erat, vt Apologiam illius concinnaret, copiam ſimul eius, antequam ederetur, ſibi pactus, a quo tamen mire ſe denique deluſum expertus eſt. De PETRO CAPELLANO, cuius *Puella* toti Galliae fuit ludibrio, uix mihi perſuadeo, quod tot, tamque inclementes, nactus fuiſſet aduerſarios, niſi lautiora ſtipendia, quibus fruebatur, homo praeſertim ſordidus, et ad rem nimis attentus, inuidioſas illorum ſatyras prouocaſſent. Nec tam acrem Academiae Gallicae cenſuram ſubiiſſet praeſtantiſſima illa PETRI CORNELII, quam *le Cid* inſcripſit, Tragoedia,

goedia, niſi tanto omnium plauſu fuiſſet excepta, vt, qui uigeſies ſpectatores adfuiſſent, nondum tamen illius taedio caperentur. Proxima inuidiae arrogantia, uitium plerisque eruditis familiare, qui, cum, praeter nominis immortalitatem, nullum ſe habere laborum ſuorum fructum aut mercedem, intelligant, famam gloriamque auidiſſime aucupantur. De vtroque SCALIGERO, patre, et filio, conſtat, quantopere et ſanguinis ſui decora extulerint, et principatum affectauerint in omni ſtudiorum genere, quo facile factum, vt non SCIOPPIVM modo, ſed et alios non infimae caueae eruditos, admodum haberent infenſos. Nunquam certe de fabula Burdonum in uulgus ſpargenda cogitaſſet AVGVSTINVS NIPHVS, niſi de auo ipſius, cognomine, magnae vtique famae Philoſopho, parum magnifice cenſuiſſet IOSEPHVS SCALIGER. Quo loco lubet audire eiusdem triſtes querimonias, vbi, *Homines,* inquit, περίεργοι καὶ κακοήθεις *me pro theatro habent, in quo petulantiae ſuae mimum agant. Nullae feriae Francofurtenſes praeteribunt ſine aliquo horribili et ſacro in me libello.* *Omne* ἐριστικὸν *forum*

rum excalefecimus. Omnium furorum et crabronum examina in me coeunt. Nimirum expeditiſſimam parandi nominis uiam inueniſſe ſibi uidentur, qui uiros omnium confeſſione eruditiſſimos, et fama ſuper aethera notos, iure, an iniuria, laceſſere, et in aperta praelia trahere, ualeant. Non deſunt, qui in hoc numero ponant IOANNEM HENRICVM HOTTINGERVM, quod MORINO, magno tum in Republica Literaria uiro, litem mouiſſet, haud quidem proletariam, cum uix ipſe uigeſimum aetatis annum attigiſſet. De PETRO RHVA referunt, eum nulla alia de cauſa GVEVARRAE Epiſtolas ſub cenſuram uocaſſe, quam quod is omnium ſui temporis Scriptorum doctisſimus haberetur. Sed, vt inde famam retulit nullam ignobilis Cenſor, ita meliori longe ſucceſſu his artibus vſus eſt NICOLAVS GRVCHIVS, qui, poſtquam in PERIONIVM durius animaduertiſſet, et ipſi SIGONIO tantum inieciſſet timorem, vt ne hiſcere quidem contra illum, quoad in uiuis eſſet, auderet, mortuo quippe leoni demum inſultans, tantam mox aſſecutus eſt inter literatos uiros auctoritatem, vt et certatim a

ſum-

ſummis Principibus expeteretur, et ſcripta eius dictaque omnia oraculi quodammodo loco haberentur. Quantum olim ARISTOTELIS nomen, quanta ſanctitas, fuerit, neminem latet; at inuenti ſunt omni tempore in re philoſophica heroes, qui, tum demum ſe ſapere et audere aliquid, quod breuibus gyaris et carcere dignum arbitrantur, cum tanti Philoſophi exiſtimationem et doctrinam in diſcrimen uocarent. Itaque GOMEZIVS PAREIRA eius *materiam primam*, ceu monſtrum ingens ac horrendum, debellandam ſibi putabat; UALERIVS MAGNI in vniuerſa eius Philoſophia deſtruenda omnem aetatem, omnes ingenii uires, conterebat; MAIGNANVS uero non ſatis ad gloriam putabat, ARISTOTELEM oppugnaſſe, niſi et GASSENDO, et CARTESIO, bellum indixiſſet. Sed haec forte toleranda, illud ridiculum, quosdam eo ineptiarum proceſſiſſe, vt, quo maiorem gloriam uenarentur, in propria uiſcera ſaeuierint: quod de GAROPOLO quodam memoratum accepimus, qui, cum Poema de CAROLO M. in lucem edidiſſet, mox etiam uulgauit Satyram, qua idem liberrime ſugillauit.

 Cete-

Ceterum in ambitioſorum hominum claſſem merito etiam referas eos, qui, nimio ſui amore abrepti, vbi ſe aliis uel plane indictos, uel parum ſplendido cum elogio memoratos, intelligunt, cauſam ſatis arduam ad bellum, ad uindictam, inueniſſe ſibi uidentur. Quo pertinet FRANCISCVS MACEDO, qui, cum in Operibus IOANNIS BONAE, Cardinalis, fruſtra nomen ſuum quaeſiuiſſet, (uideri autem uolebat πολύγραφος, nec quemquam moliri quidquam poſſe eximium iactabat, quod non ipſe aggreſſus eſſet prior,) ita repente excanduit, vt ſcriptis tanti uiri perſtringendis carpendisque finem faceret nullum. Et, ſi BAILLETO credimus, idem SCALIGER, quem ſaepius nominauimus, non aliam habuit inſultandi BARONIO cauſam, quam quod is IOSEPHO, cuius nempe nomen ille ferebat, dicam ſcripſiſſet. Tantam enim multis nominis ſui reuerentiam fuiſſe, idem Auctor obſeruat, vt haec fere ſola IAVSSAEI de ANDREIS, IACOBI, Carmelitae, de IACOBIS, RAYNAVDI de THEOPHILIS, LABBEI de PHILIPPIS, SANDERI de ANTONIIS, et tot aliorum de aliis, ſcripta pro-

produxerit. Quantam porro religio, inſtitutio, ſecta diuerſa, vno uerbo, partium ſtudium, ad excitandas rixas et offenſiones, tanto quidem periculoſiores, quanto propius accedunt ad id, quod Reipublicae intereſt, uim habeat, quotidie fere experimur. Nam, vt olim CASPARVS SCIOPPIVS, ab vno tantum e Ieſuitis laceſſitus, infinitis fere ſatyris vniuerſum Ordinem proſcindere non dubitauit, ita facile contra, qui PETAVIVM aliquem, aut GRETSERVM, factionis huius Numina praecipua, uel leuiter hodie tetigerit, totam Loiolitarum aciem in ſe vnum conuertet. Ita ex eodem ordine RAYNAVDVS, uir natura moroſus, et ſententiae ſuae tenaciſſimus, cum libelli ipſius a tribunali Inquiſitionis, cui plerumque Dominicani aſſident, acerbiorem cenſuram retuliſſent, ab his potiſſimum uindictam ſumendam ratus, eos, edito *de immunitate Cyriacorum a cenſuris* libro, non leuiter pupugit. Sed ohe! quantus hic nobis campus ingrediendus eſſet, ſi omnes omnium, qua patent, literarum ſectas euoluere, et, quantum vbique diſſidiorum non religio tantum, ſed et iuris inconſtantia, medendi ratio

 in-

incerta, philoſophandi denique incredibilis licentia, pepererint, iuſta Oratione ediſſerere luberet. Arminianorum certe, vt pauciſſima attingamus, et Gomariſtarum olim in Belgio aemulatio quot bellorum inſtrumentum fuit, non incruentorum modo, quae calamis geruntur inter eruditos, ſed quae ipſam propemodum Rempublicam euerſura uidebantur? Quantum porro Anglia, inde a mutatis ſub HENRICO VIII ſacris, Epiſcopalium et Presbyterianorum litigiis ſciſſa, quantum vltro citroque fuerit depugnatum, innumeri, qui quotidie adhuc prouolant, libri eriſtici abunde probant. In Gallia quoque quanta ſuperiori Seculo animorum contentione, quanto eruditionis apparatu, Pontificios inter ac Reformatos decertatum eſt? Dignum uero obſeruatu, nunquam maiori eruditiſſimorum hominum copia, quam illo tempore, floruiſſe Galliam, quo nobilis ingeniorum aemulatio cuiusuis partis aſſeclas ad excolenda ea ſtudia incitabat, quibus fortiſſime cauſam ſuam tuerentur, qua demum ſublata, oppreſſisque Reformatis, torpere paullatim in Gallia uiſae ſunt meliores literae, ac tantum non penitus interi-

terire. Sed et ſatis funeſta fuiſſe bella illa, PETRI RAMI, doctiſſimi uiri, exemplo patuit, qui inſtigatione aemulorum, qui ſe Philoſophiae ſciëntia ab eo ſuperari dolebant, (habebat autem non paucos, nec e faece literatorum, GOUEANVM nempe, PERIONIVM, GALLANDIVM, CARPENTARIVM, alios,) in triſti illa poſt caedem COLIGNII conuerſione crudeliter confoſſus, et eius cadauer, ne quid furori deeſſet, per feneſtram praecipitatum, miſereque laceratum, ac poſtremo in Sequanam proiectum, memoratur. Ita THOMAS CAMPANELLA, uir incomparabili ingenio praeditus, ſi parcius non Philoſophos modo, ſed et Theologos, Italos aggreſſus eſſet, nec in publicis uelitationibus ac uictoriis nimium ſibi placuiſſet, nequaquam a maleuolis proditionis Neapolitanae accuſatus, non crudeliſſimae per uiginti quatuor horas torturae ſubiectus, non tetro ac ſqualido quinque et uiginti annorum carceri mancipatus, fuiſſet. Enimuero principe loco in eorum, qui partibus ſtudent, cenſu memorandi erant rerum geſtarum et Annalium ſcriptores, inter quos ſiue aetate, ſiue gente, ſiue ſpe, metuue, di-

uerſos perpetua fere pugna exiſtit. Plerique enim, prout commodis ſuis oportunum iudicant, nunc laudant uituperandos, nunc laudandos uituperant: nec deſunt, qui PAVLVM IOUIVM imitentur; qui duplici ſe calamo inſtructum minime diffitebatur, argenteo altero, quo euergetas, quorum muneribus ſolicitatus fuerat, extollebat, altero ferreo, quo eos, a quibus nihil retuliſſet, liberrime confodiebat. Idem certe, qui FRANCISCVM II, a quo ſtipendia meruerat, ad coelum laudibus extuliſſet, mox, iis ſub HENRICO II ad fiſcum redactis, omnem non HENRICI modo huius, ſed et Gallicae gentis vniuerſae carpendae materiam aucupabatur. Quantum de rebus eiusdem FRANCISCI cum CAROLO V geſtis BALLAIVM inter et SANDOUALLIVM, praeſtantiſſimos Hiſtoricos, interſit, nemo ignorat, qui, cum ſibi inuicem repugnent apertiſſime, ita tamen ambo fucata ueritatis ſpecie deludere lectorem didicere, vt, vter uictoriam reportaſſe dicendus ſit, arduum admodum ac difficile ſit, diiudicare. Quantum in Hiſtoria Angliae BRADIVS et TYRRELLVS, UUhigenſium alter, alter Torrianorum

par-

partibus addictus, diſcrepant, et in hiſtoria ſpeciatim CAROLI I quantum CLARENDONIVS Comes abit a BATESIO, aliisque! Non defuit ALEXANDRO VI, quem GVICCIARDINVS, et plerique alii, omnium, quotquot uixere, Pontificum ſelectiſſimum pronuntiant, laudator, ſi Diis placet, egregius, MICHAEL FAERNVS, qui in *Uita Io. Antonii Campani* eum uocat *vnum omnium, quos demirata ſunt reliqua ſecula, prudentiſſimum, feliciſſimum, glorioſiſſimum.* Et, vt uetuſtiſſima uel leuiter attingamus, Penelopi, quam *ſpeculi caſtitatis* elogio mactat HOMERVS, infamiae notam inurit NASO: Didonem UIRGILIVS parum arguit pudicam, PLVTARCHVS defendit: Capanaeum, EVRIPIDI impium ac ſceleratum, AESCHYLVS iuſtum dicit, ac Deorum reuerentem: CLAVDIANVS Ruffinum pungit ac lacerat, quem ZONARAS, ZOSIMVS, EVTROPIVS, PAVLVS OROSIVS, ſummis laudibus efferunt: UELLEIVS Seianum extollit, cuius nomen ceteris fere omnibus fuit exoſum: HERODIANVS Alexandrum, Mammeae filium, accuſat, quem commendat LAMPRIDIVS, aliique: DIO CASSIVS Bruti et

Caſſii

Caſſii geſta damnat, PLVTARCHVS probat ac tuetur: Iulianum, Imperatorem, plerique deteſtantur, cuius uirtutes AMMIANVS MARCELLINVS, et e recentioribus MONTANVS, in illuſtri poſuere. Ceterum, poſtquam praecipuas funeſtorum in Republica literaria bellorum cauſas, inuidiam, ambitionem, partium ſtudium, enarrauimus, ſupereſt, vt laudabilem illam aemulationem, ingenuum ac nobilem in bonas literas, quas amamus, ardorem, paucis exemplis (neque enim diutius uos morabor, Auditores,) in ſcenam producam. Florebat Pariſiis admodum iuuenis IOANNES LVDOVICVS UIVES, ſolis tamen Logicis ac Dialecticis tricis ad inſaniam fere deditus, qui, cum animaduerteret, ANTONIVM NEBRISSENSEM in humanioribus literis extollendis haud infeliciter laborare, eum minime ferendum ratus, ſophiſticationibus, quae illi pro armis erant, adoriebatur. At is, cum ſuis ſe pariter armis, hoc eſt, Graecarum Latinarumque literarum deliciis, tueretur, eo tandem adduxit UIVEM, vt reſipiſceret, easdemque poſtea literas Louanii auide addiſceret, aetate iam ſatis prouecta. Memorant,

morant, uergente ſuperiori Seculo amicam, ſed grauem, inter elegantis ingenii uiros Gallos, BREBEVFIVM et GAVTIERIVM, coortam diſputationem de eo, vter altero maior et praeſtantior eſſet Poeta, HORATIVS, an LVCANVS. Ille HORATIO principatum aſſerebat: hic ſtabat pro LVCANO, identidem illud:

Uictrix cauſa Diis placuit, ſed uicta Catoni,

ingeminans. Demum in eas itum eſt pacis leges, vt BREBEVFIVS LVCANVM, GAVTIERIVS uero HORATIVM, attentius perlegeret: quo factum eſt demum, vt, mutata vtriusque ſententia, hic HORATIVM ita deperiret, vt nunquam exinde e manibus depoſuerit, ille uero vſque adeo caperetur ſuauiſſimo LVCANI faſtu, vt ſibi temperare non poſſet, quin integrum uernaculo carmine, tanto quidem ſucceſſu, redderet, vt uel eo nomine carminis heroici apud Gallos Princeps hodie audiat. Et quam dulcis fuit, quam foecunda, ac fructuoſa, EZECHIELIS SPANHEMII et MARQVARDI GVDII, iter vna in Italia facien-

facientium, contentio, quorum ille, ex nummis ueterum, hic, ex Inſcriptionibus, vtilitatem exſpectandam eſſe maiorem, contendebat. Quare, etſi neuter in alterutra uetuſtatis parte hoſpes eſſet, ita tamen ambo partiebantur labores ſuos, vt ille in nummis euoluendis, hic in explorandis deſcribendisque Inſcriptionibus, totus eſſet. Quantus uero inde ad Rempublicam Literariam fructus redierit, nemini obſcurum eſſe poteſt. Nam et GVDIVS tanta felicitate vtebatur in extricandis Inſcriptionibus, vt primus Patauiis LIVIVM ſuum, de cuius ſepulcro tot Seculis gloriati fuerant, eripuerit, ſubſtituto in eius locum LIVII Liberto, et dolendum ſit vtique, eum belliſſimam, quam adornauerat, horum cimeliorum collectionem, REINESIANO Opere deterritum, edere noluiſſe; et SPANHEMIVS, praeter alia multa, *de vſu et praeſtantia numiſmatum* Opus immortale erudito orbi non inuidit, qui, cum initio ſtatim huius Commentarii, ueteris cum GVDIO litis memor, nummorum prae Inſcriptionibus praeſtantiam extuliſſet, nuper demum inuentus eſt uir apprime eruditus,

SCI-

SCIPIO MAFFAEVS, Marchio, qui illarum patrocinium haud infauſto ſucceſſu in ſe ſuſciperet. Sed, ne Auditorum meorum patientia abutar, nunc ad Uos me conuerto, nobiliſſimi ac doctiſſimi Candidati, qui non ignaua hactenus in hac literaria militia tyrocinia poſuiſtis, nec ſemel aut iterum ex hac cathedra, ſed ſaepius, et fortiſſime, depugnaſtis. Antequam uero laurum conſequamini, uirtutis ac uictoriae praemium, agite, et publice nunc in hac ſpectatiſſimorum Uirorum corona, in palaeſtram quandam eloquentiae ac poeſeos alacres deſcendite. etc.

Reliqua, huius loci non eſt, exhibere.

ORATIO

ORATIO XV.

DE

SOCIETATIS REGIAE ANGLICANAE ORIGINE, INCREMENTIS, PRIUILEGIIS, LEGIBVS, ET SOCIIS. (*)

Rector Academiae Magnifice,
Reuerendiſſimi Capituli Martisburgenſis Legate ſplendidiſſime,
Spectatiſſime Procancellarie,
Uiri reliqui Excellentiſſimi,
Iuuenes praeſtantiſſimi, in ſpem patriae nati.

Non Martem tantum, ſed et Apollinem, totumque prorſus Heliconem, ſurripuiſſe hactenus ceteris gentibus gens Francica uiſa eſt, adeo, vt et ingenti admirationi ſit omnibus, et inuidiae haud minori. Neque enim ſinguli, ſed iunctis curis animisque plures, neque ſuis, ſed publicis, commodis ſtudent. Et maxime

(*) Publice habita eſt in ſolenni Magiſtrorum Panegyri A. 1729.

xime quidem compertum habent Galli, aemulationem bonarum artium matrem eſſe, eoque ſocietates inire a multis annis conſueuerunt, quas, quanto quisque ingenio potior eſt, tanto illuſtrat magis. Nam, cum fauſtum quoddam omen ſupremi imperii ex eo quaererent, ſi exterae gentes, vt moribus, ita lingua ſua, uulgo vterentur, id operam dederunt ſedulo, vt, collatis per Academiae, quam Francicam uocant, ſpeciem conſiliis, ſententias componerent belliſſimas, atque omnes uerborum apices ſolicite ſcrutarentur; quo in ſtudio nota omnibus ſunt MENAGII, UAVGELASII, COSTARTI, aliorumque, clariſſima nomina. Sed uanum exiſtimabant et inutile uerborum ſtudium, niſi rerum quoque ipſarum grauitas et pondus uelut quoddam acceſſiſſet, et, quoniam Romanae Reipublicae decus praecipuum poſitum in magnificentia cernebant, numiſmata quoque ipſa, et Inſcriptiones, ad ueterum morem fieri curabant, erecta paullo poſt Francicam illam Regia Inſcriptionum et Numiſmatum Academia, quae rerum geſtarum memoriam pulcre propagaret ad poſteros. Ex eo tempore quantum apud

Gallos in eo eruditionis genere profectum ſit, cum e monumentis plurimis egregiis, tum praecipue apparet ex Opere auguſtiſſimo, quod ante annos haud ita multos Academia illa magni Regis LVDOVICI XIV geſtis conſecrauit. At, qui Romanos et linguae puritate, et nummorum ſcientia, imitabantur, parum ſe praeſtitiſſe credebant, niſi eosdem picturae quoque et ſculpturae artificio aequarent, eoque non Lutetiae modo, ſed et Romae, auctoribus tamen Gallis, Picturae et Sculpturae Academia, auſpiciis munificentiſſimi Regis, inſtituta eſt. Atque hactenus quidem uiſi ſunt Romanos aemulari. Quod uero maiora etiam aggreſſi, non tam ornatum hodie, quam vtilitatem, ſpectant Galli, atque abditos naturae receſſus perquirunt, atque explorant, id Anglorum profecto aemulatione factum eſt. Dum enim Galli circa aucupia uerborum, et uanae oſtentationis ſtudia, occupantur, Angli naturae loculos occupant omnes, excutiunt, euoluunt, et, quo minus vnus laudes occupet, quae omnibus debentur, optimo conſiliō ſocietatem ineunt, in futura ſecula duraturam. Atque ea eſt, quam uocant, Re-

gia

gia Societas, quae, poſtquam Londini, iubente Rege CAROLO II, et plaudente Anglia vniuerſa, inſtituta fuiſſet, exemplum praebuit Gallis non minus, quam Germanis ipſis, ſecundum quod illi quidem paullo poſt Regiam Scientiarum Academiam, hi collegium Naturae curioſorum, componerent. Ea eſt Regia Societas, cuius vt vtilitas, ita et fama et celebritas, non Magnae modo Britanniae finibus continetur, ſed in Europam omnem, ipſamque Aſiam, Africam, et Americam, iam pridem euagata eſt. Ea eſt Regia Societas uere Regia, quae Regem auctorem habet, et Socios Principes, Magnates, Legatos, et uiros alios, in ſago pariter ac toga praeſtantiſſimos. Ea denique eſt Regia haec Societas, cui ſe Socium nuper admodum adſcribi paſſus eſt Sereniſſimus UUalliae Princeps, FRIDERICVS LVDOVICVS, Princeps omnibus uirtutibus, futurum Regem decentibus, cumulatiſſimus. Quare, me facturum, puto, alienum nihil ab hac ſolenni Panegyri, ſi Uobis, Rector Magnifice, Legate ſplendidiſſime, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi, Societatis Anglicanae originem et incrementum,

tum priuilegia, leges, et Socios, uerbo, vniuerſam faciem, repraeſentem. Quod cum uobis omnibus minime ingratum futurum ſperem, ea, qua decet, modeſtia uos rogo et obteſtor, vt per exiguum temporis ſpatium beneuole me audiatis, et, ſi quid a me dictum fuerit ueſtris auribus non ſatis dignum, minusque perpolitum, aequi bonique conſulatis.

Quod apud M. CICERONEM L. CRASSVS, praeſtanti uir ingenio, ſummaque eloquentia, accidere ſibi, teſtatus eſt, vt exalbeſceret in principiis dicendi, et tota mente atque omnibus artibus contremiſceret, idem mihi nunc fere accidit, vbi de Regiae Societatis prima origine Orationis meae exordium faciendum eſt. Metuo enim, quandoquidem uilia fuere Societatis initia, ne, ſi uerba maxime rebus attemperanda ſint, faſtidium pariam potius, dum ſaliuam excitare cupio. At enimuero ita plerumque cum rebus optimis atque praeſtantiſſimis comparatum eſt, vt ex infimo loco ad ſupremum demum faſtigium emergant, et, quo magis prouehuntur, eo longius recedant ab origine. Triſtia Britanniae fata incumbebant, ſqualida

omnia,

omnia, horrida, et motibus inteſtinis plena, erant, adeo, vt plebeius furor, cum Regio ſanguine ſatiari nondum potuiſſet, in propria uiſcera, tecta ipſa, et agros, conuerteretur. Fugerant Londino Muſae, et uix Oxoniae latitabant, in Collegio UUadhamenſi, cuius praefectus, UUILKINSIVS, dici non poteſt, quanta cum cura eas receperit, fouerit, ornauerit. Is nimirum eſt UUILKINSIVS, quo auctore coeperunt Angli inter has ipſas turbas e captiuitate ueluti, ſeu ſeruitute, Ariſtotelica egredi, quae tanto eſt Babylonica peior atque tetrior, quanto magis ea animum ipſum, quam corpus, afficit et exeruciat. Hinc aurea libertas extulit caput, et, deſerto ARISTOTELE, uiri eruditi complures, UUARDIVS, BOYLEVS, UUALLISIVS, UUILLISIVS, BATHVRSTIVS, GODDARDVS, ROOKIVS, liberius de rebus naturalibus philoſophari, et, collatis inuicem et expetitis ſententiis, conuentus inter ſe celebrare, deque ſcientiae huius incrementis amplificandis diligenter deliberare, coeperunt. Qua in re cum nullius in uerba iurare, nec aliorum auctoritatem, ſed propriam potius experientiam, ſequi conſtituiſſent, iam tum

praeclaram illam teſſeram, qua hodieque vtitur Societas, ante oculos habuiſſe uidentur: *Nullius in uerba.* Sed factum mox, vt optimi Socii in diuerſa loca diſtraherentur, et, quieſcentibus paullatim turbis, Londinum pars maxima perueniret anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum octauo et quinquageſimo; neque aptior, uel conuenientior, Societati continuandae locus uiſus eſt Collegio Greshamenſi, quod non uano paullo ante conſilio Muſis ſacrum eſſe iuſſerat Londinenſis quidam ciuis, a quo et nomen Collegio haeſit. Iamque in portu nauigare extra periculi formidinem uidebantur noui Socii, cum eheu! noui tolluntur motus, et horrida tempeſtas miſeros dispellit iterum, ac disiicit. Cedit armis quies, et amica Muſarum ſedes in tabernam et fornicem conuertitur nequiſſimorum hominum. O miram rerum conuerſionem! O turpiſſimam foeditatem! Affulſit tamen biennio poſt bonis literis nouum ſydus auſpicatiſſimum, redeunte in Regnum Rege optimo CAROLO II, cum quo ipſa quoque redux uidetur facta Angliae felicitas. *Rediit pax optima rerum*

rum

rum, quas homini nouiſſe datum eſt; rediit quies et ſalus; rediere Muſae, et, quas reliquerant in Collegio Greshamenſi, ſedes rurſus felici omine occuparunt. Enimuero, parum ſe conſuluiſſe Angliae, credebat potentiſſimus CAROLVS, niſi, vt Reipublicae, ita naturae, et artis, commodis omnibus pro uirili ſua parte proſpiceret. Itaque et probauit maximopere Societatis inſtitutum, et magna cum animi uoluptate experimenta eius ſpectans, quo maiorem Sociis ſplendorem conciliaret, lucuлento et praeclaro eam priuilegio ornauit, cuius in ipſo principio, par eſſe, pronuntiat, vt, qui *Defenſoris Fidei* nomine gaudeat, ea quoque ſtudia prouehat et tueatur, quae naturam ipſam contemplantur. Ea enim eſt profecto rerum ſublimium cum terreſtribus coniunctio quaſi et affinitas, vt, quemadmodum diuinae ſapientiae fulgidiſſimum lumen in iis inprimis ſpectatur, quae in oculos noſtros, atque reliquos ſenſus, incurrunt, ita in cognitionem rerum humanarum nemo facilius penetret, quam qui religionem toto pectore complectitur ac colit. Inprimis uero eo Diplomate Rex

 opti-

optimus publica et aeterna quadam lege conſtituit, vt liberum Societati eſſet ius emendi, uendendi, posſidendi, bona quaecunque, aptique et idonei ipſo iure eſſent Socii ad immunitates, uel iurisdictiones, quocunque modo conſequendas, tum vt haberent ius ſtandi in iudiciis Angliae, et ad ea prouocandi alios, actione non minus reali, quam perſonali, quale habent omnino ius Angli indigenae; vnde apparet, quantum exinde commodi non tam ad Anglos ipſos, quam ad exteros inprimis, redundet. Quo maius uero Societati decus accederet, non modo Regiam ab ſe ipſo uocari iusſit, ſed et Inſigni praeſtantisſimo donauit, quo liberrime poſthac vteretur. Scilicet ſtant tres leones in ſcuto argenteo, cui in buccula incumbit aquila, quali Duces et Principes in Inſignibus ſuis vtuntur. Suſtentant ſcutum duo canes uenatorii, qui, vti ad indagandas feras uiſu et olfactu egregie inſtructi ſunt, ita Sociorum in perueſtigandis naturae arcanis ſagacitatem et induſtriam eleganter exprimunt. Sunt enim ea in canibus uirtutis ſimulacra, vt antiquisſimis temporibus in ſellis Epiſcopalibus ad indicandam uigilantiam

tiam repraeſentati, et apud Aegyptios in vrbe Cynopoli Deorum loco habiti fuerint et culti. Leone uero et aquila quid, quaeſo, aptius excogitari potuiſſet? Quandoquidem alter uiribus, altera oculorum acie, cetera animantia longisſime antecellit, vt non tantum ad indagandam naturam, uerum etiam ad eam perficiendam, inſtituta Societas uideatur. Porro, cum ea ſit rerum humanarum conditio, vt, niſi ad regulam quandam et menſuram componantur, ſua uelut ſponte diffluant, aequum vtique uiſum eſt, vt ea Societas certo ordini ac legibus adſtringeretur. Statutum eſt itaque et ordinatum, vt Societas Praeſidem haberet, et uiginti Socios, qui perpetui ſenatus ſpeciem ueluti quandam praeberent. Sed ex his tamen decem quotannis S. Andreae die ſenatu publico mouentur, ſuffectis in eorum locum totidem aliis; et ipſa quoque Praeſidis dignitas ambulatoria eſt, ne ſcilicet ambitioni, qua, vt eruditi plerique omnes, ita rerum praeſertim nouarum inuentores, miris modis attolluntur, locus relinquatur. Quanquam nuper ab hac lege receſſiſſe paullum Socios meminimus, qui, quod nemini an-

tehac contigit, celeberrimum uirum, ISAACVM NEVTONVM, per complures annos vſque ad eius obitum Praeſidem ſibi elegerunt quodammodo perpetuum. Quemadmodum uero Socii ab oſtentatione, altercandique et uitilitigandi peſſimo pruritu, iubentur omnino eſſe alieni; ita Praeſidis iſtud eſt munus praecipuum, vt diligenter prouideat, ordine cuncta et decenter fieri, contradicendi uero libidinem ſua auctoritate comprimat et cohibeat. Quam in rem ſedet Praeſes loco edito et primo; iacet coram in menſa puluinar purpureum, auro diſtinctum et uario ramo; incumbit malleus argenteus, quem, vbi acrius diſſidentes, et gloriae paullo magis, quam vtilitati, intentos, obſeruat Socios, in menſam leniter impellit; tum uero illico omnes conticeſcunt, et, quae ſit Praeſidis ſententia, auidis auribus hauriunt, uerbum amplius addere non auſi. Quae ſane conſuetudo nequaquam uidetur absque graui ratione introducta, ſiquidem ritus Anglorum forenſes recto oculo conſiderare et perpendere uelimus. Quoties enim Angli, praeſente actore et reo, iudicium inſtituunt, excandeſcentibus inter diſputan-

dum

dum partibus, iudex eis, dato per malleolum ſigno, ſilentium imponit, prorſus vt eodem fere Praeſes Societatis Regiae, quo iudex ciuilis, loco habendus uideatur. Sed haec eiusmodi animaduertenda iis relinquimus, qui, dum in argumento mediocri nimis extollendo uerſantur, minutias omnes ſectantur, et uulgaria quaeque, tanquam prorſus eximia, praedicant. Id tamen de Praeſide omittendum non eſt, eum, quo minus auctoritate ſua uel abuti, uel parum vti, poſſit, praeſente Magno Angliae Cancellario, ſolenni hoc iureiurando obſtringi: *Ego fideliter atque decenter me geram in rebus iis omnibus, quae ad officium Praeſidis Regiae Societatis Londinenſis pertinent, in commodum et incrementum ſcientiae naturalis. Ita me Deus adiuuet.* Et eſt praeterea legibus his cautum, vt adſciſci absque Praeſidis uoluntate poſſit in Societatem nemo, niſi qui forte Regi a ſecretioribus conſiliis, uel Princeps certe aliquis, aut Comes, fuerit, aut extra Angliam natus, quippe qui, uel repugnante Praeſide, recipi nihilo minus, ſi ceteri Socii conſentiant, poſſunt. Ecquod autem porro eſt, quaeritis, Auditores,

res, Praeſidis officium? Conuocat is Socios ad conuentum, ſiue is, vt fieri ſueuit, Mercurii diebus, poſt horam quartam, ſiue extra ordinem, quocunque tempore, inſtituatur; neque minus is conuentum, vbi ex re uiſum fuerit, diſſoluit, Sociosque dimittit. Proponit porro ea, quae digna inquiſitione uideri poſſunt, tum indicat ſubinde, quo ordine progredi Socios oporteat. Transfertur inde e materia vna in aliam, ita tamen, vt ne contraria contrariis miſceri, et naturae ordinem euerti, patiatur. Nouos praeterea Socios admittit, et, poſtquam electi fuerint, publica uoce declarat. Neque minori in his omnibus auctoritate Uice-Praeſes gaudet, ſi Praeſidem ipſum, ſiue ob corporis imbecillitatem, ſiue ob cauſas ſonticas alias, abeſſe contigerit. Sociorum electio nequaquam per feſtinatam quandam et tumultuariam, ſed prudentem potius deliberatamque, conſultationem, neque in vno eodemque conuentu, ſed iterum iterumque, inſtituitur, ita quidem, vt primo conuentu nomen Candidati Collegis proponatur, deinde altero ſcrutinium, quod uocant, eruditionis et famae habeatur, ac denique per modum

dum globulorum, ſeu teſſerarum, ad electionem procedatur. Multa uero ſunt, quae conſiderari, et aequa uelut lance perpendi, in Candidatis debent, vt Societatis honor ac decus perpetuo ſeruetur integrum. Quo magis enim, vt in Regio Diplomate diſerte declaratur, in uario eruditionis genere quisquam antecellit alios, quo maiori flagrat ſtudio promouendi commoda Societatis, et amplificandi nominis et famae celebritatem, quo magis eſt integer, ſcelerisque purus, quo maiori denique erga Regem et Rempublicam fide, eo acceptior creditur, digniorque, qui in Societatem adſciſcatur. Quanquam autem iſtud in Candidatis praecipue ſpectant, vt naturam familiarius perſpectam, et rerum cauſas omnino exploratas, habeant, attamen neque eos aſpernantur, quos inſtitutum ſuum adiuuare, commendare inuenta noua, atque ad exteros propagare quocunque modo poſſe, exiſtimant. Itaque tot inter Socios Duces, Comitesque, deprehendas, qui, niſi quod famam Societatis illuſtriorem reddunt, parum illi emolumenti ingenio ſuo afferunt, quippe quo ad res multo maiores, et longe ſupra haec poſitas, ad mode-

moderandam Rempublicam, et aequilibrium Europae ſtabiliendum, opus habent. Quis uero credat, Regem ipſum CAROLVM, et fratrem eius, IACOBVM, Ducem Eboracenſem, Principemque RVPERTVM Palatinum, quorum nomina Statutis Societatis ſubſcripta uideas, tantum a publicis curis otii reliquum habuiſſe, vt naturae commoda procurarent? Procurarunt enim maximopere, ſi non proprio ſtudio, auctoritate certe, et munificentia. Neque negari prorſus poteſt, quosdam ſummae dignitatis uiros, quae ipſi excogitauerant, inuenta praeſtantiſſima liberaliter nonnunquam cum Societate communicaſſe, vt felix iure meritoque uocari Anglia debeat, iudice ſummo Philoſopho, in qua Philoſophi principatum tenent, et Principes philoſophantur. Quo loco praetermittendum non eſt, quod de FERDINANDO ALBERTO, Duce Brunſuicenſi et Luneburgenſi, relatum legi. Cum enim et ipſe legibus Societatis ſubſcriberet, adſtabat forte quidam e Sociis, qui inſtituti huius rationes Latino ſermone expoſiturus erat ſummo Principi; at is, quin potius, aiebat, Anglica lingua vteris? Dudum enim

eam

eam addidici, ne lectione librorum Philoſophicorum, quos frequentes editis, priuarer. Dignam Principe uocem! Ego uero Ueſtrum in gratiam haec affero, optimi Iuuenes, qui Philoſophiam colitis, vt intelligatis, quam neceſſarium uobis ſit futurum Anglicae linguae ſtudium, ſi felices in rebus Philoſophicis progreſſus facere cupiatis. Nam, cum ea vtantur libertate Angli, vt non ſecus, atque apes, e floribus praeſtantiſſimis mella, ita ipſi uoces quasque optimas et aptiſſimas e uariis linguis, depromant, et ciuitate donent, facile vnusquisque cognoſcit, rebus naturalibus apte et concinne deſcribendis, praeter Anglicam linguam, uix aliam eſſe magis conuenientem. Atque ea uidetur praecipua ratio, quare uernaculo potius ſermone quam Latino, qui eruditis alioquin familiaris, et noſtris temporibus plane proprius, eſt, vtantur Socii; quod ex eorum Commentariis, *Tranſactiones* uocant, apparet. Quo propius autem naturam aſſequantur, et quodammodo imitentur, eo longius ab inutili et uana eloquentia recedunt Socii, phaleratas ſententias, et uerba ſeſamo et papauere ſparſa, prorſus exoſi.

exoſi. Qui enim in Philoſophia multo uerborum apparatu vtuntur, nae illi naturam corrumpunt magis, quam extollunt, et miſeros homines falſa imagine deludunt. Et eſt haec certe Anglicae gentis gloria maxima et uirtus, quod affectationem omnem ſuopte ingenio fugit atque auerſatur, eoque ad ſcrutandos intimos naturae receſſus omnium maxime idonea cenſeri debet. Quanquam et alia ſupereſt praeterea ratio, quod patria lingua vti Socii amant, nimirum ne plebeiorum quorundam hominum, qui non tam inſtitutione, uel arte, quam ipſius naturae ſtimulis, ad rerum optimarum cognitionem peruenerunt, careant inuentis; quorum in numero ſunt Optici, Mechanici, Chymici, et id genus alii. Neque enim ad perficiendam naturam longis annalibus, et ſpecioſa maiorum ſerie, titulisque magnificis, opus eſſe crediderunt Angli: et ipſe CAROLVS, Rex, primos inter Socios tenuis ſortis hominem et operarium nominauit, quod is, uulgata *de mortuorum regiſtris* Diſſertatione, belliſſimi ingenii ſpecimen prodidiſſet. Vt uero dignitatis, ita religionis quoque, in Candidatis ratio habetur nulla:

nulla: quandoquidem non de ſpiritu, ſed corpore, neque de rebus coeleſtibus, uerum de ſublunaribus, deliberationes inſtituunt; et, cum diuerſa ratione Deum colant, eodem tamen modo, dum naturam rerum conſiderant, et admirantur, ad vnum naturae praeſidem, Deum optimum maximum, euehuntur. Et parum praeterea refert, qua quisque oriundus gente ſit. Habet enim vnaquaeque praecipuam quandam ad res indagandas facultatem, vt, ſi quaedam quaſi ingeniorum inſtituatur mixtura, non poſſit non eximius inde fructus et praeſtantiſſimus proficiſci. Proinde Germanorum, Gallorum, Scotorum, Anglorum, induſtria, alacritas, et ſingularis rerum cognoſcendarum ardor, Italorum uero et Hiſpanorum lenta et circumſpecta iudicandi ratio, commendatur, quae nec uulgares uirtutes ſunt, et ad perficiendam naturam apprime faciunt. Nam, ſi ad vtilitatem Reipublicae multum confert, ſi portus liberi ſint, exterisque nauibus omnibus pateant, non parum profecto emolumenti Philoſophiae accedit, ſi ab ea prohibeatur omnino nemo, ſed cunctis potius et aditus, et receptus, praebeatur liberri-

mus. Id quod probe intelligentes Angli, non modo exteros, quos prouehere ſua commoda poſſe credunt, gratis admittunt, ſed et ab annuis exactionibus, quales Angli praeſtant, liberos eſſe iubent, et praeterea curant maxime, vt quam primum ad eos perferatur, quicquid e Societate prodit eximium. Sed dudum exſpectatis, Auditores honoratisſimi, vt uobis edam celebriorum quorundam uirorum nomina, quos e diuerſis plane gentibus Societas allegit. Proxima Britanniae eſt Gallia. Itaque ab his auſpicatus, paucos quidem nominabo, quos uariae eruditionis fama alios longiſſime anteire exiſtimo. Primus prodeat BVLLIALDVS, cuius in Aſtronomia quam fuerit exquiſitum ſtudium, nemo eſt facile, qui ignoret. Cui proxime iungo non tam Mathematicum, quam Phyſicum, excellentiſſimum, FABRVM, (*le Feure*) nec minorem in omni antiquitatis ſtudio PETITVM, et uaria eruditione clariſſimum SORBIERIVM. Nec tacendi ſunt DIONYSIVS PAPYNIVS, quem uel oſſium duriſſimorum molliter coquendi, quam reperit, mira et prorſus ſingularis ratio ſatis inter eruditos extulit et commendauit; IACOBVS BASNAGIVS,

NAGIVS, item doctiſſimus, qui, poſtquam eruditum Diarium Gallico idiomate edidit in Belgio, magnam ſibi peperit nominis celebritatem; ingens item Hiſtoriarum lumen, MICHAEL LE UASSOR, et, qui hodieque inter Mathematicos eminet, PETRVS UARIGNONVS, vt et Aſtronomus incomparabilis, IACOBVS CASSINVS. Praecipuo uero honori ducere Gallos, ſi in Societate hac locum inuenerint, nemo mirabitur eorum, qui non ignorant, iam pridem Academiam Scientiarum Pariſienſem ab Anglicana literis humaniſſime petiiſſe, vt frequens commercium, et quandam quaſi ſtudiorum conſpirationem, ſecum iniret; ſimul aperte faſſam, gentem Britannicam longe maioribus, quam Gallicam, praeſidiis ad promouenda rei naturalis incrementa inſtructam eſſe. A Gallis ad Belgas tranſeo, quibus etſi ſint uetera quaedam et fere Uatiniana in Anglos, aemulam gentem, odia, non defuere tamen inter illos, qui cum his aeterna quadam amicitiae lege coaleſcere, atque optimis inuentis Societatis Regiae decus et famam augere, anniſi ſunt. Quos inter agmen ſuo merito ducit

celeberrimus HVGENIVS, cuius memoriam, quoad Matheſi ſuus conſtabit honos, nulla delebit obliuio. Sed quid de ISAACO UOSSIO dicam, magni parentis filio maximo, qui non modo Belgium, in quo natus eſt; ſed et Angliam, in qua uixit, immo orbem eruditum, qua patet, vniuerſum, doctrina ſua illuſtrauit, ac nobilitauit? Quid de ANTONIO LEVUUENHOEKIO, qui, quanquam eruditus non eſſet; tamen Optica doctrina adeo excellebat, vt parem in Europa uix habuerit, nedum ſuperiorem? Quid de Conſule Amſtelaedamenſi, NICOLAO UUITSEN, quem quo altius fortuna ſuper alios extulit, eo magis cordi ſemper habuit bonas literas, et prouexit? Quid de GRAUESANDIO, qui et de Phyſica et Optica Neutoniana egregie meritus eſt, et ſolus fere hodie gloriam ciuium in Matheſeos cultura ſuſtinet? Quid denique memorem FRIDERICVM RVYSCHIVM, uirum iam nonagenario maiorem, qui, quantum ars humana naturam ipſam aemulari et perficere poſſit, nouis experimentis docuit. Atque in ipſis etiam Italis, quae gens eſt alioquin Regio nomini infenſiſſima, fuere,

re, qui, in Regiam Societatem Anglicanam admitti, in lucro poſuerunt. Nam, vt taceam GUIDONEM GRANDVM atque FRANCISCVM TRAUIGNI, Uenetos, ipſumque MARCELLVM MALPIGHIVM, Philoſophum et Medicum Bononienſem, qui pleraque ſua Opera Londini primum edi curauit, quemque adeo omnibus notum eſſe exiſtimo, vt ſuperuacaneum ducam, multa de eo uerba facere; memorandus eſt ſane praecipuo loco uir, vt dignitatis, ita eruditionis, in rebus inprimis, quae naturales dicuntur, prorſus eximiae, ALOYSIVS FERDINANDVS, Comes MARSIGLI, qui, poſt alia cedro digna Opuſcula, *Hiſtoriam Maris* exquiſitiſſimam, et eodem fere tempore *Danubium Pannonico-Myſicum*, Opus immortale, ſex grandiſſimae formae Uoluminibus comprehenſum, nobis dedit, et ipſe ante paucos annos Academiam, ſeu Inſtitutum, quod uocat, Bononiae in aedibus ſuis aperuit, vbi congregati uiri docti, de naturae arcanis ingenioſe ratiocinantur. Sed non minus dignus eſt noſtris laudibus UINCENTIVS UIUIANI, Coſmi III, magni Ducis Etruriae, Mathematicus primarius,

 non

non minus a Gallis inter octo exteros Regiae Academiae Scientiarum Socios adſcriptus, quam Regalis Societatis Londini (hoc enim titulo vtitur) Sodalis, qui vnus e magni GALILAEI diſcipulis inclaruit maxime. Is, poſt alia ſingularis eruditionis monumenta, *de Locis ſolidis* Diuinationes Geometricas in ARISTAEI Senioris, Geometrae, libros quinque, iniuria temporum amiſſos, in lucem protulit, et LVDOUICO M. Galliarum Regi, inſcripſit, qui, quanti hunc uirum faciat, tum ſignificauit, cum largos ei ſumtus ad aedes magnificentiſſimas in memoriam praeceptoris optimi, GALILAEI, Florentiae excitandas ſuppeditaret, quarum haec eſt inſcriptio: *Aedes a Deo datae, Ludouici M. honorificis munificentiis comparatae, ac denuo conſtructae Florentiae a nouiſſimo M. Galilaei diſcipulo Anno Sal. MDCXCIII.* Neque poſſum hic DOMINICI CASSINI nullam facere mentionem; cuius quanta ſit Aſtronomiae cognitio, haud difficulter ex eo iudicari poteſt, quod, cum eſſet natione Italus, Gallis tamen ipſis praelatus, dignitatem Aſtronomi Regii fuerit conſecutus. Praetereo IOSEPHVM

AUE-

AVERANIVM, Profeſſorem Iuris Piſanum, uaria eruditione ſpectabilem, FRANCISCVM BLANCHINVM, Aſtronomum Romanum, Antiquarium, et Hiſtoricum, editis inprimis ANASTASII, Bibliothecarii, *Uitis Pontificum* clariſſimum, IOANNEM MARIAM LANOISIVM, Archiatrum olim Pontificis celeberrimum, IOANNEM POLENVM, Profeſſorem Aſtronomiae Bononienſem, MICH. ANGELVM TILLI, nuper edito *Horto Piſano* illuſtrem; tum inprimis noſtrae aetatis decora, PETRVM ANTONIVM MICHELOTTVM, IOANNEM BAPTISTAM MORGAGNIVM, Medicos, LVDOUICVM ANTONIVM MVRATORIVM, Hiſtoricum incomparabilem, et ingenioſiſſimum ANTONIVM UALLISNERIVM, cuius extant ingentia in Hiſtoriam naturalem merita. Iam, vt ad Germanos ueniamus, non morabor equidem NICOLAVM MERCATOREM, uel IOANNEM NICOLAVM PECHLINIVM, uiros ſummis quidem laudibus digniſſimos, ſed ex Holſatia oriundos, neque HEUELII, quanti uiri! laudes prolixe decantabo, qui, quod Dantiſcanus fuit, Polonis potius Pruſſis, quam Germanis noſtris, accenſeri debet. Praedican-

dus tamen eſſet IOANNES THEODORVS HEINSON, Hanouerae natus, niſi me, dum Hanoueram dico, GODOFREDVS GVILIELMVS LEBNITIVS, uir in omni literarum ſtudio ſummus atque praeſtantiſſimus, ad ſe vnum uocare ueluti, et ſolus ceteris laudes omnes praeripere quodammodo, uideretur. LEIBNITIVS is eſt, non Hanouerae modo, vbi uixit, ſed et Lipſiae, cui natales ſuos debuit, praecipuum decus; LEIBNITIVS, quem Angli iam ante complures annos ſolum inter Germanos in rebus Mathematicis recte ſapere credebant; LEIBNITIVS, quem vnum admirabantur, ita, vt nemo facile eſſet eruditus in Anglia, qui, cum in Germanum forte incideret, primum omnium, ſatin ſaluus LEIBNITIVS ueſter? ſolicite non exquireret. Quanquam inficiari non poſſumus, poſtremis ante mortem eius, nunquam ſatis deplorandam, annis aliquos ex ea gente de tanti uiri meritis nonnihil detrahere, licet fruſtra, conatos, quod aegre ferrent, magno NEVTONO ſuo inuentionis gloriam ab eo, quamuis optimo iure, praereptam. Sed ſummo Mathematico non inepte iungimus ſummum Philolo-

lologum et Polyhiſtora, EZECHIELEM SPANHEMIVM, omni laude dignum, ſed omni maiorem, tantaeque celebritatis uirum, vt, de eo nihil, quam pauca, ſermone quidem minus ornato, dixiſſe, praeſtet. Nihil addam de AVG. QVIR. RIUINO noſtro, et MICH. BERN. UALENTINI, Medicis celeberrimis, deque his, qui adhuc ſunt ſuperſtites, DAN. ERN. IABLONSKIO, Theologo non vltimo caueae, P. I. MARPERGERO, uiro polygrapho, et de noua Germaniae luce, CHRISTIANO UUOLFFIO; nec de me ipſo dicam, qui me iam ante hos triginta annos in Societatem hanc, nullo vtique merito, receptum, gratus tamen, profiteor. Iam, ſi ceteros memorem, ex Heluetis BERNOVLLIOS, IOANNEM, et NICOLAVM, ueneranda Mathematicis nomina, et IO. IAC. SCHEVCHZERVM in Hiſtoria patriae naturali exercitatiſſimum, e Suecis VRBANVM HIARNE, e Danis IUERVM Baronem DE ROSENKRANTZ, et OTTONEM SPERLINGIVM, ex aliis alios, dies me citius, quam dicendi materia, defecerit. Sed de exteris ſatis; nunc, aliquos etiam e gente Britanna nominare, operae pretium fuerit, quae,

vt eſt optimorum ac praeſtantiſſimorum ingeniorum feraciſſima, ita Regiam hanc Societatem egregie inde ab initio exornauit. Non erit uero ab inſtituto noſtro alienum, ſi ſecundum ordinem Facultatum, ad quas ſpectant, progrediamur, quo magis pateat, Anglos in Sociis deligendis non ſolum, quam doctus quisque in rebus Phyſicis et Mathematicis, ſed etiam, quam clarus in aliis ſcientiis, et ad promouenda quocunque modo commoda ſua, aptus ſit, ſpectare. Vt itaque de Theologis dicere ordiar, non inhaerebo THOMAE SPRATO, Epiſcopo Roffenſi, qui dudum *Societatis Anglicanae Hiſtoria*, ſermone Anglico, eoque elegantiſſimo, edita, de ipſa immortaliter meruit, uiro tantae modeſtiae, vt Archiepiſcopatum Armachanum in Hibernia, a Regina, ANNA, ſibi oblatum, humillime deprecaretur. Non eſt praetermittendus inter primos GILBERTVS BVRNETVS, Epiſcopus Sariſburienſis, uir magno animo, et ad magna quaeque natus, Germaniae, quam uidit, amantiſſimus, ſed Reformatae religionis acerrimus contra Lutheranos non minus, quam Pontificios, defenſor, cuius et Hiſtoria Reformationis

tionis Anglicanae,et,quam reliquit, ſui temporis, quantum probata fuerit cordatis omnibus, quotque maleuolorum experta ſatyras, nemo ignorat. Succedet huic, quanquam aetate maior, THOMAS GALE, cuius hodie filius Societatem ornat, Theologiae Doctor, et Decanus Eboracenſis, cuius erat inſignis peritia linguae Graecae, quod uel IAMBLICHVS, et Oratores quidam Graeci, ab eo editi, abunde teſtantur. Quanquam illi neutiquam eo in ſtudio concedere RICHARDVS BENTLEIVS uidetur, Theologiae pariter Doctor, Bibliothecarius Regius, et auguſtiſſimi Collegii Trinitatis, quod Cantabrigiae eſt, caput et decus, qui et edidit ingenii elegantioris foetus non paucos, et plures minatur, atque ante complures annos cum clariſſimo iuuene, CAROLO BOYLE, *de Epiſtolis Phalarydis tyranni*, non ſine gloria, editis Diſſertationibus perdoctis, certauit, nunc uero inprimis in *Nouo Teſtamento*, et *Homero*, cum Scholiaſte hactenus anecdoto, emaculatiſſime edendo, totus occupatur. Nihil dicam de ROBERTO SHIPPEN, UUILHELMO STANLEIO, RADVLFO BATHVRSTIO, et EDVARDO LANEY, Theo-

Theologiae Doctoribus, aliisque, qui adhuc uiuunt, in quibus non exiguum apud exteros quoque nomen ſibi peperit UUILHELMVS DERHAM, qui *Phyſico-Theologia*, et *Aſtro-Theologia* ſua, quibus mox *Hydro-Theologia* ſuccedet, primus fere docuit, quam ſcite exiſtentia ſummi Numinis ex reconditis naturae arcanis poſſit demonſtrari. Nec inter dudum demortuos memorabo IOANNEM UUALLISIVM, qui et ſummos in Theologiam honores ſumma cum laude ſuſtinuit, et Profeſſionem Geometriae Sauilianam in Academia Oxonienſi magnopere exornauit, in lingua praeterea uernacula perpolienda, et detegendis ſcripturis ſecretiſſimis, artifex ſine pari. Neque morabor Iureconſultos, EDMVNDVM HALLEY, Aſtronomum Regium incomparabilem, BROOK TAYLOREM, et IOANNEM THEOPHILVM DESAGVLIERS, Geometriae et Matheſeos ſcientia ſuper aethera notos, omnes quidem Legum Doctores. Ad Medicos potius propero, in quibus primum ſuo tempore locum NEHEMIAS GREUU uel ideo ſibi uindicare uiſus eſt, quod iam tum anno ſuperioris ſeculi primo et octogeſimo

geſimo *Muſaeum Regalis Societatis*, ſeu catalogum et deſcriptionem rerum curioſiſſimarum naturalium et artificialium, quas illa ſeruat, publici iuris fecit; vt iam non attingam alia eius ſcripta, *Anatomen uentriculi et inteſtinorum, Anatomiam plantarum*, *Deſcriptionem pororum in cute manuum et pedum*, *Obſeruationes de liene*, et inprimis *Coſmologiam ſacram*, in qua de ordine creationis eleganter ac magno eruditionis apparatu diſſerit. Non minor eſt fama ROBERTI HOOKII, Med. Doctoris, et Geometrae in Collegio Greshamenſi, quod Londini floret, Profeſſoris, qui, vt per complures annos (ſummam enim ſenectutem attigit) innumeras fere Obſeruationes in Societate Regia praelegit, e quibus paucas admodum luci publicae exponi permiſit, ita, edita inprimis *Myographia*, qua inſecta, et alia animalcula minuta, curioſo oculo contemplatur, immortale nomen conſecutus eſt. Quamuis nobis hoc loco non ſit diſſimulandum, in ipſis Societatis Regiae incunabulis, cum, praeter HOOKIVM, alii quoque anatomen uermiculorum exercerent, eam rem non parum Societati offeciſſe, quod

non

non deeſſent homines, qui, vt omnia ridere ſolent, ita uermiculoſos appellabant, ſatyrisque pasſim inceſſebant, qui in uermibus omne fere ſtudium ponerent. Quos quidem naſutulos (quae optima promouendae rei naturalis ratio) ſolo contemptu uindicandos cenſebant, nihil ab ardore in haec ſtudia remittentes, ſimulque in rebus minimis maximam ſupremi Numinis bonitatem ſolicite ponderantes. Quanta fuerit MARTINI LISTERI in conchyliis examinandis cura, ſplendidum eius, quod de iis publicauit, Opus teſtatur, in quo multum illi profuere expeditiſſimae filiarum manus, quibus totum illum figurarum apparatum, quo liber exornatur, debemus. Succedat BERNARDVS CONNOR, qui inter Theologos et Medicos, edito *Euangelio*, vt uocat, *Medici*, inclaruit; etſi in eo libro multa a uulgari opinione aliena deprehendantur; et inter Hiſtoricos nomen meruit, edita quippe, poſtquam Poloniarum Regis, IOANNIS III, Archiater factus eſt, *Hiſtoria Poloniae* haud ineleganti, quae Lipſiae quoque uernaculo nobis ſermone prodiit. Quid VUILHELMVS COUUPERVS in Anatomicis,

RICHAR-

RICHARDVS ROBINSONIVS in Botanicis, DAVID GREGORIVS, Mathematicus Oxonienſis, catenariae inuentione, IOAN. KEILL, Profeſſor Aſtronomiae Sauilianus, in Aſtronomicis, aliisque, inuentis, VVILHELMVS MVSGRAVE in Antiquitatibus, praeſtiterint, non eſt, vt prolixe ediſſeramus. Non poſſumus tamen illaudatos relinquere HVGONEM CHAMBERLEYNIVM, et IOANNEM VVOODVVARDVM, Profeſſorem Medicinae Greshamenſem, nuper admodum, magno meo dolore, (nam amiciſſimum eum ſemper expertus ſum,) exſtinctum, qui, ſi ambo nihil omnino in publicum emiſiſſent, quamuis illius *Status Angliae*, toties recuſus, et huius *Theoria telluris*, aliaque ſcripta, notiſſima ſint, ſat tamen laudis haberent, quod incredibiles ſumtus comparandis rebus curioſiſſimis, naturalibus, antiquariis, aliis, liberaliter impenderunt, quas, nemo eſt facile peregrinus, qui, Londinum delatus, protinus non maxima cum uoluptate ſpectauerit, et admiratus ſit. Quorum uirorum in his cimeliis corradendis ſtudium adhuc feliciter non dicam aemulatur, ſed ſuperat, celeberrimus HANS SLOANE, qui non modo

do ex Iamaica, et uicinis locis, vbi diu naturae opera ſcrutatus eſt, exquiſitum inprimis rei herbariae apparatum attulit, quem ſplendidis Uoluminibus publicauit, ſed et rariora alia tanta copia congeſſit, vt ſe non poſſint non haud parum fateri obſtupefactos, qui, domum eius ingreſſi, omnes parietes ab ima area ad ſummum domus apicem his deliciis oppletos uiderunt. Et habet Societas hodieque Medicos complures, quorum nomina obſcura nocte premi nequeant, RICHARDVM MEADIVM, non modo artis ſalutaris, ſed et ſolidioris eruditionis omnis, uere Principem, ac doctorum uirorum Maecenatem ſummum, IOANNEM FREINDIVM, *Hiſtoria Medicinae*, nuper edita, inclytum, GEORGIVM CHEYNEVM, qui primus fere Matheſeos vſum in Medicina demonſtrauit, ROBERTVM UUELSTED, qui, quo pacto homines cuiusuis aetatis ſanitatem curare debeant, non inelegantibus libellis docuit, tum UUILHELMVM STVKELEY, Medica pariter, et Antiquaria, ſcientia clariſſimum, EDVARDVM item NORRISIVM, FRIDERICVM SLARE, HENRICVM PLVMPTRE, IAC. CAMPBELL, IAC. DOV-

DOVGLAS, alios. Hactenus ex iis aliquos produximus, qui ſummos in ſuperioribus, quas uocant, Facultatibus honores obtinuerunt. Supereſſent longe plures, qui uel Magiſtri artium dici ſatis habuerunt, uel honores affectarunt omnino nullos, e quibus, vt temporis rationem habeamus, pauciſſimos numerabimus. In primis uero iam olim famam Societatis late ſparſit, et, factis experimentis innumeris, Hiſtoriam naturalem, ſi quisquam alius, maxime illuſtrauit, ROBERTVS BOYLE, qui, vt in uita, ita in ipſa quoque morte, publica commoda promouere conatus eſt, conſtituto legato ſatis opimo, quo is frueretur, qui a Clero Anglicano electus, octo per annum ſermones aduerſus atheos e ſuggeſtu ſacro recitaret, non alio fine, vt apertum eſt, quam vt, qui per tot uitae ſuae annos in rebus ſublunaribus ſcrutandis uerſatus erat, his abdicatis, homines ad aeterna, ipſumque creatorem, duceret. Cuius inſtituti quantus non modo ad Anglos, Atheiſmi labe nimis proh dolor! infectos, uerum ad exteros etiam, peruenerit fructus, tot elucubratiſſima doctiſſimorum uirorum, BENTLEII, KIDDERI, GASTRELLI,

HARRISII, CLARKIORVM, SAMVELIS, et IOANNIS, UUHISTONI, DERHAMI, THOMAE BVRNETI, IBOTI, ac ceterorum, ſcripta abunde teſtantur. Sed nunquam ad eam ακμὴν perueniſſet ſcientia naturalis, niſi felici cum ea connubio Matheſin iunxiſſet uir incomparabilis, ISAACVS NEVTONVS, alter aetatis noſtrae *Archimedes*, de cuius uiri, nuper admodum in graui ſenecta ſyderibus illati, inuentis ingenioſiſſimis, malo, uos, Auditores honoratiſſimi, ex iuſtis arbitris, quam ex me, intelligere, qui in his ſcientiis fateor me pene hoſpitem. Sed omnia dixero, ſi, neminem facile inter Phyſicos et Mathematicos hodie deprehendi, dixero, qui non *Neutonianus* dici amet, etſi paucis admodum, in abditos eius ſenſus penetrare, datum ſit. Nec faſtidire Societatem Philoſophos Theoreticos, IOANNES LOCKIVS exemplo eſſe poteſt, qui in immortali Opere, quod *de intellectu humano* inſcripſit, quicquid ante illum fuit hominum ingenioſiorum, Metaphyſica attingentium, longiſſime ſuperauit: vnde librum nouimus in plures linguas, quamuis impari ſucceſſu, tranſlatum. Et memini, cum in Anglia eſſem, pleroſque eru-

eruditos Duumuiros iſtos, LOCKIVM, et NEVTONVM, omnium, qui in orbe uiuerent, eruditorum ingenioſiſſimos uenditaſſe, quibus tamen illo tempore tertium, e Germanis ſcilicet LEIBNITIVM, ſupra laudatum, modeſte, nec immerito, addebant. Poſt hos, ſuperuacaneum fuerit, ceteros commemorare, IO. RAIVM, *Methodis plantarum nouis* illuſtrem, UUILHELMVM UUOTTONVM, qui, quantum ignorauerint ueteres, quod a Regia demum Societate repertum eſt, eo in libro, quo illorum eruditionem cum noſtra ſolicite comparauit, magno lectorum commodo, expoſuit, alioſque longe plurimos, dudum Societati ac rebus ſimul humanis ereptos. Ex his tamen, qui adhuc Societati decori ſunt praecipuo atque ornamento, uel paucos nominare fas erit; IACOBVM nempe BRADLEY, et ROGERIVM COTESIVM, illum Oxonii, hunc Cantabrigiae, Aſtronomiae Profeſſorem publicum, COLINVM MAC. LAVRIN, Mathematum Profeſſorem Abredonenſem, *Geometria Organica* illuſtrem, IOANNEM LOUUTHORPIVM, qui Actis Societatis, inde ab eius initiis, vſque ad annum huius ſeculi uigeſimum, in concin-

num ordinem redactis, praeclare de eadem meritus eſt, ABRAHAMVM DE MOIURE, cuius proſtat Opus ingenioſiſſimum, quod *Doctrinam ſortis, ſeu Methodum computandi probabilitatem euentuum in ludis*, inſcripſit, ANDREAM TOOKE, Geometriae Prof. Greshamenſem, THOMAM GREENE, noui Syſtematis philoſophico-mathematici, ſuperiori anno grandi uolumine editi, Auctorem, PETRVM LE NEUE, cuius merita in Hiſtoriam Angliae Eccleſiaſticam, et rem lapidariam, nota, PETRVM DES MAIZEAVX, in Hiſtoria literaria, et elegantioribus ſtudiis, et HVMFREDVM UUANLEY, in re diplomatica, principes. Sed quid moror Deos minorum gentium? Nonne magis ad laudem Societatis pertinet, ne indicti manerent ſummi in republica uiri, Reges ipſi, Principes, Duces, Comites, Archiepiſcopi item, Legati, aliique, quorum maxima eſt apud Anglos auctoritas? De Fundatore quidem auguſtiſſimo, CAROLO II, Rege, iam diximus, eum primum, vna cum fratre, IACOBO, qui et ipſe poſtea regni habenas tenuit, nomen ſuum Sociorum catalogo adſcripſiſſe, imitatum in eo, vt uidetur, Regem EDVARDVM III,

qui,

qui, cum aurei Periſcelidis ordinem ſplendidiſſimum inſtituiſſet, ſe quoque inter primos ſex et uiginti equites connumerari uoluit. Tantum uero abeſt, vt exinde deferbuerit inter Optimates rei naturalis ſtudium, vt et nuper praecipua M. Britanniae ſpes, Regnique haeres, Princeps UUalliae, et iam ab aliquot annis IACOBVS, Chandoſii, IACOBVS, Montis Roſarum, IACOBVS, Montaguae, et IOANNES, Roxburgi, Duces, Comites item, UUILHELMVS COUUPERVS, THOMAS MACKLESFIELDIVS, CAROLVS ORRERYVS, THOMAS PEMBROKIVS, HENRICVS SHELBVRNIVS, TALBOTVS SVSSEXIVS, et ex Legatis, LVDOUICVS, Dux D'AUMONT, Gallicus, CAROLVS, Comes GILLENBERGE, Suecicus, LVD. FRID. BONETVS, Pruſſicus, UUILHELMVS BVYS, Statuum Foederati Belgii, et nuperrime ipſe Legatus Reipublicae Tripolitanae, (vsque adeo ne Barbari quidem faſtidiuntur,) nomina Societati dederint. Iam reliquum etiam erat, vt, quantum vtilitatis e Societate hac, uere Regia, non ad Anglicam tantum gentem, ſed ad omnem Europam, in re oeconomica, hortenſi, ſtatica, mecha-

nica, nautica, piſcatoria, aliisque, quae publicum vſum habent, tum in re naturali praeſertim, ac mathematica in vniuerſum, redundauerit, accurate exponerem, niſi uela tandem nobis contrahenda eſſent, accedendumque ad id, cuius cauſa hanc cathedram conſcendimus. Amat et Anglica illa, de qua modo uerba feci, Societas Philoſophica dici, eoque, quae ab ipſa acta, uel inuenta, ſunt, ſingulis trimeſtribus ſub titulo *Transactionum Philoſophicarum* prodit. Sed et nos in conſpectum omnium producimus nouam Societatem Philoſophicam, Uiros nempe Iuuenes, numero XX, pios, modeſtos, eruditos, prorſusque ſuprema Philoſophiae laurea, quam ambiunt, dignos. Etſi uero iam ſatis ſuos in optimis literis profectus nobis in examine rigoroſo approbauerint, ſupereſt tamen, vt nunc Uobis quoque, Rector Academiae Magnifice, Legate Splendidiſſime, ceterique Auditores omnium ordinum honoratiſſimi, publica edant doctrinae atque eruditionis ſuae haud ſuperficiariae documenta. Cum uero non deſint honorum Academicorum oſores, qui, tantum abeſt, vt eos ſolicite ambiendos putent, vt potius iam

iam acceptos cum CAROLOSTADIO, et ſequacibus, reſpuant et abiiciant prorſus, quamuis hi ipſi, dum omnem ambitionem peruerſam, et Chriſtiano homine indignam, exiſtimant, in nouum quoddam ambitionis genus incidant, quaſi honoribus his, quos ex Academia reportarunt, longe maiores ac ſuperiores, rem non inutilem nec ab hoc loco alienam ſuſcipies, Uir Iuuenis Nobiliſſime, N. N. ſi dignitatem honorum Academicorum Oratione Latina uindicaueris. etc.

Reliqua, quae ad ipſa magis renuntiandi ſolennia, quam Orationem, ſpectant, conſulto praetermittimus.

ORATIO XVI.

SVB
AVSPICIA REGIMINIS ACADEMICI PVBLICE RECITATA.

Cum abhinc biennio in ſimili celebritate uerba ad Uos facerem, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi, nonnihil diſſerui de iis rebus, quae eodem tempore in commodum Academiae noſtrae euenerant. Ex eo tempore non parum detrimenti (dicendum enim, quod res eſt,) paſſa eſt Reſpublica noſtra literaria, adeo, vt aegre nunc tueatur iura, quibus, non dicam, per aliquot annorum decurſum, ſed per ſecula, gauiſa eſt. At, quoniam ea profundo ſilentio tegere, quam in apricum producere, praeſtat, vnum nobis ſupereſſe uidetur, vt ſub ipſum Orationis meae auſpicium ad Deum ter optimum maximum, ſupremum Academiae huius ſtatorem ac moderatorem vnicum, conuertamur, eumque ſupplici ac deuota mente imploremus, vt afflictis, ac propemodum deſperatis, rebus

bus noſtris, pro incomparabili bonitate ſua, ſuccurrat, nutantemque Rempublicam ſuffulciat, et ſiniſtra fata, quae nobis incumbere uidentur, longiſſime a nobis auerruncet. Ne nos deſtituas, immortale Numen, age rem noſtram, immo tuam, et ſerua nobis animos eorum, quorum conſiliis et auctoritate floremus, tuis auſpiciis e tenuibus initiis creuimus, tuo nutu ſplendorem et famam conſecuti ſumus, per Te uiuimus, Nomen Tuum uenerabimur in ſecula. Sed en fauſtum omen, quod ſub ipſo magiſtratus mei principio nobis affulſiſſe, uehementer gaudeo. Acceſſit Lipſiam, pacata vniuerſa Polonia, Rex noſter longe clementiſſimus, Pater patriae indulgentiſſimus, acceſsit felix ac ſoſpes, et aduentu ſuo non modo Saxones in vniuerſum omnes, uerum et Academiam noſtram, incredibili gaudio perfudit. Sed nec acceſsiſſe ſatis erat, feſtum quoque, quod ſacrum nobis inprimis et exoptatisſimum eſſe debet, diei nempe natalitia, apud nos celebrare ſuſtinuit. Iusſit hic pietas, vt inter tot hominum omnis aetatis, ſexus, dignitatis, plauſus, uota ardentisſima pro ſalute tanti Principis profunderemus. O nos fortu-

natos! O terque quaterque beatos! Admiſit nos in conſpectum Rex omnium clementisſimus, audiuit et probauit Uiri diſertisſimi acclamationes et uota, praeſente ac plaudente aula vniuerſa, denique de propenſa in Academiam uoluntate ac clementia ſecuros nos eſſe iusſit uerbo Regio. Praeterea aureo nummo, praeter ſpem omnium atque exſpectationem, munificentisſime donauit Academiam noſtram, nimirum vt et noſtri homines intelligerent, quantum Regi optimo curae ſint bonae literae, et poſteri huius diei feſtiuitatem gratisſimo pectore recolerent. Neque minus rara illo die uobis obtigit felicitas, Studioſi Iuuenes, quorum quippe muſicis concentibus, facibusque, coelum late colluſtrantibus, tam blande arriſit Auguſtus noſter, vt uix vnquam laetior alacriorque ſuis uiſus fuerit. Atque hinc merito ſecunda et auſpicatisſima capimus auguria, nec vllum nobis eſt dubium, quin res noſtrae, Rege tanta clementia annuente, bene ac feliciter ſint ſucceſſurae. Neque illud hoc loco tacendum, quod pro ſingulari et prorſus eximio, quo Muſas noſtras complectitur, amore tandem perfecerit Rex potentisſimus, vt hoc ipſo tempore excitentur aedes magnifi-

gnificae, equeſtribus exercitiis deſtinatae, quo nimirum, quod fruſtra optarunt maiores noſtri, haberet generoſa iuuentus, in quo exerceatur, et aulae negotiis reddatur idonea. etc.

Reliqua, aut non in ſcriptis conſeruata a MENCKENIO, aut quae nihil ad rem faciunt, pace Lectorum hoc loco exulant.

ORATIO XVII.

SIMILI OCCASIONE RECITATA.

Iuraui, Auditores omnium ordinum ac aetatem honoratiſſimi, me iura atque commoda Academiae noſtrae pro uirili mea curaturum ſedulo ac promoturum. Atque id ipſa officii mei, quo Academiae iam pridem obſtrictus ſum, ratio citra omnem iurisiurandi legem a me exigit, nec quemquam ſpero futurum, qui de ſtudio meo in Academiam, et ardore, quo ad proſequenda eius iura, augendamque exiſtimationem, ipſa natura feror, dubitare auſit. Quamuis vero omnis gloriatio uana exiſtimari poſſit et inepta, non poſſum tamen, quin hoc ipſo loco, quo rerum mearum, quas

quas paucis his, quibus Rectoratum gero, ſeptimanis ſuſcepi ac geſſi, ratio publice reddenda eſt, ea, quae Academiae commodo euenerunt, breuiſſime ediſſeram. Ac primum quidem illa non tacenda ſunt, quae iurisdictionem noſtram, quae ſaepe antehac uim paſſa, et accisa quodammodo, uiſa eſt, ſpectant. Nam, cum aliquoties tentatum fuerit, qua ratione Academiae Ciues e noſtro foro in ſupremum iudicium prouinciale trahi poſſint, hoc temporis interuallo, quo ſceptra Academiae teneo, non vno exemplo comprobatum eſt, Ciues noſtros ab eo iudicio prorſus exemptos eſſe, neque ad illud, etiam per connexitatem cauſae, vt loquuntur, compelli poſſe, ſed coram noſtro tribunali conueniri tantum debere. Deinde noſtis, Auditores, quae, quam ardua ac grauis, lis aduerſus adulteram intentetur in iudicio noſtro, qua in re nihil hactenus a nobis omiſſum fuiſſe, quod ad promouendam iuſtitiam pertinet, uel illud documento eſſe poterit, quod uir non vltimae dignationis, ex ipſa Regia metropoli transmiſſus, et inquiſitioni noſtrae raro exemplo fuit traditus, vt nihil ſupereſſe

peresse uideatur, quam vt Deum καρδιογνώστην serio imploremus, vt ueritatem, mediis iuſtis adhibitis, in lucem protrahat, ne aut innocentes luant, aut peccata ma .eant impunita. Praeterea in praecipua felicitatis parte pono, quod et legati ſatis opimi, quod meis potiſſimum ſuaſionibus adductus, illuſtris, nunc beatus, GERHARDVS GOTTLOB TITIVS, templo Academico reliquit, pars maxima nobis tradita, et organi muſici, quod a multo tempore, non absque aliquo templi dedecore, imperfectum relinquebatur, perficiendi exornandique cura mihi demandata eſt, qua in re ita me, vt ſpero, geram, ne Patres conſcriptos conſilii huius poenitere poſſit. Denique, quandoquidem felicitatem meam praedicare coepi, non poſſum etiam praetermittere, quod Generoſiſſimus ac fortiſſimus vrbis noſtrae Gubernator, uir amore et officiis ueſtris, Auditores, digniſſimus, praeſidii noſtri Ducibus ac militibus publice edixerit, vt poſthac Rectorem Academiae eadem, qua ſe ipſum, honoris ſignificatione exciperent, eique, quoties occaſio ferat, arma, quod a condita Academia nondum factum eſt,

prae-

praeſentarent. Quae cum ita ſint, perſuaſum uobis vbique exiſtimo, Auditores, me nihil hactenus praetermiſiſſe, quod ad ſplendorem ac dignitatem Academiae ſpectat, nec quidquam deinceps omiſſurum, quo de propenſiſſima mea in Academiam uoluntate uobis conſtet, modo me conſiliis et autoritate ueſtra, Patres conſcripti, erigatis ac ſuffulciatis. Sed vnum eſt, quod ad culmen felicitatis noſtrae accedere optarim, nimirum vt perpetuo ciues morigeros habeamus et pacatos, quo boni ordinis laus, quam hactenus habuit praecipuam, Academiae noſtrae porro quoque conſtet. Vt uero pateat uobis, Generoſiſſimi ac Nobiliſſimi iuuenes Studioſi, quae a uobis exigunt leges publicae, aio nunc ac iubeo, Pereximie Academiae Actuarie, Domine N. N. Statuta Academiae noſtrae clara uoce praelegas.etc.

* * *

Audiuiſtis, dilectisſimi Iuuenes Studioſi, quae legum neceſſitas a uobis requirat. Ita uero profecto illae comparatae ſunt, vt libertati, quam uocant, Academicae nequaquam repugnent. Neque enim liberos eos quisquam dixerit, qui honeſtatis ac deco-

decori leges omnes inſuper habent et conculcant; nec uos ideo ſeruos proteruior aliquis appellauerit; quod res ueſtras ad uirtutis et iuſtitiae normam componitis. Ego potius liberos uos nuncupo, qui liberales artes ingenue colitis, quibusque integrum eſt, libere ſentire. Praeterea tot tantaque ueſtra ſunt iura atque priuilegia, vt, ſi rem recto adſpiciamus oculo, legibus non niſi illi ſubiecti uideantur, qui, cum formidine poenae tantum in officio contineri queant, ne nomine quidem Studioſi Lipſienſis digni haberi debent. Et, quoniam plerisque accidit, vt iura ſua uel plane neſciant, uel certe haud intelligant ſatis, agite, Iuuenes Nobiliſſimi, illa breui uobis et campeſtri quadam Oratione exponam. Qui ad alias Academias accedunt primum, illi ſolenni iurisiurandi formula legibus ac ſtatutis ſe ſancte obſtringere tenentur, nec adeo multi anni praeterierunt, cum idem mos in noſtra pariter Academia obtineret. Enimuero, cum, tot periuriis feneſtram aperiri, ſapientiſſimus Rex noſter intelligeret, benigniſſime annuit, vt, praeſtita tantum ſtipulata manu promisſione, aduentantes in Academiam noui

Ci-

Ciues matriculae Vniuerſitatis inſerantur. Quae promisſio, etſi iusiurandum dici non posſit, eam tamen re uera uim habet, vt, quisquis leges noſtras fuerit transgreſſus, in poenam, periurio ſtatutam, iure meritoque incurrat. In Magnae Britanniae Academiis Studioſi Iuuenes ita mancipantur certis collegiis ac habitationibus, vt, niſi ſtudiorum, quos habent, Praefecti indulſerint, foras egredi non liceat, et, qui uel ſemel ante horam nonam ueſpertinam, qua collegia omnia clauduntur, ad carceres illos haud reuerterit, ac foras pernoctauerit, ex Vniuerſitate certisſime relegetur. Nec gladio illos accinctos incedere licet, etiamſi uel Comitum uel Ducum etiam dignitate gaudeant, quippe qui ſingulari tantum ſtolae habitu a reliqua plebe diſtinguuntur. Noſtris Studioſis tam durae leges neutiquam proponuntur, qui et hoſpitia eligere liberrime poſſunt, et gladium geſtandi ius integrum hactenus et inuiolatum habuere. Etenim memini, cum primum ſeuerisſimum illud de Duellis Edictum promulgandum eſſet, ſeriam deliberationem de Studioſorum gladiis inſtitutam fuiſſe, ac parum abfuiſſe,

quin

quin aliqui, Studioſis ad Anglorum exemplum cum armis ipſam digladiandi occaſionem eripiendam, ſuaſerint. Uerum uicit tum uiri in Academia et Republica noſtra ſummi conſilium, qui, artium ingenuarum Studioſos eo honore nequaquam priuandos eſſe, cenſuit. Neque tamen, eo uobis conceſſam hanc poteſtatem, exiſtimetis, vt inſontes laceſſere ac ſauciare, nedum confodere per ſceleſtiſſimum facinus, liceat; etſi nec defenſionem iuſtam cuiquam leges denegent, aut praeſcindant. Illud uero non minus ridiculum, quam liberalis doctrinae ſtudioſo parum decorum, eſt, quod aliqui, dignitatis ſuae immemores, arma in res mortuas ac ſtipites conuertunt, cunctosque in plateis lapides laceſſentes, crudeli et immani modo debacchantur. Hi enim tam inſignes bellatores quanto vtilius glorioſiusque mucrones iſtos, quos ad miſeros lapides obterunt et obtundunt, in patriae olim hoſtes conuerterent! Tum illud quoque memorandum, quod is, qui ad noſtram Acamiam accedit, in tanto Profeſſorum ac Doctorum numero, quem maxime indoli ac ſtudiis ſuis accommodatum reperit,

 libe-

libere ſequi poſſit, nec certis ſtudiorum Magiſtris, certisue diſciplinis, aut ſententiis, penitus adſtrictus ſit. Cumque ita ſtudiis, vt par eſt, diligenter litauit, tum expedita illi et facilis ad honores et praemia uia patet, quae quanto ingenuis ſtudiorum cultoribus emolumento eſſe poſſint, publice conſtat, et, uulgato ante aliquot annos Programmate publico, luculentius oſtendi. Et, vt cetera taceam, non eſt certe hoc praetermittendum, quod, cum in aliis Academiis propemodum omnibus eorum inprimis in publicis muneribus ratio haberi conſueuerit, qui illic, uel in uicinia, nati fuerint atque educati, contra in noſtra Academia, quae ad Pragenſis, vt iſta ad Pariſienſis, exemplum inſtituta, ac quatuor nationibus ſuffulta, exteri, quibus natio fauet, multo facilius ad ſumma munia adſpirare queant, quam noſtri homines; ex quo fit, vt multi eorum, qui ad diſcendas bonas literas Lipſiam adiuerunt, ibidem praeter ſpem omnem mox fortunarum ſuarum cumulum inueniant. Accedit, quod foecunda mater Academia non minus proprios pullos, quam alienos, nutriat liberaliter, ac fo-

ueat

ueat in ſinu ſuo, ſtipendiisque, partim ab optimis Principibus, partim et ab aliis Euergetis, larga manu collatis, recreet. Adeo, vt, ſi numerum accurate inire uelimus, pateat vtique, plus quam quingentos Studioſos benefactorum liberalitate apud nos ſuſtentari. Deinde non inter minima Studioſorum priuilegia reputandum, quod, cum debita contraxerint, non poſſint aeque, ac alii debitores, ad ſolutionem adigi et compelli. Bene enim et ſapienter Sereniſſimis Academiae Nutritiis ſtatutum iam pridem eſt, ne quis Studioſorum, ſi debita apud ſartorem, uel oenopolam, contraxerit, illi vltra quinque florenos, atque huic vltra vnicum florenum Miſnenſem, ſoluere teneatur. Quae uero ludo perduntur, ea et nullo iure exigi poſſunt, et, cum ſoluta fuerint per ignorantiam Iuris, ceu indebite ſoluta, a debitore repeti poterunt. Quae, paucis hactenus, quod arbitror, nota, neutiquam ideo a me propalantur, vt uel faſtum, quem in ueſtitu nonnulli oſtentant, uel potandi, aut ludendi, libidinem proueham, aut confirmem, maxime cum obligationi, qua quisque tenetur, naturali, priuilegio illo uis inferri

ri nequeat; uerum vt diſcant potius ſtudioſi iuuenes, quantopere ipſis a luxuria, compotationibus, et nefario luſu, cauendum ſit. Nam, etſi haec ita comparata ſint, vt iuuenes parum prouidos facile allicere, ac in deuia deducere, ualeant, illud tamen Academiae noſtrae proprium quaſi ac plane peculiare eſt, quod quisque ſuo genio uiuere poſſit, nec, aliorum, vt ſunt ſaepe degeneres, conſortiis vti, neceſſe habeat. Inualuit certe in aliis Academiis peſſima conſuetudo, vt, cum maxime uelit, non poſſit eſſe pius ac probus, qui Studioſorum numero adſcriptus eſt; quandoquidem continuo adſunt colluſores, aut compotatores, qui omnium libidinum inſtrumenta quotidie porrigunt et propinant. Longe alia Lipſiae uiuendi ratio obtinet, vbi Studioſos, ſi modeſtis fuerint moribus, (nam et noſtri profanum pecus a praeſepibus arcent,) ad praeſtantisſimorum uirorum foeminarumque ſodalitia et colloquia lubenter admitti conſtat, quae plus ſaepe proſunt ad commendationem, morumque elegantiam, quam ſi literas ac doctrinas omnes deuoraueris, et moratiorum ſimul hominum conſuetudini prorſus ineptus

ceptus habearis. Nec minus inſuper in noſtrae Academiae commodis ac deliciis ponendum, quod nullus apud nos hortus, tam probe excultus, tamque elegans, et comptus, ſit, (ſunt autem omnino plurimi,) qui non Studioſis omnibus ita pateat, vt non modo deambulationibus, pro lubitu inſtitutis, defeſſum reficere ac refocillare, uerum et, ſi intra limites honeſti et decori ſe contineant, alienis deliciis aeque, ac ſuis, vti frui exiguo facultatum diſpendio posſint. Quae, mirandum eſt, ita a nonnullis inſuper haberi, vt, cum, uix pede extra muſeum elato, honeſtisſima uoluptate perfrui queant, in pagos tamen per aliquot ſtadia euagari, et, more huic ordi parum conueniente, cum ruſticis ruſticari, pene dixerim, cum bobus boare, malint. Eos uero mores inconditos, quibus ruri adſueuerunt, deinde in vrbem noſtram, maximo Studioſorum opprobrio, traducunt, eoque paullatim efficiunt, vt praeſtantisſimum Studioſi nomen nonnullis, quod pace ueſtra dixerim, ſordeſcere incipiat. Quo magis itaque uobis curandum putatis, florentisſimi Iuuenes, vt inconditam illam et ueſanam per

plateas currendi, ac uociferandi, conſuetudinem penitus deponatis, laudemque, quae Studioſis Lipſienſibus, etiam ab exteris, conceditur, ſeruetis perpetuam. Et, quoniam de dignitate nunc loquor Studioſi Lipſienſis, nec illud denique omittendum eſt, quod multum interſit ad commendationem, etiam apud exteros, vt Lipſiae ſtudiis operam dederis. Ita enim quisque te non minus doctrina, quam morum elegantia, excultum, atque expolitum, arbitrabitur, cum in prouerbium prope abierit, vt, qui hominem elegantem ac comptum dicere uelint, Lipſienſem dicant. Plura ad laudem atque commendationem ueſtram afferre poteram, ſtudioſi Iuuenes, niſi breuitatis habenda eſſet ratio. Quare hic finio, et uos, Patres conſcripti, decenter rogo, vt pro more, apud nos recepto, Aſſeſſores Concilii perpetui eligatis uiros probos, prudentes, ac iuris inprimis peritos. Deus uero Ter Opt. Max. electionem ueſtram Academiae ſalutarem eſſe iubeat.

ORATIO

ORATIO XVIII.

DE

LEGVM IN REPVBLICA NECESSITATE, ET LIBERTATE ACADEMICA. (*)

Viri Summe Maximeque Reuerendi, Nobiliſſimi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Excellentiſſimi,

Domini Patroni et Fautores honoratiſſimi, nec non

Doctiſſimi, amantiſſimique, Iuuenes.

Cum ita plane cum natura humana comparatum ſit, vt ſibi ſoli relicta, peiora quaeque et deteriora ſectetur, nihil conuenientius, et ad continendam ciuitatem aptius, excogitari potuit, quam vt, promulgatis optimis legibus, peccandi procax libido compeſceretur. Itaque nulla gens, tam barbara, tam ferox, tam omnis humanitatis expers, reperta eſt, quin ſuos ſceleribus flagitiisque limites ſtatueret, et, cum

(*) Recitata eſt haec Oratio ſub Regiminis Academici initia.

leges publicis tabulis conſignatas non haberet, conſuetudine certe, quam legem non ſcriptam appellant Iuris periti, publicam licentiam fraenaret; quoque ordinatior, quo melior, fuit Reſpublica, hoc ſeueriores profecto Dracones, et Lycurgos, habuit. Vnde et inter acta illuſtrium Romanorum nihil ita proprium aut illuſtre olim habitum, quam leges ab iis latae, quod alicubi docet Tullius, et exemplo Caeſaris firmat, nihil tam eſſe in actis Caeſaris, quam leges Caeſaris. Mox pergit: ecquid eſt, quod tam proprium dici poſſit actum eius, qui togatus in Republica cum poteſtate imperioque uerſatus ſit, quam Lex? Quaere acta Gracchi, Leges Semproniae proferentur; quaere Syllae, Corneliae. Hinc etiam Cato in odium Caeſaris legum ab eo latarum cognomen, Iuliarum ſcilicet, ſecundum quas tum iudicia fiebant, in Praetura ſuppreſſiſſe legitur, quemadmodum et Metello infeſtos Senatores nomen eius legi ab eo latae detrahere, aliudque inſcribere, uoluiſſe accepimus. Adeo nempe glorioſum uidebatur, Legem proprio nomine inſcriptam promulgaſſe. Hinc non poſtremum duxere uiri in Romana

mana Republica ſpectatiſſimi, vt legum latarum memoria conſeruaretur, et inter illuſtrium familiarum inſignia alia propagaretur ad poſteros. Nam et inter praecipuos honores, Auguſto mortuo decretos, fuit, vt tituli legum latarum non minus, quam uictarum ab eo gentium uocabula, anteferrentur, et exſtant quoque hodie nummi, in quibus non obſcura legum latarum iudicia comparent. Sic in denario gentis Caſſiae Legis Tabellariae mentionem factam uidemus, appoſitis literis A. et C. ſeu abſoluo, et condemno, quibus vtramque tabellam, abſolutoriam et condemnatoriam, quarum meminit alicubi TRANQVILLVS, ſignificari, procliue eſt. Sic gens Caelia in nummis Legem Perduellionis cum Tabella et literis L. D. id eſt, Libero et Damno, Porcia uero Legem Prouocationis ad populum, cum adſcripta formula: prouoco, nec non Legem Papiam de peregrinis cum tabella, in qua Papi inſcripta, repraeſentat. Quanta uero dignitas, quae uis legum, et poteſtas, apud omnes gentes fuerit, nemo eſt fere, qui ignoret. Vnde non inepte Archidamus, Zeuzidami filius, roganti, quinam eſſent ciuitatis Spartanae

praefecti: *leges* ait, *et legitimi Magiſtratus*. Grauiter quippe cenſuit, in Republica bene conſtituta ſummam auctoritatem eſſe legibus deferendam, aduerſus quas nec vlli Magiſtratui quidquam tentare fas eſt. Tantum enim abeſt, vt rudem tantum et inconditam plebem, vt eos potius, qui Principes ſunt in Republica, et Magiſtratum gerunt, legum publicarum uinculo adſtringi,exiſtimemus. Neque longius exempla arceſſere opus eſt; audiuiſtis modo me ipſum, cui Magiſtratum Academiae Proceres ante paucas ſeptimanas nullo ſuo merito detulerunt, in praeſcriptas leges concepta formula iurantem. Quo magis itaque decebit, Uos ipſos etiam, Studioſi Iuuenes, qui in ſpem patriae nati eſtis, certis legibus ſubeſſe. Agite itaque, ſuſcipiamus negotium, cuius gratia hunc locum ingreſſi ſumus, Tuque inprimis, Uir nobiliſſime N. N. Academiae Actuarie, more ueterum Statuta Academiae noſtrae clara uoce praelege, ne ſint, qui legum noſtrarum ignorantiam cauſari, quod minime ſperamus, ualeant.

Audi-

* *
*

Audiuiſtis, Studioſi Iuuenes, quae a uobis exigi, optimi Principes uoluere; eam uero ueſtram omnium indolem eſſe arbitror, et prorſus confido, vt, cum ſponte et vltro actiones ueſtras omnes ad uirtutis amusſim componatis, posſitis vtique his legibus prorſus carere. Fruſtra enim leges humanas inculcamus, vbi diuinae ita cordibus ſunt inſitae, vt euelli nullo modo queant. Sunt tamen, fateor, nonnulli, (et vtinam non eſſent!) qui, auream libertatem modis omnibus extollentes, nihil omnino licere liberalium artium ſtudioſis, grauisſime queruntur. At, ſi, quam libertatem deſiderent, quaeras, turpis erit, quam quaerunt, morum licentia, quam hi, quibus ex meliori luto finxit praecordia Titan, cane peius et angue fugiunt. Uideor mihi audire uoces eorum, qui identidem inclamant: Lipſiae uiuere, eſt inter fraena et ceſpites uiuere. In aliis Academiis liberrime tumultuamus, comeſſamur, digladiamur, uociferamur, uexamus, ridemus, quoscunque lubet. Haeccine uero uita eſt, quae Studioſos deceat, tantae ſpei iuuenes, tam doctos, tam elegantes,

gantes, quibus omne decus et felicitas futuri aeui ſuffulcitur, an, comeſſationibus, digladiationibus, uociferationibus, animum oblectare, pulcrum eſſe, exiſtimatis? Num eos putatis libertate frui, qui in his uiuunt? At ego, pace ueſtra dixerim, Nobiliſſimi Iuuenes, hos omnium maxime ſeruos cenſeo, non uoluptatum modo, quae eſt turpiſſima ſeruitus, ſed eorum etiam, quorum ad nutum et exemplum aliquando peccant, non immemores ipſi, quantum ea famae ſuae et exiſtimationi apud bonos omnes noceant. Equidem oblectationes omnes eripi iuuentuti nolumus, neque id aequum uidetur, vt hi, quibus ſudandum, et algendum, laboresque fere Herculei ſubeundi ſunt, ſeueram per omnia et Stoicam uitam ſectentur. Non adeo noſtri obliti ſumus, vt ueſtra uobis gaudia, ueſtras facetias, inuideamus; ſed decora haec et honeſta eſſe oportet, nullius cum moleſtia aut obtrectatione coniuncta. At enimuero quid ſponte currentibus calcaria ſubdere laboro? Auſim enim ego affirmare, in vniuerſa, qua patet, Germania, ſolis Lipſienſibus Studioſis uirtutis, doctrinae, humanitatis, laudem praecipuam,

cipuam,et plane propriam, eſſe. Habeant ergo alii quinquies, alii ſexies mille Studioſorum, nobis pauci, ſed pii, ſed probi, ſed induſtrii, ſuffecerint. Habeant alii ditiſſimos Iuuenes, qui a parentibus difficili labore parta inter riſus et iocos deglutiunt, habeant Comitum et Baronum, quantum cupiunt, nobis gloriae erit, pleroſque uel modico ſumtu ingentes apud nos doctrinae diuitias acquirere. O vtinam itaque hae laudes Academiae noſtrae ſint perpetuae! Equidem forte tamen adhuc aliqui futuri ſunt, quibus paullo duriores ac ſeueriores noſtrae leges uidebuntur, adeo, vt diſceſſum ad alias Academias, in quibus ſuo ingenio uiuant, continuo minentur. Hos etſi nihil moramur, admonitos tamen uel duobus uerbis cupimus, vt, quibus legibus aliarum gentium extra Germaniam Studioſi adſtringantur, paulliſper diſpiciant. Solos Anglos intuemur, qua gente nulla eſt alia ad tuendam libertatem pertinacior; en uero, quibus legibus vtriuſque Academiae, Oxonienſis, et Cantabrigienſis, ciues regantur. Ex multis uel pauciſſimas attingam. Studioſi omnes in Collegiis ſub Inſpectorum, Prae-

Praefectorumque, tutela uiuunt, nec cui foras egredi, non compellato Praefecto, licet. Qui ante horam nonam ueſpertinam reuerſus intra collegium aut receptus non fuerit, ex Vniuerſitate relegatur, uel, ſi, ſemel impetrata gratia, bis peccauerit, excluditur. Gladium geſtare in Academia, maximum nefas eſt, neque memini, me vnquam in Anglia Studioſum, niſi togatum, conſpexiſſe. Quod ſi quis tabernas uinarias, et pudendas alias, frequentaſſe, ſi chartis luſoriis, aut aleae, operam dediſſe, deprehenſus fuerit, nequaquam impunis erit. Ex his iudicate, quaeſo, quam ſitis uos liberi, et legibus ſoluti, ſi cum aliis comparemini, et quam nulla uobis ſit cauſa, de legum noſtrarum ſeueritate et rigore conquerendi. Tueamini igitur, quantum in uobis eſt, auream hanc libertatem, ſed cauete ſimul, ne eadem abuſi aliquando, in duriſſimam illam, ſub qua extra patriam noſtram multi gemunt, ſeruitutem redigendi iure meritoque dicamini.

(o)

INDEX
RERVM NOTABILIORVM.

A.

Abaelardus (Petr.) notatus. 275

Abeille Tragoediae Coriolani fata. 162

Academiae Italicae notatae. 167

Francicae elogium. 449 ſeq.

Regiae Inſcriptionum et Numiſmatum in Gallia elogium. ibid.

Picturae et Sculpturae elogium. 450

Academicorum peruerſi mores notati. 73 ſeq.

Achillem cur Alexander M. maxime praedicauerit beatum? 233

Adami Memoriae commendatae. 319

Adolphus, Com. Cliuiae, auctor fuit Societatis ſtultorum. 325

Adriani, Vltraiectini, quae fuerit apud Carolum V. Imp. auctoritas? 91

Adrianus Imp. notatus. 385

Adulatio quid? 82

De Adulatione ſententia Qu. Curtii. ibid.

Adulationis uis et natura. ibid.

Adulatores cur adeo frequentes ſint in aulis Principum? 83

De Adulatoribus ſententia Senecae. 82

Plutarchi. 82 ſeq.

Platonis. 83

Diogenis. ibid.

Epicteti. ibid.

Aemy-

Aemylius (Paul.) notatus. 226
Aeſchinis elogium. 311
Aeſchylus laudatus. 163
notatus. 443
Aeſticampiani (Io. Rhagii) elogium. 145
Africani elogium. 311
Agrippa (Corn.) notatus. 247
Agyrtae uide Circulatores.
Alberti II, D. Sax. cum Agnete Auſtr. connubium. 13
quantum profuerit Saxoniae? 14
Alberti Animoſi, D. Sax. in Auſtriacos merita. 16
(Ualent.) elogium. 134. 136
Albertus II Imp. quando maxime hilaris fuerit uiſus? 135
R. Su. notatus. 376 ſeq.
Alchymiſtae notati. 251
Alciati elogium. 192. 417
Aldrouandus (Vlyſſes) notatus. 175
Alexander, Mammaeae filius, accuſatus. 229
laudatus. 229 ſeq.
M. notatus. 331 ſeq.
III, Pont. R. notatus. 350
Aligherii (Dantis) elogium. 128
Amafinius notatus. 196
Ambitio quid conferat ad grauitatem? 280
Ammanni (Pauli) elogium. 142
Amor improbus Regum Galliae proprium cur uideatur? 372
Amoris θεῖον quid et quale? 2
Principum quae ſit ratio? 2 ſeq. 5 ſeq. 108
priuatorum quae ſit ratio? 5 ſeq.
Anaxagoras notatus. 213. 248. 274. ſeq.
Anaximander notatus. 248

Anaxi-

Anaximenes notatus. ibid.
Ancreus notatus. 273
Anglepontani Regni nomen unde? 341
Angli quidam notati. 250
Angliae quantum profuerit acceſſio Cambriae? 46
elogium. ibid. 406
Anglica Societas commendata. 313. 451 ſeq.
Anglicae linguae ſtudium commendatum. 463
Anglicarum et Scoticarum LL. diſcrepantia. 44
vnde? ibid.
In Anglicis Academiis quibus legibus adſtringantur ſtudioſi? 496. 509 ſeq.
Anglorum et Scotorum diſſidia vnde? 33 ſeq.
quo feruore fuerint continuata? ibid.
in literarum ſtudiis oſcitantia notata. 406
feruor laudatus. 450 ſeq.
modus procedendi forenſis commendatus. 458 ſeq.
Ἀνθολκῆς ſtudium reprehenſum. 203
Anna. M. Brit. Reg. Scotiam et Angliam coniunxit. 31 ſeq.
quomodo coniunxerit? 41 ſeq.
eius elogium. 28 ſeq.
. res geſtae. 29 ſeq.
Auſtriaca, Reg. Gall. qua morte fuerit exſtincta? 337
Annius Viterbienſis notatus. 227
Antonius M. notatus. 356
Appii Decemuiri quantum in Romanos fuerit odium? 98
Applauſus uis atque natura. 160 ſeq.
Appollonius notatus. 212
Aragoniae et Caſtellae Regna quando et a quo vnita? 7

De Arbriſſellis (Robert.) notatus. 260
Archelaus notatus. 248
Archi-Coſmographi nomen Hiſpanicum. 166
Hiſtoriographi nomen Hiſpanicum. ibid.
Mathematici nomen Hiſpanicum. ibid.
Archiatri mendaces notati. 97
Archidamus laudatus. 505 ſeq.
Aretinus quomodo peruenerit ad Abbatiam? 411
De Argaez (Gregor.) notatus. 228
Arioſti elogium. 192
Arioſtus (Lud.) notatus. 236
Ariſtoteles notatus. 199. 249
laudatus. 437
Ariſtotelici notati. 250
Arithmeticae abuſus. 245 ſeq.
decimalis conditor quis? 419
Arminianorum et Gomariſtarum aemulatio quanta olim fuerit? 440
Arrogantia quantum noceat ſtudiis literarum? 435
Aſſentandi ſtudium exploſum. 330. 336 ſeq. 364 ſeq.
a quibus maxime colatur? 364. ſeq.
Aſſentatores vide Adulatores.
Aſtorga notatus. 354
Aſtrologiae abuſus. 246 ſeq.
Athenienſes ueteres notati. 274
Averanii (Ioſephi) elogium. 470. ſeq.
Auguſtus Imp. notatus. 334
eius uerſus in laudem Aeneidos. 233
elogium. 288
Auguſtus El. Sax. quibus cognominibꝰ inſignis? 17
turbas Grunbachianas compreſſit. 18

eius in Auſtriacos merita. 17. ſeq.
moderatio quae fuerit? 22
Auſtriacae Domus elogium. 3
Auſtriacorum Principum oſculis qualis inſit uis? 4
cum Saxonicis recenſita connubia. 12 ſeq.
in Saxones beneficia quae ſint et quanta? 14 ſeq.
connubia quam fuerint felicia? 102

B.

Babinenſis Respublica quid? 326 ſeq.
quando orta? 326
quo fine condita. 328
Baccius (Andr.) notatus. 252
Baconis (Franc.) elogium. 37. 419
Badehorni (Leonardi) elogium. 146
Baelii Dictionarium commendatum. 319
Baiardus notatus. 386
quomodo Gallis dictus? ibid.
Ballaius notatus. 442
Balſacius (Io. Lud.) laudatus. 427
notatus. 433
eius inuidia in Vetturium unde? 433 ſeq.
Barbaries quanta olim fuerit in Germania? 298 ſeq.
Germanorum quantum profuerit Pontifici Rom. 300 ſeq.
Barbarus (Hermolaus) 51
Barthii (Caſp.) elogium. 148 ſeq.
Bartolus inuictiſſimus cur fuerit uocatus? 169
Baſilii Oratio de Gentilium libris cum fructu legendis laudata. 297

Baſnagii (Iac.) elogium. 466 ſeq.
Bateſius notatus. 443
Bathurſtii (Radulfi) elogium. 453. 475
Bauari (Conr.) elogium. 152
Baudius (Domin.) notatus. 275
Bebelii (Henr.) elogium. 68
Bella quo olim ritu fuerint denuntiata? 355
Bembus (Petr.) notatus. 276. 289 ſeq.
laudatus. 289 ſeq.
Bentleii (Rich.) et Car. Boylii lis explosa. 195. 218
elogium. 218. 314. 475. 481
Bernoullii (Io.) elogium. 473
(Nic.) elogium. ibid.
Beronicus (Io.) notatus. 275
Beſſeri elogium. 412
Bickersſtaff (Iſaac.) notatus. 214
Blanchini (Franc.) elogium. 471
Boerneri (Caſp.) elogium. 130. 146 ſeq.
de Academia Lipſienſi merita prorſus ſingularia. 147
Boneti (Lud. Frid.) elogium. 485
Bornii (Iac.) elogium. 140
Boruſſica Societas commendata. 313
Bourdelotius (Io.) notatus. 182
Bouuellius notatus. 245
Boylii (Car.) et Rich. Bentleii lis explosa. 195. 218
elogium. 218. 314. 453. 475. 481
legatum quale? 481
Bradius notatus. 442
Bradley (Iac.) elogium. 483
Brahei (Tych.) elogium. 419
Brebeuſio quae fuerit cum Gautierio controuerſia? 445
eius elogium. ibid.
Briſſonii elogium. 417

Britan-

Britannorum auctor quis? 331
Brotuffius vnde emendandus? 134
Brummeri (Frid.) elogium. 141
Buddei Lexicon commendatum. 319
Bullialdus notatus. 169
laudatus. 466
A Burcksdorff (Theodori) elogium. 137
Burmanni et Clerici lis explosa. 218
elogium. ibid.
Burnetus (Gilb.) laudatus. 474 seq.
notatus. ibid.
(Th.) laudatus. 482.
Buſchii (Herm.) elogium. 68 seq. 145
Buys (Wilh.) elogium. 485

C.

Cachinnus vnde oriatur? 275
Caeleſtinus III. Pont. Rom. notatus. 350
Caeſar (Iul.) notatus. 334. 379 ſeq.
laudatus. 504
Cagnolus (Belmont.) notatus. 232
Caligula notatus. 332 ſeq. 335. 336 ſeq.
Caliſtus II. Pont. R. notatus. 394
Calliſtus (Niceph.) notatus. 289
Caluiſii (Sethi) elogium. 151
Camerarius (Ioach.) omni caruit in legendo applauſu. 148
eius elogium. 147. 306
Campana notatus. 84
Campanella (Th.) notatus. 249. 441.
laudatus. ibid.
eius fata ſingularia vnde? ibid.
Campanus (Io. Art.) cur fuerit ad Indos relegatus? 57
eius elogium. 52 ſeq.

odium in Germanos quantum et vnde? 54 ſeq.
explofum. ibid.
Campbell (Iac.) elogium. 480
Canoniſationis ritus exploſus. 347
Capellanus (Io.) notatus. 183 ſeq. 276. 434
laudatus. 405
eius Puella Aurelianenſis qualis? 184
inuidia vnde? 434
Capiſtranus (Io.) notatus. 262
Capitis coram Rege tegendi licentia quibus competat apud Hiſpanos? 88
Cardanus notatus. 212
Caroloſtadius ſubtilitatis auctor. 250
notatus. 487
Carolus M. Imp. quo elogio olim fuerit mactatus? 168 ſeq.
II. R. A. auctor fuit ſocietatis Regiae 420. 451. 455.
laudatus. 455. 462
IV. Imp. laudatus. 93
V. Imp. notatus. 6. 179
cur ab Hiſpanis adeo abhorruerit? 86 ſeq.
Flandros habuerit familiariſſimos? ibid.
proditorum fuit amantiſſimus. 91
cur Carolo Borbonio ſororem obtulerit in matrimonium? 93
obtulerit eandem Franciſco I. R. G. 108
Franc. I. R. G. tam diu detinuerit Madriti captiuum? 96 ſeq.

quomodo

quomodo habuerit matrem Ioannam? 101 ſeq.
in expeditionibus, quibus ipſe interfuit, parum fuit fortunatus. 114.
cur a Caeſarea dignitate ſe abdicauerit? 116
laudatus. 474. 409
eius de uariis linguis ſententia. 63
naeui politici recenſiti. 86 ſeq.
notati. ibid.
quantum fuerit odium apud Hiſpanos? 89
Germanos? ibid.
qualis fuerit pietas in parentes? 100 ſeq.
fratrem Ferdinandum? 102 ſeq.
Sorores? 106 ſeq.
propinquos? 110 ſq.
notata crudelitas in Indos Occidentales. 112
ſuperbia. 112 ſeq.
vnde? ibid.
cum Chriſtiano III. R. Dan. foedus quale? 111
Henrico IIX. R. A. foedus quale? 112
qualis fuerit expeditio Algerienſis? 114 ſeq.
obſidio Metenſis? 115 ſeq.
de eo quale occurrat apud Hiſtoricos diſcrimen? 83 ſeq.
VI. Imp. laudatus. 9. 10. 12
VII. R. G. notatus. 370

VIII. R. G. notatus. 373 ſeq.
Borbonius notatus. 91
cur defecerit a Franciſco I. R. G. ad Car. V. Imp. 91 ſeq.
quid ad capiendum Franciſcum contulerit? 95
eius iter in prouinciam cum exercitu Caeſareo. 94
oppugnatio Maſſiliae. 94
qualis? 95
obitus. ibid.
Dux Burgund. notatus. 382 ſeq.
Carpentarius notatus. 441
laudatus. ibid.
Carpzouii (Io. Bened.) elogium. 136. 284
Carrettonius (Io. Franc.) notatus. 228 ſeq.
(Bened.) elogium. 139
(Auguſti Bened.) elogium. ibid.
(Frid. Bened.) elogium. 153 ſeq.
Carteſiani notati. 250
Carteſii elogium. 419
De Caſali (Vbertinus) notatus. 214
Caſauboni elogium. 191
Caſelius laudatus. 315
Caſſini (Iac.) elogium. 467
(Domin.) elogium. 470
Caſſius (Dio) notatus. 443
Caſtellae et Aragoniae Regna quando et a quo fuerint vnita? 7
Caſtellanus (Petr.) notatus. 276
De Caſtro (Agnetis) quae fuerint fata? 387
Cathedra quid notet? 207
Cato notatus. 274 ſeq.
Caualleriı elogium. 419

Cauſi-

Cauſidicina exploſa. 258
quomodo ab Ariſtotele uocata? ibid.
Cellarii elogium. 156
Celtes (Conr.) laudatus. 68. 145
primus fuit in Germania Poeta laureatus. ibid.
Cerimoniarum abuſus in aulis caſtigatus. 346 ſq.
Chamberleynii (Hug.) elogium. 479
Charlataneria Eruditorum I. B. M. quas ſubierit cenſuras? 267
Charlataneriae Eruditorum uocis origo. 266 ſeq.
contenta recenſita. 267
Cheynei (Georg.) elogium. 480
Chinenſes notati. 340
Choreae (Th.) in M. Ant. Muretum inuidia vnde? 432
Chriſtiani II. El. Sax. quanta fuerit apud Rudolphum et Matthiam Impp. auctoritas? 18
Chriſtianorum ueterum qualis fuerit circa legendos Scriptores ethnicos cautio? 294 ſeq.
Chryſippus notatus. 239
Chymici notati. 249
Cicero poſtulatus Barbariſmi. 191 ſeq.
eius elogium. 191. 217. 224 ſeq. 283. 294. 311. 407
in ſcholis Chriſtianorum veterum fata. 294 ſeq.
Del Cimento Academia quae? 420
Circulatores notati. 165 ſeq. 181. 215. 251 ſeq. 421
Clarendonius notatus. 443
Clarkii (Io.) elogium. 482
(Sam.) elogium. ibid.
Claudianus notatus. 443
Cleanthes notatus. 239
Clemens VIII. Pont. notatus. 350

Clerici et Burmanni lis exploſa. 218
elogium. ibid.
Coelum qui ſibi finxerint lapidem? 213
Colbertus laudatus. 420
Commodus Imp. notatus. 333. 385
Conette vide Rhedonenſis.
Connor (Bern.) elogium. 478
Conringius (Herm.) quid contulerit ad artem Diplomaticam? 310
Ex Conſtantinopoleos excidio qualis redundarit in Germaniam fructus? 301 ſeq.
Cordus (Iun.) notatus. 288
Cornelii (Petri) elogium. 160
inuidia vnde? 434 ſeq.
Coruinus (Meſſala) notatus. 218
Coſtarti elogium. 449
Coteſii (Roger.) elogium. 483
Cowperi (Wilh.) elogium. 478. 485
Craſſi (L.) elogium. 452
Criticae artis incrementa vnde repetenda? 310
Critices elogium. 216
abuſus. 216 ſeq. 194 ſeq. 215 ſeq.
Critici notati. 189 ſeq.
ueteris Graeci notati. 217
Romani notati. 217 ſeq.
Croci (Rich.) elogium. 146. 306
Crucimanius (Franc.) notatus. 182 ſeq.
Cuiacii elogium. 417
Curiae Rom. pompa ac cerimoniae exploſae. 347 ſeq. 388 ſeq.
De Cuſa (Nic.) elogium. 68
Cuſanus Card. notatus. 214
laudatus. ibid.
De Cuzentia (Telesphorus) notatus. ibid.
Cyrus notatus. 334

D.

Dach (Sim.) notatus. 237
laudatus. ibid.
Dandalus notatus. 214
Dantes laudatus. 192
notatus. 276
Daphites notatus. 239
Circa Decorum quid obſeruandum eruditis? 276 ſeq.
Dedicationum librorum abuſus. 176 ſeq. 364
Democritus notatus. 249
Demonſius notatus. 245
Derhamius (Wilh.) laudatus. 314. 476. 482
Dermaſius (Franc.) eſt Ioach. Fellerus. 190
Deſaguliers (Io. Theophr.) elogium. 476
Deſporteſius quale tulerit vnius ſonuli praemium? 411
Diaria erudita quid conferant religioni? 320 ſeq.
Diariorum eruditorum vbertas in Germania vnde? 320
vtilitas. 320 ſeq.
Digby (Kenelmus) notatus. 253
Diodorus notatus. 249
Diogenes notatus. 213
Libertus notatus. 249
Dionyſiodorus notatus. 239
Diplomaticae artis inuentor quis? 310
incrementa. ibid.
vtilitas. ibid.
Diſputationis ridiculae memorabile exemplum. ſeq.
Diſputationum Academicarum abuſus notatus. 196 ſeq. 273 ſeq.
De Dominis (M. Ant.) notatus. 275 ſeq.

Douglas (Iac.) elogium. 480 ſeq.
Dreſſerus (Matth.) laudatus. 150
notatus. 226
Drydenii (Io.) elogium. 163
dramata quo fuerint plauſu excepta? ibid.
Duareni elogium. 417

E.

Eboracenſis et Lancaſtrenſis Familiae quando et a quo coniunctae? 7
Eccleſiaſticarum poenarum abuſus notatus. 349 ſeq.
Eckolti (Amadei) elogium. 139
Eduardus I. R. A. notatus. 385
eius cura Scotiam cum Anglia coniungendi quanta fuerit? 34
III. R. A. Ordinis periſcelidis autor 485
eius elogium. 484 ſeq.
Egnatii elogium. 192
Eleonora ſoror Caroli V. Imp. cur fuerit deſponſata Carolo Borbonio? 107 ſeq.
Franciſco I. R. G. 108
Eliſabethae Reg. Angl. elogium. 412
Eloquentiae praeſtantia. 310 ſeq.
incrementa vnde repetenda? 311
Empedocles notatus. 249
Empirici notati. 251 ſeq.
Ennius notatus. 294
Epicurus notatus. 249
Epiſcopalium et Presbyterianorum in Anglia litigia quanta? 440
Eraſmi (Deſ.) elogium. 302 ſeq.
in rem Eccleſ. et literariam merita. ibid.

Eruditi,

Eruditi, antagoniſtarum nimis curioſi, notati. 179. ſeq.
ſuarum ipſi laudum cantores, notati. 181 ſeq.
librorum coaceruandorum nimis ſoliciti notati. 186 ſeq.
antiquitatis ſtudio nimium dediti notati. 199 ſeq.
cultus externi nimium ſtudioſi notati. ibid.
parum curii notati. ibid.
cur adeo ad aſſentationem inclinent? 364 ſeq.
Eruditis quae ſint maxime uitanda? 272 ſeq.
Eruditorum laudes mutuae exploſae. 178 ſq.
titulomania reprehenſa. 169 ſq.
pruritus aliorum ſcriptis detrahendi caſtigatus. 180 ſeq.
grauitas in quo conſiſtat? 271
peruerſi mores notati. 272 ſeq.
diſceptationes quales? 429
earum uanitas exploſa. 429 ſeq.
cauſae quae? ibid.
Eruditos cur maxime deceat grauitas? 271 ſeq.
Ethices incrementa vnde repetenda? 314 ſeq.
Etmulleri (Mich.) elogium. 144 ſeq.
Euripides notatus. 443
Euſebius Caeſarienſis notatus. 289
Euthydemus notatus. 239
Eutropius notatus. 443
Excommunicationis in Eccleſia Rom. abuſus notatus. 394 ſeq.
Exterorum quid olim apud Athenienſes ualuerint conſilia? 90

F.

Fabis ueſci cur interdictum fuerit Pythagoreis? 59
Fabretti et Gronouii lis exploſa. 218
elogium. ibid.
Fabri (le Feure) elogium. 466
Fabricii (Georg.) elogium. 146
Faernus (Mich.) notatus. 443
Farinaceus (Proſper.) notatus. 276
Fecialium quale olim fuerit munus? 355
Felleri (Ioach.) elogium. 152
Ferdinandus Catholicus cur nuptiis ſibi deſtinauerit Iſabellam? 7
notatus. 382
I. Rex Rom. quo fuerit animo erga fratrem Carolum V. Imp. 104
eius cum eodem ſimultates quales et vnde? 104 ſeq.
elogium. 106
Albertus D. Br. et Lun. laudatus. 462 ſeq
Fermati elogium. 419
De la Feuillade notatus. 388
Finckelthuſii (Sigism.) elogium. 138 ſeq.
Flaminius notatus. 356
De Flandria (Domin.) notatus. 198
Floceus (Ant. Domin.) notatus. 227
Floyerus (Io.) notatus. 253
Fogelius (Mart.) notatus. 218
Fontaninus (Iuſt.) quid contulerit ad artem Diplomaticam? 310
Francicae Academiae elogium. 449 ſeq.
Franciſcus I. R. G. cur inuaſerit Italiam. 95. 370 ſeq.
captus.

captus. ibid.
cur captiuum ſe abduci in Hiſpaniam fuerit paſſus? ibid.
qua conditione fuerit liberatus? 98
promiſſis ne quicquam ſtetit. ibid.
notatus. 370 ſeq. 377
laudatus. 409
quo fato perierit? 372
eius morbus Madriti ingraueſcens qualis et vnde? 97
quo modo fuerit curatus? 97 ſeq.
nouum contra Carolum V. Imp. foedus. 99
II. R. G. notatus. 372
Francius (Petr.) notatus. 225
laudatus. ibid.
Franckenſteinius (Chriſt. Frid.) laudatus. 151
in legendo omni caruit applauſu. ibid.
Francorum autor quis? 331
Fratres Roſae crucis notati. 173. 212 ſeq. 221
Freherus laudatus. 317
eius Theatrum commendatum. 319
Freindii (Io.) elogium. 480
Friderichi (Io.) elogium. 126. ſeq. 151
Friderici Auguſti Pr. Sax. elogium. 7 ſeq.
itinera. 8 ſeq.
quanta fuerit exiſtimatio apud Ludouicum XIV. R. G. 10
amores laudati. 10 ſeq.

I. et II. R. R. Pol. et El. Sax. elogium. 137
Friderico Sapienti El. Sax. quantum debuerit Maximilianus Imp. 16
Fridericus Placidus fuit ſator linearum Erneſtinae et Albertinae. 14
eius cum Margaretha Auſtr. connubium quale? 13
Bellicoſus El. Sax. cum Caeſare ſtetit aduerſus Huſſitas. 15
eius elogium. 122
Auguſtus I. El. Sax. cur Regnum Pol. capeſſiuerit? 22
eius in Auſtriam merita. 21. ſeq.
Sapientis El. Sax. moderatio quanta fuerit? 22
III. Imp. notatus. 66 ſeq.
laudatus. ibid.
Barbaroſſa Imp. quomodo fuerit habitus ab Alexandro III. Pont. Rom. 350
Fullerus (Th.) notatus. 177
Fuſilius notatus. 250

G.

Galant-hommes qui? 200
Gale (Th.) elogum. 475
Galilei elogium. 419
Gallandius notatus. 441
laudatus. ibid.
Galliae Regum amores improbi notati. 371. ſeq.
exploſi. 372 ſeq.
elogium. 405
Gallienus Imp. notatus. 361
Gallorum Societates eruditae commendatae. 313. 449
in literarum ſtudiis oſcitantia notata. 405
vnde? 440
feruor laudatus. 448 ſq.

Gannetaſius laudatus. 405
Gardii (Ponti) laus. 90
Gardinerius (Rich.) notatus. 365 ſeq.
Garopolus notatus. 180. 437
Gaſſendi elogium. 419
Gaſtrellius laudatus. 314. 481
Gautierio quae fuerit cum Brebeufio controuerſia? 445
Gaza (Theodor.) 51
Geieri (Martin.) elogium. 132 ſeq.
Gelenii (Sigism.) elogium. 427
Genealogiae abuſus notatus. 230 ſeq.
Gentes uarias ſimul in officio continere res quam ſit ardua? 98 ſq.
Germani cur audiant Campano barbari? 55 ſeq.
ueteres notati. 356
In Germania quae olim fuerit barbaries? 55 ſeq. 67 ſeq.
In Germaniam odium Campani unde? 57
Germanicae linguae encomium. 62
de ea ſententia Caroli V. Imp. 63
Germanorum bibacitas notata. 60
obſoleta. 61
peruerſi mores notati. 63 ſeq.
in literarum ſtudiis oſcitantia notata. 406
Geſnerus laudatus. 319
Gillenborge (Car.) elogium. 485
Glareanus (Henr. Loritus) laudatus. 201
notatus. 201. 237
Glodenſtedii elogium. 141
Gnathones qui et quales? 366 ſeq.
reprehenſi. ibid.
Goddardi elogium. 453
Goezii Memoriae commendatae. 319

Gomariſtarum et Arminianorum aemulatio quanta olim fuerit? 440
Goueanus notatus. 441
laudatus. ibid.
Graeci quos uulgo libris ſuis titulos inſcripſerint? 171 ſeq.
Grammatici notati. 215 ſeq.
ueteres Graeci notati. 217 ſeq.
Romani notati. ibid.
De Pſeudo-Grammaticis iudicium Ant. Bynaei. 219
Grandi (Guid.) elogium. 469
Graueſandii elogium. 468
Grauinae elogium. 405
Grauitas quos maxime deceat? 271 ſeq.
cur deceat potiſſimum eruditos? ibid.
eruditorum in quo conſiſtat? 271
ſcriptorum quid? 287
hiſtorica quid? 287 ſeq.
Greene (Th.) elogium. 484
Gregoras (Niceph.) notatus. 289
Gregorii (Dau.) elogium. 479
Gregorius Tifernas. 51
VII. Pont. notatus. 350
Grew (Nehem.) elogium. 476 ſeq.
Gribneri (Dan.) elogium. 417
Gritti (Aloyſ.) laudatus. 90
Gronouii et Fabretti lis exploſa. 218
Gronouius (Iac.) notatus. 188 ſeq.
laudatus. 218. 426
(Io. Frid.) laudatus. 427 ſeq.
Gruchius (Nic.) laudatus. 436
Gruneri (Uincent.) elogium. 128
Guaſtius notatus. 357

Gudio

Gudio (Marqu.) quae fuerit cum Ez. Spanhemio controuerſia? 445 ſeq.
eius elogium. 445
Gueſclinii (Bertrandi) quae fuerit felicitas? 386
Gueuarrae elogium. 436
Guicciardinus notatus. 443

H.

H. R. notatus. 177 ſeq.
Hackelmanni (Leopoldi) elogium. 138
Haius (Io.) notatus. 173
Halley (Edm.) elogium. 476
Harduinus (Io.) notatus. 184. 309
Harrioti elogium. 419
Harriſii elogium. 482
Hebraeorum Philoſophi notati. 249
Heinſii (Dan.) controuerſia cum Salmaſio quae fuerit? 430 ſeq.
vnde orta? 431
elogium. ibid.
Heinſon (Io. Theodori) elogium. 472
Heliogabalus (Ant.) notatus. 378
Helti (Greg.) elogium. 146
Henninges (Henr.) notatus. 180 ſeq.
Henrici II, R. G. ſymbolum exploſum. 342
exitus qualis? 372
V, R. A. elogium. 367
a Carolo Delphino eluſi effatum. 384
VIII, R. A. inceſtus. 394
elogium. 409
a Catharina Auſtriaca diuortium. 112
cum Car. V, Imp. foedera. ibid.

Henrico VI, Imp. quomodo ſe exhibuerit Coeleſtinus III, Pont. 350
Henricus II, R. G. notatus. 382
III, R. G. notatus. 369 ſeq.
IV, R. G. notatus. 371
Imp. quomodo fuerit habitus a Gregorio VII, Pont. 350
VII, cur petierit vxorem Eliſabetham? 7
Heraclitus notatus. 213. 248
Herodianus notatus. 443
Herrichi (Io. Godofr.) elogium. 152 ſeq.
Heuelii elogium. 245 ſeq. 471
Heumannus laudatus. 320
Hiarne (Vrb.) elogium. 473
Hieronymus notatus. 296 ſeq.
De la Higuera (Hier. Roman.) notatus. 227
Hipparchus notatus. 248
In Hiſpania turbae ſub Carolo V cur et vnde ortae? 89
Hiſpaniae Rex quo habitu indutus cum Regina decumbere ſoleat? 353
De Hiſpanis iudicium Seleſtadii. 222
Hiſpanorum faſtus notatus. 89
cura cerimoniarum nimia exploſa. 351 ſeq.
claſſis inuincibilis exploſa. 355
triumphus notatus. 360
Hiſtoria quem vſum praeſtet Theologo? 75 ſeq.
ICto? 76 ſeq.
quomodo ad ſummos honores uiam monſtret? 79
De Hiſtoria ſententia Ciceronis. ibid.
Hiſtoriae elogium. 79 ſeq. 291
ſtudium cur uulgo contemnatur? 71 ſeq.
Hiſto-

Hiſtoriae cultura quid contulerit ad Reformationem Eccleſiae? 316 ſeq.
incrementa vnde repetenda? ibid.
vtilitas. 318
literariae praeſtantia. 318 ſeq.
origo et progreſſus. ibid.
ſtudium praepoſterum exploſum. 321 ſeq.
Hiſtorica grauitas in quo conſiſtat? 287 ſeq.
Hiſtorici notati. 83. 441 ſeq.
Hiſpani notati. 83 ſeq.
Germani notati. 84
Galli notati. ibid.
Hiſtoricis quae ſint maxime uitanda? 287 ſeq.
Hiſtoricorum Charlataneria quid? 225 ſeq.
notata. ibid.
Hiſtrionia politica quid? 329
notata. 329 ſeq.
Hiſtrioniae politicae exempla. 330 ſeq.
Hochſtratus notatus. 303
Hoe ab Hoenegg (Matth.) elogium. 131
Hoepfneri (Henr.) elogium. ibid.
Hoffmanni (Io.) elogium. 128 ſeq.
Lexicon commendatum. 519
Homero delubrum dedicarunt Smyrnaei. 192
Homerus laudatus. 192. 231
notatus. 362. 443
Hookii (Rob.) elogium. 477
Horatius ſermonis duri poſtulatus. 191 ſeq.
laudatus. 294
Horroxii elogium. 419
Hotomannus (Franc.) notatus. 176
Hottingerus (Io. Henr.) notatus. 436
Huberi (Vlr.) elogium. 194
Hugenii elogium. 468

Hulſemanni (Io.) elogium. 131 ſeq.
Humanarum rerum quae ſit conditio? 363 ſeq.
Hutteni (Vlr.) elogium. 302
Hypercritici qui? 216
notati. 216 ſeq.
Hyperidis elogium. 311
Hypocriſis quid ualeat in dicendo? 224

I

Iablonskii (Dan. Ern.) elogium. 473
Iacobi, D. Ebor. elogium. 462
Chaudoſii, elogium. 485
Montis Roſarum, elogium. ibid.
Montaguae, elogium. ibid.
Iacobus I, R. A. quam fuerit ſolicitus de vniendis Regnis Angliae et Scotiae? 34 ſeq.
nominis Magnae Britanniae inſtaurator. 34
honores Magiſtri capeſſiuit. 337
quo titulo uulgo nuncupatus ab Henr. IV, G. R. ibid.
eius nummus. 34
Carmelita notatus. 438
Iauſſaeus notatus. ibid.
Iboti elogium. 482
Inghiramus notatus. 227
De Inſulis (Alanus) notatus. 170 ſeq.
Inuidia quantum noceat literarum ſtudiis? 430 ſeq.
Ioachimus, Germanus, notatus. 214
Ioannae, Reg. Hiſp. quae fuerint fata? 101 ſeq.
captiuitas Tordeſillenſis qualis? 101
Ioannes Georgius I cur detrectauerit oblatum Regnum Bohemiae? 22

Ioannes Pariſienſis notatus. 214
Ioannis Conſtantis, El. Sax. quae fuerint in Auſtriam merita? 16
Georgii I, El. Sax. in Auſtriam merita. 18 ſq.
apud Imp. Ferdinandum II. gratia quanta fuerit? 18
II, El. Sax. in Auſtriam merita. 19
elogium. 133
III, El. Sax. in Auſtriam merita. 19 ſeq.
potiſſimum auxiliis Uienna, a Turcis obſeſſa, fuit liberata. 20
elogium. ibid.
IV, El. Sax. elogium. 21
D. Roxburgi, elogium. 485
Iouii (Pauli) impudentia notata. 442
Iſabella, matertera Caroli V Imp. cur in matrimonium fuerit data Chriſtiano II, Dan. R. 110
Italiae elogium. 56. 405
Italorum Societates eruditae commendatae. 313
in literarum ſtudiis oſcitantia notata. 405 ſeq.
A Iungingen (Vlr.) petulantia notata. 359 ſeq. 384 ſeq.
Iuriſconſulti quo elogio olim fuerint mactati? 254
Iuriſconſulto quem vſum praeſtet Hiſtoria? 76 ſeq. 418
Iuriſconſultorum faſtus caſtigatus. 254 ſeq.
formulae ueteres quales? 255
Charlataneria quid? 256 ſeq.
exploſa. ibid.
Iuriſperitus quis olim fuerit creditus? 417
Iuriſprudentiae ſtudium vnde maxime impediatur? 417 ſeq.

Ius Publicum Germanicum quid ſit? 77

K.

Keill (Io.) elogium. 479
Kepleri elogium. 419
Kidderi elogium. 481
Kircherus (Athan.) notatus. 188 ſeq.
Knorrii elogium. 156
Kromayeri (Hier.) elogium. 132
Kuſteri et Perizonii lis exploſa. 218
elogium. ibid.

L.

Labbeus notatus. 433
Lactantii elogium. 297
Laelii elogium. 311
Laetus (Pomp.) notatus. 167
Lampridius notatus. 292. 443
Lancaſtrenſis et Eboracenſis Familiae quando et a quo coniunctae? 7
Laney (Eduardi) elogium. 475
Langii (Chriſtiani) elogium. 134
(Chriſtiani Io.) elogium. 142
(Sam.) elogium. 134
Lanoiſii (Io. Mar.) elogium. 471
Launoii elogium. 349
Laurin (Colin. Mac.) elogium. 483
Leges aliquot Rom. recenſitae. 505
Legum publicarum quae ſit auctoritas? 505 ſeq.
Lehmanni (Georg) elogium. 136
Leibnitii (Godofr. Guil.) elogium. 472. 483
Leonicenus (Cyprian.) notatus. 214
laudatus. ibid.

Leontinus (Gorgias) notatus. 181
Leuae (Ant.) uirtus bellica laudata. 87 ſeq.
Leucippus notatus. 249
Leuwenhoekii (Ant.) elogium. 468
Liber quinam dicendus? 494 ſeq.
Libertas in quo conſiſtat? ibid.
Academica quid? 507 ſeq.
Librorum tituli hodierni quales? 172 ſeq.
exploſi. ibid.
Licitationis ridiculae memorabile exemplum. 346
Lincolnienſis notatus. 249
Lipenius laudatus. 319
Lipſiae elogium. 61. 120 ſeq.
Lipſienſis Academiae origo. 121 ſeq.
progreſſus et felicitas. 122 ſeq.
vnde? 126
iurisdictio qualis? 492 ſeq.
Rectori qualis a militibus exhibeatur honos? 493
ſtatuta. 495 ſeq.
Lipſienſium clariſſimorum elogia. 128 ſeq.
ſtudioſorum iura et priuilegia. 495 ſeq.
elogium. 500. 502. 508
Lipſii elogium. 191
Liſteri (Mart.) elogium. 478
Literariae Hiſtoriae praeſtantia. 318 ſeq.
origo et progreſſus. ibid.
ſtudium praepoſterum repre-henſum. 321 ſeq.
reipublicae libertas in quo conſiſtat? 425 ſeq.

Literariorum certaminum uanitas exploſa. 429 ſeq.
cauſae. ibid.
Literarum elegantiorum ſtudium quando renatum? 51
inſtauratio quid contulerit Reformationi Eccleſiae? 297 ſeq. 301 ſeq.
neglectus hodiernus vnde? 404 ſeq. 407 ſeq.
ſtudia cur humanitatis nomine appellata? 408
quibus maxime impediantur? 414 ſeq.
elogium. 410
neglectus in Gallia vnde? 440
Liuius laudatus. 290. 294
notatus. 290
Lockii (Io.) elogium. 482 ſeq.
Logarithmorum inuentor quis? 419
Logicae abuſus caſtigatus. 238 ſeq.
Lolliardus notatus. 214
Lotium quid ualeat in cognoſcendis morbis? 253 ſeq.
Lowthorpii (Io.) elogium. 483 ſeq.
Loyolitae notati. 308 ſeq.
Lubecenſium faſtus notatus. 356
Lucius (Acc.) notatus. 232
Ludorum ſcenicorum vſus et finis. 158 ſeq.
abuſus notatus. 159. 164
Ludouici XIV, R.G. ſymbolum exploſum. 342 ſeq.
faſtus caſtigatus. ibid.
nummi notati. 343
in Regia Lupara poſita ſtatua qualis? 343 ſeq.
Borbo-

Ludouici Borbonii elogium. 367
Ludouicus XIII, R. G. notatus. 367 ſeq.
XIV, R. G. notatus. 371
auctor fuit Regiae Scientiarum Academiae. 420
Luiſinus (Aloyſ.) notatus. 243
Lulli (Raymundi) elogium. 241
Lulliana ars exploſa. 213
Lutheri (Mart.) elogium. 304 ſeq.
in rem Eccleſ. et literariam merita. 304 ſeq. 312
Lycoſthenes laudatus. 319
Lyſeri (Polyc.) elogium. 131
Lyſiae elogium. 311

M.

Mabillonius (Io.) inuentor artis Diplomaticae. 310
Macedo (Franc.) notatus. 438
Maffaeus (Scip.) laudatus. 446 ſeq.
Magiſter Iacobus quis? 337
Magni (Ualer.) notatus. 437
Mahumedis impudentia notata. 222
Maignanus notatus. 437
Maimburgius notatus. 84
Maioragius notatus. 167
Des Maizeaux (Petr.) elogium. 484
Maklesfieldii (Th.) elogium. 485
Malherbius quale tulerit vnius carminis praemium? 412
Malliardus (Oliuar.) notatus. 284
Malpighii (Marcelli) elogium. 469
Marcellinus (Ammian.) notatus. 444

Maria

Maria Foxia cur nupſerit Ferdinando decrepito? 6
Mariae Ioſephae, Archi-D. Auſtr. elogium. 4. 7 ſeq. 11. 23 ſeq.
Reg. Hung. elogium. 109 ſeq.
ſorori cur commiſerit Carolus V Imp. Belgium regendum? ibid.
Mediceae elogium. 412
Reg. Angl. elogium. ibid.
Marlepyrgii Ducis elogium. 41
Marpergeri (P. I.) elogium. 473
Marſi notati. 364
Marſigli (Aloyſ. Ferd.) laudatus. 469
auctor Inſtituti Bononienſis. ibid.
Maſenius notatus. 84
Mathanaſii (Chryſoſt.) Satyra in Grammaticos laudata. 220
Mathematicarum diſciplinarum vtilitas. 244
abuſus. 245 ſeq.
Matheſeos incrementa vnde repetenda? 312
Mauritii, El. Sax. in Auſtriam merita. 16 ſeq.
Maximilianus I Imp. laudatus. 316
notatus. 375 ſeq.
eius argute dictum. 325
II. Imp. adhuc iuuenis laudatus. 105
Maximus, Orator, notatus. 196
Mazarini (Iul.) elogium. 90
Mazonius (Iac.) notatus. 181
Meadii (Rich.) elogium. 480
Medicae artis quae ſit conditio? 251
incrementa vnde? 419
Medicorum technae exploſae. 165 ſeq.
Charlataneria qualis? 251 ſeq.
notata. ibid.

Medicus quidam Anon. Lipſienſis notatus. 173
Megander (Godofr. Siegfr.) notatus. 231
Meibomius (Marc.) notatus. 182
Melanchthonis (Phil.) elogium. 305
Mellerſtadii elogium. 141
Memoriarum hiſtoricarum abuſus notatus. 292
Menagii elogium. 449
Menckenii (Ott.) elogium. 154. ſeq.
Mercatoris (Nic.) elogium. 471
Merlinus notatus. 214
Merſenni elogium. 419
Meſſenius (Io.) notatus. 231
Metaphyſicae abuſus caſtigatus. 238 ſeq.
Mexicanorum Regum auctoritas apud ſuos quanta? 330
promiſſum ſtolidum. 330. 334
Michaelis (Io.) elogium. 141 ſeq.
Michelotti (Petr. Ant.) elogium. 471
Militibus ſpectatae uirtutis qualis fuerit olim apud Romanos exhibitus honor? 207
Mirandula (Io. Pic.) notatus. 247
cur tot eruditorum inuidiam expertus? 432
Moebii (Georg.) elogium. 134
De Moiure (Abr.) elogium. 484
Molerii elogium. 161
Drama, Ciuis Nobilis dictum, quo exceptum applauſu? 161 ſeq.
De Monachorum uariis ordinibus iudicium Agrippae. 259 ſeq.
Monlucius, pater, notatus. 357
Montaltius, uide Sixtus V.
Montanus (Mich.) notatus. 335. 444

Montmaurus (Petr.) notatus. 276
eius cognomen quale et vnde? ibid.
Montmorantius notatus. 377
Moralis Philoſophiae Profeſſoris in Academia Altorfina officium. 316
Morerii Dictionarium commendatum. 319
Morgagnii (Io. Bapt.) elogium. 471
Morhofii (Dan. Georg.) elogium. 319
Polyhiſtor commendatus. 319 ſeq.
Morini elogium. 436
Moriſonii elogium. 142
Mornaei elogium. 191
Moſci notati. 340
Moſellani (Petr.) elogium. 129 ſeq. 146. 306
applauſus ſingularis. 146
Munſterbergii (Io. Ott.) elogium. 133
Muratorii (Lud. Ant.) elogium. 471
Contra Muſcas a Rom. Eccl. Epiſcopis iudicium inſtitutum quale? 395 ſeq.
Muſgraue (UUilh.) elogium. 480
Musleri (Io.) elogium. 146

N.

Naperus laudatus. 419
inuentor Logarithmorum. ibid.
Naturae Curioſorum Societas laudata. 313
humanae quae ſit conditio? 503
Nebriſſenſis (Ant.) elogium. 444
De Nepotiano iudicium Hieronymi. 130
Nero notatus. 333
Le Neue (Petr.) elogium. 484

Neutoni (Iſaaci) elogium. 458. 482
Nicanor, Grammaticus, notatus. 218
Niphus (Auguſtin.) notatus. 276. 435
Niuem qui ſibi finxerint nigram? 213
Nobilitatis deſcriptio. 63
fons cur Germania? 64 ſeq.
Normannico iure qui vtantur? 45
Norriſii (Eduardi) elogium. 480
Noſtradamus notatus. 214
Noua Literaria Lipſienſia commendata. 321
Nuptiarum, inter infantulos celebratarum, uanitas explosa. 373 ſeq.
per procuratores contractarum, ritus notati. 374 ſeq.

O.

Oratorem ſacrum quae maxime deceant? 280 ſeq.
Oratoribus quomodo olim fuerit acclamatum? 204
Orbilius notatus. 196
Ormondii Ducis elogium. 41
Oroſius (Paul.) notatus. 443
Orreryi (Car.) elogium. 485
Ortlobii (Io. Frid.) elogium. 142
Othonis (Ualentini) elogium. 150
Oughtredi elogium. 419
Ouidius laudatus. 294
notatus. 443

P.

Pacuuius notatus. 294
Palaemon notatus. 196
Palatius (Io.) notatus. 226

Paleario (Ant.) inuidia vnde conflata? 433
Pammachius notatus. 288
Panicarola (Franc.) notatus. 261
Panormitani elogium. 137
Panſophorum nomen exploſum. 171
Pantaleon (Henr.) notatus. 226
eius Proſopographia commendata. 319
Pantocritici qui? 216
notati. 194 ſeq. 216 ſeq.
Papebrochii elogium. 394
Contra Papiliones a Rom. Eccl. Epiſcopis inſtitutum iudicium quale? 395 ſeq.
Papyrii (Dionyſii) elogium. 466
Paraira (Gomez.) notatus. 437
Parkerus laudatus. 314
Parmenides notatus. 213. 248 ſeq.
Parrhaſius (Ian.) cur abierit Mediolano? 432
Paſtor quidam paganus notatus. 281 ſeq.
Paterculus (Uellei.) notatus. 443
Patini (Car.) de Charlataneria Medicorum iudicium. 165
Paulus Uenetus notatus. 290
Pechlinii (Io. Nic.) elogium. 471
Pembrokii (Th.) elogium. 485
Peregrinus (Lael.) notatus. 243
Periclis elogium. 311
Perionius notatus. 441
laudatus. ibid.
Periſcelidis Ordinis auctor quis? 485
Perizonius (Iac.) laudatus. 194. 218
notatus. 194
eius cum Kuſtero lis exploſa. 218
Perſarum titulomania exploſa. 339 ſeq.

Perſpicillorum apud Hiſpanos honor quantus? 354
Petermanni (Andr.) elogium. 142
Petiti elogium. 466
Petrarcha (Franc.) laudatus. 192
notatus. 236
Petri, Luſ. R. inceſtus. 394
Pfeffingeri (Io.) elogium. 129
Phaedrus poſtulatus Thraeiſmi. 191
Philephus (Franc.) 51
notatus. 181 ſeq. 217. 276
Philippi III, R. H. miſerabile fatum. 351
Philippi (Io.) elogium. 140 ſeq.
Mariae, D. Mediol. elogium. 96
Philippus I, R. G. notatus. 383
II, R. H. cur ambierit amores Mariae Anglicae? 6
quomodo exciderit ſpe Angliae potiundi? 99
perierit? 100
V, R. H. notatus. 86
Philoſophiae ſtudio quae maxime noceant? 421 ſeq.
Philoſophica Societas in Hibernia. 420
Phyſices incrementa vnde repetenda? 312
Phyſicorum temeritas exploſa. 247 ſeq.
Pictores notati. 6
Pileus quid notet? 207
Pindari elogium. 163
Pipinus, R. G. notatus. 382
Pippingii Memoriae commendatae. 319
Piſtorii (Simon.) elogium. 137 ſeq.
(Hartmanni) elogium. 138
(Modeſtini) elogium. ibid.

Piſtoricus laudatus. 317
Piſtoriorum ſtirpis encomium. 137
Placcii Theatrum commendatum. 319
Plato notatus. 249
Platonis quae fuerint bellaria? 59
Pliniorum elogium. 294
Plumptre (Henr.) elogium. 486
Plutarchus notatus. 443. 444
Poenarum eccleſiaſticarum abuſus notatus. 349 ſq.
Poeſeos Germanicae praeſtantia. 312
hodiernae fata. 411
Poetae ueteres notati. 330
Poetarum faſtus exploſus. 231 ſeq.
laureatorum ambitio caſtigata. 236 ſeq.
θεῖον exploſum. 238
Poggius Florentinus. 52
notatus. 193
Poleni (Io.) elogium. 471
Politianus (Ang.) 51
notatus. 276. 297
Politices abuſus. 243
Pollichii (Mart.) elogium. 69
Pollio (Aſinius) notatus. 217
De Pompeiis, Comes fictitius, notatus. 262
Pontifices Rom. notati. 347 ſeq.
Pontificiorum et Reformatorum quanta olim fuerit in Gallia controuerſia? 440 ſeq.
Porſtorffia poma in quo pretio habeantur Italis? 58
Poſſeuini elogium. 191
Poſtellus (Guil.) notatus. 213
quot calluerit linguas? 221
Praecedentiae iura quousque Principibus tuenda? 345
ridiculae memorabile exemplum. 340

Pres-

Presbyterianorum et Epiſcopalium in Anglia litigia quanta? 440
Principum quae ſit ratio amandi? 2 ſeq. 5 ſeq. 108
uis et poteſtas qualis? 86
nimius faſtus exploſus. 330 ſeq.
titulomania exploſa. 338 ſeq.
mores peruerſi notati. 369 ſeq.
uita qualis? 368
Priuatorum quae ſit ratio amandi? 5 ſeq.
Procopius notatus. 289
laudatus. ibid.
De Proditoribus ſententia Antigoni. 91
Caeſaris. ibid.
Protogenes notatus. 213
Prouidentiae diuinae elogium. 325
Pufendorffius (Sam.) laudatus. 315
Puteanus notatus. 177
Pythagoras notatus. 249
Pythagorei cur abſtinuerint a fabis? 59
notati. 199

Q.

Querni (Camilli) poeſis commendata. 234
fertum quale fuerit? 235
cognomen quale? ibid.
gratia apud Leonem X. Pont. quanta et vnde? ibid.

R.

Rabbinici ſcriptores notati. 415 ſeq.
Rabirius notatus. 196
laudatus. 200
Rabulae notati. 77
Rabuliſtica exploſa. 258
quomodo dicta ab Ariſtotele? ibid.

Digitized by Google

Radeuitii (Iac.) elogium. 137
Raii (Io.) elogium. 483
Ramus (Petr.) notatus. 193 ſeq.
eius elogium. 441
caedes. ibid.
Rappolti (Frid.) elogium. 134 ſeq. 152
Raymundus, Com. Toloſ. cur a Nuntio Pont. Rom. uirgis caeſus? 349 ſeq.
Raynaudus notatus. 438 ſeq.
Reformatorum et Pontificiorum quanta olim in Gallia fuerit aemulatio? 440. ſeq.
Regiomontani (Io.) elogium. 69
obitus qualis? ibid.
Comment. in Almag. Ptolom. in quanto olim fuerint pretio Italis? ibid.
Reimmannus laudatus. 320
Reineccius laudatus. 317
Reineſii (Th.) elogium. 148 ſeq.
Religio quantum conferat literarum ſtudiis? 455
Reuberus laudatus. 317
Reuchlinus (Io.) notatus. 249
laudatus. 302 ſeq.
eius in rem Eccleſ. et literariam merita. ibid.
Rhedonenſis, uulgo Conette, (Th.) notatus. 262
Rhetici (Georg. Ioach.) elogium. 150
exilium. ibid.
obitus. ibid.
Rhetorica ſaltatio quid? 223 ſeq.
exploſa. ibid.
Rhetoriſmus hiſtrionicus quid? ibid.
exploſus. ibid.
Rhodomanni (Laurentii) elogium. 153
Rhua (Petr.) notatus. 436

Riccardius (Nic.) notatus. 183. 261
Ricciolus notatus. 246
Richelii Card. elogium. 160
Riſus et cachinni vnde oriantur? 275
Riuini (Aug. Quir.) elogium. 142. 473
(Andr.) elogium. 149
Robinſonii (Rich.) elogium. 479
Robortellus (Franc.) notatus. 192
Com. de la Roca notatus. 84
De Roches (Petr.) Epiſc. Vuenlani, elogium. 90
Rohault (Iac.) notatus. 200
Romani ueteres notati. 364
laudati. 408
Ronſardi (Petri) elogium. 233
ars uerſificatoria quomodo compenſata? 233 ſeq.
Rookii elogium. 453
De Roſenkrantz (Iueri) elogium. 473
Ruperti Palatini elogium. 462
Ruſticanus notatus. 214
Ruxnerus (Georg.) notatus. 227
Ruyſchii (Frid.) elogium. 468

S.

Salmaſii controuerſia cum Heinſio quae fuerit? 430 ſeq.
vnde orta? 431
elogium. ibid.
Saltatio rhetorica quid? 223 ſeq.
exploſa. ibid.
Sanctorius notatus. 249. ſeq.
Sanderus notatus. 438
Sandouallius (Prudentius) notatus. 84
(Franc.) notatus. 231. 442
Sangri notatus. 84
Sanrey (Agn. Benigu.) notatus. 218

Sauanarola notatus. 214
Saxonia quando obtinuerit Comitatum Brenenſem et Wettinenſem? 13
Palatinatum? ibid.
Burggrauiatum Magdeburgicum? ibid.
Electoratum? 14
ius in terras Iuliacenſes? ibid.
inueſtituram ſolennem prouinciarum Cliuenſium? 15
ſpem ſucceſſionis in ditiones Aſcanienſes? ibid.
Brunſuicenſes? ibid.
Luſatiam? ibid.
quid ſenſerit damni ex bello Huſſitico? 15 ſeq.
Saxoniae Principes cur tot Regna et Imperia oblata reſpuerint? 21
Saxonicae Domus elogium? 3
Saxonicorum cum Auſtriacis connubia recenſita? 12 ſeq.
Saxonum in Auſtriacos quae et quanta fuerint merita? 15. ſeq.
uirtus bellica laudata. 20
Scala (Barthol.) cur adeo ſuccenſuerit Politiano? 432
Scaligeri laudati. 191
notati. 435
Scaliger (Iul. Caeſ.) notatus. 167. 194
(Ioſ.) notatus. 221. 276. 438
laudatus. 426

Scham-

Schambergeri (Io. Chriſtiani) elogium. 143
Schertzeri (Io. Ad.) elogium. 134 ſeq.
Scheuchzeri (Io. Iac.) elogium. 473
Schmuckii (Vinc.) elogium. 130
Scholarum publicarum naeui notati. 72 ſeq.
Scholaſticorum titulomania notata. 169
quaeſtiunculae ſubtiliores exploſae. 289. ſeq.
ſyllogiſtice exploſa ibid.
Schottus (Andr.) notatus. 169 ſeq.
Scioppius (Caſp.) notatus. 167 ſeq. 190 ſeq. 276. 459
Canis Grammaticus vnde dictus? ibid.
Scotia quot habuerit Reges ex vna ſtirpe? 47
Scoticarum et Anglicarum legum diuerſitas. 44
vnde? ibid.
Scotorum et Anglorum diſſidia vnde? 33 ſeq.
Scribendi pruritus nimius caſtigatus. 174 ſeq.
Scriptorum grauitas in quo conſiſtat? 287 ſeq.
Scriuerii elogium. 76
Scriuerius (Petr.) notatus. 276
Sebaſtianus, R. Luſ. notatus. 379
Seckendorffii elogium. 156
Segerus (Io.) notatus. 169 ſeq.
Seldeni elogium. 417
Seligmanni (Gottlob Frid.) elogium. 136
Selnecceri (Nic.) elogium. 130
Senecarum elogium. 294
De la Serre (Io.) notatus. 159 ſeq.
Shelburnii (Henr.) elogium. 485
Shippen (Rob.) elogium. 475
Sigiſmundus Imp. notatus. 336
Sigonii elogium. 192
Sinenſes notati. 187
Sixtus V Pont. notatus. 355 389 ſeq.

Sixtus V quibus artibus ad dignitatem Pontificiam peruenerit? 389 ſeq.
Slare (Frid.) elogium, 480
Slatyer (UUilh.) notatus, 231
Sloane (Hans) elogium, 479 ſeq.
Snellii elogium. 419
Societas Stultorum quae? 325 ſeq.
Philoſophica in Hibernia. 420
Societatis Naturae Curioſorum elogium. 313
Regiae Boruſſicae elogium. ibid.
Anglicae elogium. 313 451 ſeq.
auctor quis? 451
origo et incrementa. 452 ſeq.
ſymbolum. 454
conuentus vbi ſoleant celebrari? 455 ſeq.
priuilegia. 456
nomen. 456. 486
inſigne quale? 456
explicatum. 456 ſeq.
ſtatuta. 457 ſeq.
Praeſidis officium in quo conſiſtat? 458 ſq.
Uice-Praeſidis quae ſit auctoritas? 460
Sociorum electio quomodo procedat? 460 ſeq.
Commentarii quales? 463
Socii potiores recenſiti. 466 ſeq.
vtilitas. 485 ſeq.

Societatum Gallicarum elogium. 313
Italicarum elogium. ibid.
Socrates notatus. 213. 249. 274
Scurra Atticus vnde dictus? 274
Sodi (Georg.) elogium. 146
Sophiſtae notati. 222 ſeq.
Sophoclis elogium. 163
Sophorum appellatio qualis olim fuerit habita? 222
Sorberii elogium. 466
Spanhemii (Ezech.) quae fuerit cum Marqu. Gudio controuerſia? 445 ſeq.
elogium. 446. 473
Spani (Pippi) elogium. 90
Sperlingii (Ott.) elogium. 473
Sprati (Th.) elogium. 474
Stanleii (UUilh.) elogium. 475
Stephanus Batorius cur amplexus fuerit amore Annam Polonicam? 6
(Henr.) notatus. 276
Steuini elogium. 479
Stoici notati. 199
Stoicorum ſapiens qualis? 243
exploſus. ibid.
Stollius laudatus. 320
Stradae elogium. 191
Strigelii (Victorini) elogium. 129
exilium duplex. ibid.
Struuius laudatus. 320
Studioſi nomen cur adeo multis exoſum? 501
Stukeley (UUilh.) elogium. 480
Stultorum Societas quae? 325 ſeq.
eius auctor quis? ibid.
ſocii quibus vſi fuerint ueſtibus? 326
Stumpffius notatus. 226

Sturmius laudatus. 315
Sturni (Io.) elogium. 146
Suendendoerfferi (Barthol. Leonardi) elogium. 140
Suetonius notatus. 291
Suiſſetus notatus. 250
Surius notatus. 84
Suſſexii (Talboti) elogium. 485
Syluius (Iac.) notatus. 276

T.

Taſſi elogium. 192
Taſſonus (Alex.) notatus. ibid.
Tayloris (Brook.) elogium. 476
Tentzelius (UUilh. Ern.) laudatus. 156
quid contulerit ad artem Diplomaticam? 310
Teutonum auctor quis? 331
Thales Mileſius notatus. 248
laudatus. ibid.
Theologiae ſtudioſorum peruerſa ſtudendi ratio notata. 74 ſeq. 414 ſeq.
Theologo quem vſum praeſtet Hiſtoria? 75 ſeq.
Theologorum peruerſi mores notati. 259 ſeq. 280 ſeq.
cura circa libros ſacros redintegrandos commendata 308
Patrum emendandos laudata. ibid.
Theophraſtus notatus. 212
Theuet (Andr.) quot calluerit linguas? 221
Thomaſii (Iac.) elogium. 149
(Chriſtiani) elogium. ibid.
(Godofr.) elogium. ibid.

Thraces notati. 335
Thuani elogium. 191
Tiberius Imp. quantum hominibus extra Italiam natis fuerit delectatus? 90
notatus. 217. 361
Tilli (Mich. Ang.) elogium. 471
Tiraquellus notatus. 276
Tituli quid ualeant apud imperitum uulgus? 170
Titulomania quid? 169
eruditorum exploſa. 169 ſeq.
Principum exploſa. 338 ſeq.
quibus gentibus maxime familiaris? ibid.
Titulomaniae ridiculae memorabile exemplum. 340 ſeq.
Titulorum abuſus notatus. 168 ſeq.
Tooke (Andr.) elogium. 484
Torricellii elogium. 419
Trauigni (Franc.) elogium. 469
Triumphorum abuſus notatus. 360 ſeq.
De Tullio iudicium Quintiliani. 131
Turcorum titulomania exploſa. 338 ſeq.
Turnebi elogium. 417
Turneiſſerus (Leonard.) notatus. 253
Typographicae artis origo. 306
vſus. 306 ſeq.
Tyrrellus notatus. 442

U.

Ualentini (Mich. Bern.) elogium. 473
Ualla (Laur.) 52
laudatus. 193
Uallifnerii (Ant.) elogium. 471

Uargas

Uargas quale tulerit vnius carminis praemium? 412
Uarignoni (Petri) elogium. 467
Uarillaſius (Ant.) notatus. 84. 227
Le Uaſſor (Mich.) elogium. 467
Uaugelaſii elogium. 449
apud Uenetos quanta ſit exterorum exiſtimatio? 90
De Uera (Io. Ant.) notatus. 84
Uerderius (Claud.) notatus. 191
Uerulamius notatus. 249
Uerus (Ael.) notatus. 379
Uetturius laudatus. 433 ſeq.
De Uillanoua (Arnald.) laudatus. 214
notatus. ibid.
Uillanus (Nic.) notatus. 192
Uiolaceus color quid notet? 207
Uirgilius poſtulatus Barbariſmi. 191 ſeq.
laudatus. 294
notatus. 443
S. Uitalis notatus. 260
Uitilitigia quid? 196
Uiues (Io. Lud.) notatus. 444
laudatus. ibid.
Uiuiani (Uinc.) elogium. 469
Vladislaus Bohemus notatus. 358 ſeq.
Vluas (Alph.) notatus. 84
Vnio Angliae et Scotiae tentata ab Eduardo I. 34
a Iacobo I. 34 ſeq.
quae habuerit impedimenta? 35 ſeq.
in eam nummi cuſi quales? 36 ſeq.
eius formula qualis? 39 ſeq.

Vnio

Vnio Angliae et Scotiae a UUilhelmo III tentata. 40 ſq.
ab Anna Regina quomodo perfecta? 41 ſeq.
quos habuerit effectus? 43 ſeq.
quid tribuerit Anglis? 47 ſeq.
Scotis? 48 ſeq.
damni attulerit Gallis? 49
Romanorum atque Latinorum quos habuerit progreſſus? 45 ſeq.
Uolmari (Melch.) elogium. 68
Uoſſius (Iſaac.) laudatus. 191. 426. 468
Vrbanus II Pont. notatus. 394
Vrſinus (Fulu.) notatus. 186 ſeq.
Vrſtiſius laudatus. 317

UU.

UUalleſtonus laudatus. 314
UUalliſii (Io.) elogium. 453. 476
UUanley (Humfr.) elogium. 484
UUardii elogium. 453
UUeigelii (Nic.) elogium. 129
UUeinrichii (Georg.) elogium. 131
UUeiſii (Chr.) Rhetorica notata. 223
UUelſted (Rob.) elogium. 480
UUerleri (Uiti) elogium. 145 ſeq.
UUeſtphali (Arnoldi) elogium. 137
UUhiſtoni elogium. 482
UUilhelmi, March. Miſn. cum Anna Auſtr. connubium. 13
R. A. elogium. 29. 40 ſeq.
vniendorum Angliae et Scotiae Regnorum quanta fuerit cura? 40 ſeq.
Angliae Conqueſtoris cognomen quale? 337

UUilhelmi Angliae Conqueſtoris formula iurnadi. 383
argute dictum. ibid.
UUilhelmus, Dux Sax. cur detrectauerit oblatum Regnum Bohemiae? 22
eius elogium. 122
UUilkinſii elogium. 453
UUilliſii elogium. ibid.
UUitſen (Nic.) elogium. 468
UUittii Memoriae commendatae. 319
UUolfii (Chr.) elogium. 473
UUoodwardi (Io.) elogium. 479
UUottoni (Wilh.) elogium. 484

Z.

Zabarella (Iac.) notatus. 231
Zapata (Ant. Lupian.) notatus. 228
Zeno notatus. 249
Zieglerus (Caſp.) laudatus. 385 ſeq.
Zonaras notatus. 289. 443
laudatus. ibid.
Zopyrio Grammaticus. 196
Zoſimus notatus. 443
Zſchirnhauſii elogium. 156

✲ ✲ ✲

ERRATA TYPOGRAPHI.

Pag. 30 pro ſuſſulcitur lege ſuffulcitur.
Pag. 62 pro agoſones l. agaſones.
Pag. 83 pro recte l. rectae.
Pag. 86 pro praeſtitum l. praeſtitutum.
Pag. ead. pro eosdemdemque l. eosdemque.
Pag. 96 pro CAROLYS l. CAROLVS.
Pag. 116 pro reprehendus l. reprehendendus.
Pag. 189 pro KIRCHFRVS l. KIRCHE-RVS.
Pag. 212 pro Ioannem l. Ioannam.
Pag. 213 pro Praererea l. Praeterea.
Pag. 276 pro GERRO l. GETRO.
Pag. 286 pro feram l. furam.
Pag. 305 not. (*) pro 1718 l. 1518.
Pag. 370 pro ſciſcitababatur l. ſciſcitabatur.
Pag. 390 pro captaruri l. captaturi.
Pag. 405 pro Monahos l. Monachos.
Pag. 428 pro diuimus l. diximus.
Pag. 430 pro iuuentue l. iuuentae.
Pag. 453 pro exeruciat l. excruciat.
Pag. 473 pro vltimo l. vltimae.
Pag. 489 pro natalitia l. natalitii.

✲ ✲ ✲

BIBLIOTECA NAZIONALE

Digitized by Google